
37
28 B
11





TRACTATUS
THEOLOGICI
QUOS
In Scholis Sorbonicis dictavit
D. CAROLUS WITASSE
Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, Socius Sorbonicus, Regiusque Theologiæ Professor




IN SEPTEM TOMOS DISTRIBUTI.

TOMUS TERTIUS.

DE VERBI DIVINI
INCARNATIONE.





VENETIIS, MDCCXXXVIII.
APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.



TRACTATUS
DE
DIVINI VERBI
INCARNATIONE.
PRÆFATIO.



Tsi quæ de rebus divinis apud theologos tractari solent, ea suam quæque peculiarem habeant excellentiam, est tamen apud omnes in confesso, nullum ex iis esse altioris sapientiæ seu studioso seu doctore dignius argumentum, quam Verbi divini Incarnationem: cujus præstantiam declarans Apostolus 1. *Tim.* 3. 16. græce, *Manifeste magnum est*, inquit, *pietatis sacramentum, Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit angelis, creditus est in mundo, assumptus est in gloria*.

Atque hoc illud est insigne *mysterium absconditum a seculis in Deo*, Ephes. 3. 9. quod, quantum fieri licet, recludere & explanare instituimus.

Faxit idem Deus optimus ut *sciamus Jesum-Christum & hunc* cru-

crucifixum, quo uno gloriabatur Apostolus 1. *Cor.*2. 2. Faxit, & quidem multo magis, ut eum, qua par est, charitate amemus. *Si quis* enim *non amat Dominum nostrum Jesum-Christum, sit anathema*, 1. Cor. 16. 22. *Instructi* sane simus *in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Hic futuri operis nostri fructus erit. Sed votorum summa sit eum diligere *qui prior dilexit nos*. 1.Joan.4.10. *& dedit semetipsum pro nobis*, Tit. cap. 2. vers. 14. & ad præscriptam ab eo normam animum moresque nostros exigere. Is quippe est hujus mysterii finis. *Apparuit* enim *gratia Dei salvatoris nostri*, ait idem Paulus ad Tit.2. 11. *omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & juste & pie vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Jesu-Christi*.

Jam vero ut paucis explicemus suscepti operis summam, quæcunque de Incarnationis mysterio disputabuntur, ea undecim omnino quæstionibus absolvemus.

I. Erit de illius nominibus, possibilitate & notitia.
II. De ejusdem convenientia ac necessitate.
III. De existentia.
IV. De ipsius causis.
V. De una Christi persona.
VI. De duplici ejus natura.
VII. De utriusque naturæ hypostatica conjunctione.
VIII. De variis Christi titulis & officiis.
IX. De donis in eum collatis ejusque virtutibus.
X. De ejus satisfactione & merito.
XI. De cultu ei, sanctis in cœlo regnantibus, cruci, sacrisque reliquiis & imaginibus deferendo.

INDEX.

CAP. I.

TRA-



QUÆSTIO PRIMA.

De Incarnationis nominibus, possibilitate & notitia.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Incarnationis nominibus.



INCARNATIONIS mysterium in eo positum est, quod Verbum divinum totam, & integram naturam humanam in personæ suæ communionem ac unitatem assumpserit.

Cum autem ad illud præstandum Dei Filium e cœlo in terram quodam veluti motu descenderit, & in quolibet motu tria distingui possint, terminus *a quo*, terminus *ad quem*, & id quod ex ipso motu exurgit, mysterium hoc variis pro triplici hoc respectu nominibus insignitur.

Primo enim si spectetur veluti terminus *a quo* seu ipsius origo, dicitur

1. *Missio Filii*. Ad Gal. cap. 4. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Joannis 10. 36. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas quia dixi Filius Dei sum*. Et 1. Joannis 4. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*.

2. *Exinanitio ejusdem*. Ad Philipp. 2. 5. *Hoc sentite in vobis, quod &*

in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

3. *Exitus a Patre.* Joannis 16.28. *Exivi a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

4. *Descensus e cœlo.* Joan.6.38. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

Secundo si consideretur terminus *ad quem*, Incarnatio dicitur,

1. *Adventus in mundum*, aut *in carnem*. Joan.16.28. *supra*; & epist. 2. v.7. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Cristum venisse in carnem.*

2. *Acceptio formæ servi.* Ad Philip.2.5. *supra*.

3. *Assumptio humanitatis*. Ita enim vulgo loquuntur Patres, imo & *assumptio hominis*, non quidem prius existentis (qua ratione *assumptionem hominis* rejicit Cyrillus *anathemate* 8. Felix Romanus pontifex *act.* 1. *synodi Ephesinæ*, Maxentius *dialogo* 1. & alii contra Nestorium qui hominem sic a Deo assumptum esse sentiebat) sed hominis citra subsistentiam integri, & eo ipso cum Deo juncti, quo formati; quo modo loqui non dubitarunt Justinus *in Parænetico ad Gentes*; Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de fide cap.* 5. Augustinus *lib.* 11. *de civit. Dei*, *cap.* 20. Prudentius *in Apotheosi*; quin & Cyrillus ipse apud Eulogium *in biblioth. Photii*, *cod.*230.

4. *Oeconomia :* quæ vox, cum per se se benignam quamdam accommodationem in alterius commodum sonet, inde translata est a Græcis ad significandam Incarnationem; qua Filius Dei propter nostram salutem homo fieri dignatus est. Hoc autem nomen, quod apud eosdem a primis usque temporibus usitatissimum fuit, ut videre est ex Clemente Alexandrino *lib.* 5. *strom.* Sancto Athanasio *oratione*.2. &c. non Incarnationem modo designat, sed & omnia ejus consectaria, Christi videlicet ortum, perpessiones, mortem&c. quæ ad ipsius humanitatem pertinent, ut ostendunt Petavius *lib. de Incarnatione cap.* 1. Suicerus *in thesauro ecclesiastico*, verbo *Oeconomia*, & alii bene multi: Unde nata est celeberrima illa divisio, qua Græci iidem omnem de Deo Christoque sermonem ac disputationem in *theologiam* & *œconomiam* partiri solent, quarum prior ea attingit, quæ ad divinitatem spectant; posterior vero, quæ ad Christi humanitatem attinent, complectitur: quod *ibidem*, & *in prolegomenis cap.* 1. idem Petavius monet. Hoc porro ipsum *œconomiæ* vocabulum hac in parte usurpavit inter Latinos Hieronymus *epist.* 65. *ad Pammachium & Oceanum*, aiens " Apollinarem dimidiatam Christi introduxisse œconomiam."

5. *Dispensatio*, qua ratione œconomiæ verbum reddidere Latini Patres, Hilarius *lib.* 9. & 12. *de Trinit.* Vigilius Tapsitanus *lib.* 1. *contra Eutychen*; Facundus Hermianus *lib.* 7. *cap.* 5. Guibertus *lib.* 3. *de vita sua* &c.

Utrum-

Utrumque vocabulum adhibuit Tertullianus *lib. contra Praxeam cap. 3.* sed utroque SS. Trinitatem expressit.

6. *Incarnatio* (græce σάρκωσις) quæ vox ex eo deducta, quod *Verbum caro factum est*, ut ait Joannes *Evangelii cap.* 1. 14. Ab Irenæo *lib. 3. cap.* 21. Nicæna synodo *in symbolo*, & omnibus passim theologis usurpatur ad significandam, non quidem solius corporis, absque anima susceptionem (quod Arianis & Apollinari placuit), sed totius contra humanitatis; idque juxta Scripturæ morem, quæ partem modo hanc, modo illam pro toto ponit: sic Genesis cap. 6. vers. 12. *Omnis caro corruperat viam suam* (id est *omnis homo*) &, ibidem cap. 14. vers. 21. *Da mihi animas* (id est *homines*) inquiebat Abrahamo rex Sodomorum, *cætera tolle tibi*.

7. *Corporatio*, ut loquuntur Tertullianus *de carne Christi*, *cap.* 4. seu *Incorporatio*, quod dixere Gaudentius *serm.* 2. Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de Virginitate*. ἐνσωμάτωσιν eodem sensu appellant Origenes *lib. 6. contra Celsum*; Sanctus Athanasius *de Incarnatione*; Sanctus Basilius *in psal.* 29.

8. *Inhumanatio*, quomodo ἐνανθρώπησιν apud Græcos frequentissimam expressit Facundus *lib.* 9. non quidem sine præfatione veniæ, sed simul notans vocabulum hoc, licet non usitatum apud Latinos, cæteris aptius esse, ad eos præsertim hæreticos revincendos, qui totam humanitatem a Christo non esse assumptam arbitrabantur.

Denique cum ipsum per sese mysterium inspicitur, vocatur,

1. *Unio*, *unitio*, *unitas*, *adunitio duarum naturarum*, divinæ scilicet & humanæ, in unam Christi personam; græce ἕνωσις, & συνάφεια quæ omnia eodem recidunt. *Unionem* vero appellat Fulgentius *de Incarnatione cap.* 4. *unitionem* Leo *serm.* 8. *de nativitate*; Gelasius Papa *in lib. de duabus naturis*; Fulgentius idem *ibidem*, & *in responsione* 2. *ad Ferrandum*; *unitatem* Leo *serm.* 8. *de nativitate*; Vigilius *lib.* 4. *contra Eutychen*; Sanctus Anastasius *in excerptis epist. ad Ursicinum*: *adunitionem* Vigilius *lib.* 1. *contra Eutychen* &c. ἕνωσιν Irenæus *lib.* 4. *cap.* 66. *apud Theodoretum dialogo* 2. Athanasius *lib. de uno Christo*; S. Cyrillus Alexandrinus *anathemate* 3. ac cæteri passim: συνάφειαν denique Basilius *in psal.* 45. S. Chrysostomus apud Theodoretum *dialogo* 2. Damascenus *lib.* 3. *de fide cap.* 18. &c. Notandum tamen est 1. *unionis* vocabulum, cum apud antiquos singularitatem potius quam conjunctionem sonaret, ideoque cum Sabellianis personarum in SS. Trinitate distinctionem tollentibus, tum Eutychianis naturas in Christo confundentibus, esset familiare, a plerisque Patribus esse in utroque hoc capite repudiatum: de quo Hilarium lege in libris *de Trinitate*; synodum Parisinam anni 362. & Vigilium *lib.* 2. *contra Eutychen*. 2. Συνάφειας vocem per sese innoxiam & veterum usu tritam, cum ea Nestorius abusus esset, eodem tempore suspectam & odiosam nonnullis saltem evasisse, ut constat ex Cyrillo Alexandrino *dialogo de uno Christo*.

2. *Mixtio*, *mixtura*, *admixtio*, *commixtio*, *permixtio*, *attemperatio duplicis in Christo naturæ*; græce μίξις, κρᾶσις, ἀνάκρασις, σύνκρασις. 1. Enim nomen adhibet Tertullianus *in Apologet. cap.* 2. & *de carne Christi cap.* 15. Cyprianus *de idolorum vanitate*; Zeno Veronensis *serm.* 3. *de Nativitate*; Leo magnus *serm.* 3. *de Nativit.* Leporius *in libello emendationis*: 2. Augustinus *epist.* 3. 3. Hilarius *lib.* 2. *de Trinit.* 4. Vigilius *lib.* 1. *contra Eutychen*: 5. Novatianus *de Trinit. cap.* 11. & Vigilius *ibidem*: 6. Ambrosius in libello *de paschate cap.* 4. 7. plerique apud Græcos, de quibus Petavius *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 10. ac præsertim Gregorius Nazianzenus *orat.* 42. 8. Gregorius idem *ibidem*, & *in carmine de vita sua*; Chrysostomus *in Eclogis* apud Damascenum *tit.* 13. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 20. *Thesauri*; Nemesius in libro *de natura hominis cap.* 3. 9. Athanasius *orat.* 5. *contra Arianos*; Grægorius Nyssenus *lib.* 1. *contra Eunomium* & *in catechetico cap.* 11. Cyrillus *epist.* 1. *ad monachos*: 10. tandem Gregorius Nazianzenus *epist.* 1. *ad Cledonium* & *orat.* 52. Gregorius Nyssenus apud Theodoretum *dialogo* 2.

Cæterum quoniam hæc vocabula confusionem quamdam ac mutationem naturarum videri poterant inducere, iisque propterea delectabantur Eutychiani, illa a nonnullis rejecta, aut non sine legitima interpretatione admissa sunt: de quo consulendi sunt Amphilochius *in excerptis*, Theodoretus *dialogo* 2. Joannes Damascenus *dial. cap.* 64. & alii.

ARTICULUS II.

De Incarnationis possibilitate.

Duo hic investigabimus: primum an mysterium illud possibile sit: alterum an ratione duce demonstrari possibile queat.

SECTIO I.

An mysterium Incarnationis possibile sit.

INCARNATIONEM esse possibilem negant 1. Gentiles, quibus illa videtur stultitia: 2. Judæi, quibus scandalum etiam est: 3. Sociniani, omnium hæreticorum perniciosissimi. Hi non modo Christum esse Deum inficiantur; sed etiam contendunt Deum nullatenus hominem fieri posse. De quo inter alios videri possunt Socinus ipse sectæ conditor in libro *de Christi natura*; Wolkelius *lib.* 5. Schlichtingius *adversus Meisnerum*, & Crellius *lib.* 2. *de uno Deo Patre*, *sect.* 2.

AS-

A S S E R T I O.

Mysterium Incarnationis eſt poſſibile.

A R G U M E N T A.

Probatur 1. Illud poſſibile haud dubie eſt, quod peractum eſt. Ut enim aiunt philoſophi, ab actu ad poſſe legitima eſt conſecutio. Atqui myſterium Incarnationis reipſa peractum eſt, ut aliquando oſtendemus. Ergo.

Probatur 2. Illud tanquam poſſibile admitti debet, quod nullam includit in ſe evidentem pugnam, & manifeſtam contradictionem. Cum enim ratio ipſa doceat Deum eſſe omnipotentem, ſtatuendum eſt non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, ut loquitur Angelus in hoc Incarnationis negotio, *Lucæ* 1. 27. hoc eſt nullam rem ei eſſe impoſſibilem, niſi ita repugnet, ut palam ſit illam omnino eſſe non poſſe. Atqui nullam id genus pugnam includit myſterium Incarnationis, ut ex dicendis mox patebit. Ergo.

O B J E C T I O N E S.

Cum in Chriſto tria diſtingui ac ſecerni poſſint, Verbum ſcilicet, humana natura, & utriuſque conjunctio, ex triplici hoc fonte ſua adverſus Incarnationis poſſibilitatem momenta depromunt Sociniani, quibus inſuper alia ſponte addiderunt e ſchola theologi.

Quod igitur pertinet ad Deum Verbum,

Objiciunt 1. Quod certo tempore fit, antea non erat. Ergo ſi Deus Verbum caro factum eſt, antea non exiſtebat. At abſurdum eſt Deum aliquando non extitiſſe. Ergo.

Distinguo antecedens: quod fit ſimpliciter, id eſt quod a non eſſe tranſit ad eſſe; concedo, quod fit ſecundum quid, id eſt ſecundum aliquid ei adveniens: ſubdiſtinguo: antea non erat id quod fit; concedo: non erat ulla ex parte; nego. Quod ergo fit ſimpliciter, antea quidem non erat; ſed quod fit ſecundum quid, hoc eſt aliud quod antea non erat, neceſſario exiſtebat penes aliquid. Sic cum Adamus e limo effingi cœpit, antea non erat, ſed cum afflante Deo factus eſt in animam viventem, ut ait Scriptura *Geneſ.* 2. 7. jam penes corpus exiſtebat. Ita Tullius cum a parentibus procreatus eſt, antea non erat; ſed erat, & quidem multis ante annis, cum factus eſt conſul. Porro Verbum non ſimpliciter factum eſt, cum carnem induit; jam enim erat ab omni æternitate, & quidem non factum: ſed factum eſt caro, cum antea tantum eſſet Deus. Poteſt etiam dici, id quod fit, antea non fuiſſe id quod fit, licet alia ex parte jam eſſet. Ita Cicero non erat conſul, antequam conſul fieret; quamvis aliunde

jam esset homo. Hoc autem concedimus Verbum non fuisse hominem, antequam homo fieret. Sed id adversum nos nihil facit. Itaque pueriliter hic pugnant Sociniani.

INSTABIS 1. Quod fit aliud, desinit esse quod erat. Atqui Deus non potest desinere esse quod est. Ergo non potest fieri homo.

DISTINGUO majorem: quod fit aliud per sui conversionem; concedo: per accessionem novæ cujusdam rei; nego. Duplici igitur modo aliquid potest fieri aliud (quicquid hic obganniant adversarii) nempe vel per sui ipsius conversionem, qua ratione panis, quo alimur, fit nostra caro; vel per novæ duntaxat rei accessionem, qua ratione Cicero factus est consul accessione novæ dignitatis. Equidem quod fit aliud per sui conversionem, desinit esse quod antea erat; sic panis desinit esse panis, quando versus est in humanam carnem: sed quod fit aliud accessione duntaxat novæ cujusdam rei, illud idcirco non desinit esse quod erat. Ita Cicero non desiit esse homo, cum factus est consul; nec marmor desinit esse marmor, cum fit Mercurius. Verbum autem divinum pari jure factum est homo manendo quod erat, ut loquuntur philosophi, & assumendo quod non erat.

INSTABIS 2. Quod fit aliud novæ cujuspiam rei accessione, illud saltem mutatur. Atqui Deus mutari non potest. Ergo.

DISTINGUO majorem: mutatur, si rem illam novam, quæ accedit, in se intrinsecus recipiat, ut subjectum formam aliquam aut modum quo perficiatur; vel ab aliquo extrinseco perfectionem aliquam mutuetur; concedo: secus; nego. Cum ergo res aliqua existit, ea jam non potest intrinsecus mutari, nisi aliquid intrinsecum naturæ suæ acquirat aut admittat, vel ab aliquo extrinseco perfectionem aliquam mutuetur. Jam vero nihil ejusmodi hic occurrit. Cum enim Verbum caro factum est, nec id amisit quod habebat, nec aliquid intra naturam suam receptum aut perfectionem aliquam extrinsecus acquisivit, sed solummodo naturam humanam, quam antea non terminabat, ut persona terminare cœpit. Si qua igitur mutatio tunc fuit, ea Verbi non fuit, sed naturæ humanæ, quæ cum non esset, tunc creata est, & ad novam dignitatem evecta.

INSTABIS 3. Deus factus est intrinsece homo. Natura enim humana in Christo non est extrinsecus duntaxat Verbo ascita, sed ita intime conjuncta, ut cum natura divina in unam eamdemque personam coalescat. Ergo mutationi obnoxius fuit.

DISTINGUO antecedens: factus est intrinsece homo naturam humanam in personæ unitatem assumendo, eamque terminando duntaxat; concedo: naturam humanam instar formæ cujusdam in se recipiendo, aut aliquam ex ejus accessione perfectionem mutuando; nego. Duplici ergo tantum in casu mutatio intrinseca admitti potest: ac 1. quidem in receptione novæ cujusdam formæ sive substantialis sive accidentalis, aut

vete-

veteris amiſſione : 2. in unione extremorum, quando & qua parte illa perfectionem aliquam, qua carebant, adipiſcuntur. Neutrum autem hic reperitur. 1. Enim natura humana non recipitur inſtar formæ cujuſdam ſubſtantialis aut accidentalis in divina tanquam in ſubjecto. 2. Nullam affert Verbo novam perfectionem, quando cum ipſo jungitur. Itaque illa unio dicitur intrinſeca, non quod intra ipſa naturæ viſcera fiat; ſed quod non ſit moralis quædam conjunctio penes affectum duntaxat, qualis eſt amicorum; aut extrinſeca, qualis olim fuit corporum ab angelis ad varias functiones aſſumptorum; quod Neſtorius ſentiebat. Uno verbo dicitur intrinſeca, quod ejus beneficio natura humana in unum idemque ſuppoſitum cum divina coeat.

Instabis 4. Nova denominatio intrinſeca non accedit citra aliquam mutationem. Atqui ſi Verbum intrinſece factum eſt homo, nova haud dubie ei acceſſit hæc hominis intrinſeca denominatio.

Distinguo majorem : citra mutationem non contingit nova denominatio intrinſeca petita ex receptione novæ cujuſdam formæ, ut cum homo ex ignaro fit doctus; concedo: petita duntaxat ex naturæ cujuſdam novæ diſtinctæ & integræ conjunctione, ſubdiſtinguo: ſi ex illa conjunctione exurgat in eo quod conjungitur nova quædam perfectio; concedo: ſecus; nego.

Instabis 5. Quando corpus, & anima ſimul conjunguntur, non modo corpus, quod anima perficitur, tunc cenſetur mutari; ſed etiam ipſa anima, quæ corpus perficit. Ergo pari jure Deus, quando cum natura humana conjungitur, etſi illam perficiat, nihilominus mutari cenſendus eſt.

Nego conſequentiam & paritatem. Diſcrimen eſt, quod corpus & anima ſint ex natura ſua partes ejuſdem totius: cum autem ejuſmodi partes ſecum invicem uniuntur, ſeſe mutuo complent ac perficiunt. Proinde quamvis anima, quatenus eſt ſpiritalis & forma, corpus perficiat, quod materiæ locum habet in homine; attamen quatenus eſt pars, per illam conjunctionem perficitur ac completur. Supra autem notavimus extrema, quæ uniuntur, tunc mutari quando ex illa unione perfectio quædam ad ea redit. At vero non ita ſe habent divinitas & humanitas in Chriſto: ſunt enim integræ per ſeſe naturæ, nec una alterius conſortium poſtulat.

Instabis 6. At humanitas & divinitas confluunt in unum idemque compoſitum, ideoque dicuntur ipſius partes, ut aliquando declarabimus. Ergo non minus cenſendæ ſunt mutationi eſſe obnoxiæ quam corpus & anima in homine, nec minus mutuo ſeſe perficere.

Distinguo antecedens : confluunt in unum idemque compoſitum in ratione ſuppoſiti ſeu perſonæ, ideoque dicuntur partes improprie; concedo : in unum idemque compoſitum in ratione naturæ, ideoque dicuntur proprie partes, quales ſunt corpus & anima; nego. Quocirca quæ partes ſimul confluunt ad unam aliquam naturam totalem conſtituendam,

qualis est hominis, eæ profecto sunt natura sua incompletæ, sesequc invicem exigunt: proinde cum uniuntur, sese mutuo complent ac perficiunt. At non eadem ratio divinitatis est & humanitatis in Christo: simul enim junctæ non unam in ipso totalem naturam constituunt; sed sub uno tantum eodemque supposito continentur. Proinde non ideo minus per se integræ sunt, & in hoc genere completæ. Quapropter cum dicuntur partes, non ita proprie appellantur.

INSTABIS 7. Licet natura humana integra sit per sese: attamen, quando cum divinitate conjungitur, censetur esse mutationi obnoxia. Ergo eodem jure divinitas.

NEGO consequentiam & paritatem. Discrimen est quod natura humana illo nexu perfectionem adipiscatur; non ita divina. Ac humana quidem natura perficitur, quia a Verbo subsistentiam, hoc est ultimum suum complementum accipit: non perficitur autem divina, quia nihil ex natura humana mutuatur. Si quid enim ex ea mutuaretur, maxime unionem. At unio non est quid ab extremis unitis distinctum, quod in utraque natura recipiatur: & si quid esset distinctum, in humana ad summum natura, quæ ea indigeret, reciperetur, non vero in divina, quæ cum perfectissima sit & infinita, quamlibet illius unionis vim eminenter contineret in se. Ergo non esset ea de causa mutationi obnoxia. Quod enim non semel monuimus, quando extrema quædam uniuntur, ea duntaxat mutantur, quæ illa unione perfectionem aliquam novam sortiuntur.

OBJICIES 2. Non potest Deus fieri homo quin ex naturis integris, divina scilicet & humana, aliquod exurgat aggregatum per accidens, quando simul plura entia integra coeunt. Atqui. Ergo &c.

NEGO majorem. Ad probationem distinguo: tunc fit aggregatum per accidens, cum simul coeunt plura entia integra cum in ratione naturæ tum in ratione suppositi; concedo: integra in genere naturæ, non in genere suppositi; nego. Aggregatum ergo est per accidens, cum plura simul supposita vel fortuito casu, vel arte coalescunt, qualis est domus aut lignorum strues. At licet duæ naturæ Christi sint in hoc genere integræ, non sunt tamen duo supposita, sed unum. Christus ergo est ens per se, non per accidens.

OBJICIES 3. Non potest Verbum incarnari, quin simul Pater & Spiritus-sanctus incarnentur, cum sint inter se quid unum. Ergo impossibilis est illa Verbi propria Incarnatio, quam catholici admittunt.

DISTINGUO antecedens: si unio, in qua posita est Incarnatio, facta sit in natura divina, in qua tres personæ sunt quid unum; concedo: si facta sit in persona, qua parte sunt distinctæ, sibique mutuo opponuntur; nego. Jam vero unio non est facta in natura, sed in propria Verbi persona. Non enim Verbum naturam humanam terminat per divinitatem suam, sed per peculiarem sibi subsistentiam.

INSTABIS 1. Natura divina non distinguitur a Verbi subsistentia. Ergo non potest esse facta unio in subsistentia, quin simul facta sit in natura.

DIS-

Distinguo antecedens : non diſtinguitur realiter ; concedo : virtualiter ; nego. Porro diſtinctio virtualis ad id ſatis eſt. Quemadmodum enim illa ſufficit, ut poſſit Pater generando Filium ei naturam ſuam communicare, non vero ſubſiſtentiam propriam ; ita ſatis eſt ut Filius naturam humanam terminet per ſubſiſtentiam ſuam, non vero per naturam communem.

Instabis 2. Opera trium perſonarum ad extra ſunt indiviſa juxta vulgare adagium. Atqui Incarnatio eſt opus ad extra. Ergo trium eſt ſimul perſonarum.

Distinguo minorem : Incarnatio, quatenus eſt naturæ humanæ creatio ; concedo : quatenus eſt formalis unio cum aliqua perſona ; nego. Incarnatio igitur eſt a tribus ſimul perſonis efficienter, ut ajunt ſcholæ, quia tota ſimul Trinitas concurrit ad efformandam illam naturam, quæ cum Verbo uniretur ; ſed formaliter eſt ſolius Verbi, quia Verbum ſolum naturam iſtam hypoſtatice ſibi conjunxit.

Objicies 4. Quod ſubſiſtit per ſeſe, id non poteſt amplius alteri communicari. Subſiſtentia enim ultimum eſt ſubſtantiæ complementum. Atqui Verbum divinum, ut pote perſona divina, per ſe ſubſiſtebat. Ergo non potuit naturam humanam in hypoſtaſeos ſuæ communionem accipere.

Distinguo majorem : id non poteſt amplius alteri communicari ut perſonæ ; concedo : ut naturæ ; nego. Subſiſtentia enim definitur ultimum ſubſtantiæ complementum, reddens eam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito, quia nempe ipſa ſuppoſitum facit. Porro Verbum divinum non perſonam humanam, ſed naturam duntaxat ſecum copulavit.

Jam quod ſpectat ad naturam humanam.

Objicies 1. Non poteſt Verbum incarnari, quin natura humana propria careat ſubſiſtentia ac perſonalitate. Atqui id fieri non poteſt. Perſona enim eſt naturæ rationalis individua ſubſtantia. Atqui non poteſt eſſe in rerum natura humana quævis ſubſtantia, quin eo ipſo ſit individua. Ergo non poteſt eſſe, quin ſimul perſona ſit.

Nego minorem. Ad probationem diſtinguo minorem : perſona eſt naturæ rationalis individua ſubſtantia, id eſt, totum aliquod conſtituens, alteri incommunicabile ; concedo : id eſt ſubſtantia particularis, non autem univerſalis ; nego. Natura ergo rationalis, non eo ipſo eſt perſona, quo eſt particularis. Perſonalitas enim eſt modus aliquis & inſuper accidens, quo in ſeipſa illa ita exiſtit, ut alteri non communicetur tanquam ſuppoſito. Hoc autem modo caret in Chriſto humana natura, utpote in ſuppoſiti communionem aſcita.

Instabis 1. Subſiſtentia & perſonalitas non diſtinguuntur ab ipſa natura. Ergo non poteſt eſſe natura, quin illico ſit ſubſiſtentia.

Distinguo antecedens : non diſtinguuntur tanquam res a re ; concedo : ut modus ; nego. Res autem poteſt eſſe ſine certo modo, v. g. poteſt

poteſt eſſe digitus citra flexionem. Proinde natura humana poteſt eſſe pari jure citra ullam propriam ſubſiſtentiam, ſi aliena videlicet communicetur.

INSTABIS 2. Non magis natura quæpiam poteſt aliena ſubſiſtentia ſubſiſtere, quam exiſtere aliena exiſtentia. Atqui abſurdum eſt aliquid exiſtere aliena exiſtentia.

NEGO majorem & paritatem: quia nimirum exiſtentia primus eſt rei modus, ab ipſa non diſtinctus, ipſique neceſſario proprius. Eſt enim id, per quod res aliqua eſt extra nihil. Si ergo ſuam illa non haberet exiſtentiam, eſſet ſimul & non eſſet: quæ duo inter ſe pugnant. At ſubſiſtentia modus eſt ſecundarius rei, quo illa res in ſe ita eſt, ut in alio ſuppoſito non ſit, quo ſubſiſtat, qui modus eſt ſeparabilis. Non repugnat enim aliquid eſſe & in alio eſſe.

INSTABIS 3. Natura humana integra eſt in Chriſto. Ergo peculiare totum ipſa per ſe conſtituit.

NEGO conſequentiam: aliud enim eſt naturam eſſe integram ac totam: aliud eſt totum quoddam peculiare conſtituere. Non enim totum eſt, quia pars eſt totius. Atqui natura humana a Chriſto evecta eſt ad ſuppoſiti ſui participationem. Ergo.

INSTABIS 4. Non minus natura humana in Chriſto eſt aliquod totum, quam Verbum ipſum. Atqui haud dubie Verbum pro toto habetur. Ergo.

NEGO majorem & paritatem. Diſcrimen eſt, quod Verbum divinum ſit ipſa perſona quæ ad ſe traxit humanam naturam eique ſuam hypoſtaſim communicavit, qua ſubſiſteret. At natura humana nec Verbum divinum aſſumpſit nec ei ſubſiſtentiam impertita eſt. Humana igitur natura pars eſt; Verbum vero eſt totum. Quapropter humana natura rectius conſerretur cum divina, cum ex utraque Verbi divini perſona coaleſcat. Jam vero natura divina præciſe non eſt totum Chriſti ſuppoſitum, ſed potius eſt ipſius pars: quanquam in hoc etiam differt natura divina ab humana, quod hypoſtaſis Chriſti ſit nativa ac propria divinitatis, non item humanitatis.

INSTABIS 5. Illud per ſe ſubſiſtit, quod non inhæret. Atqui natura humana non poteſt inhærere, quia non poteſt eſſe accidens. Ergo per ſe neceſſario ſubſiſtit.

DISTINGUO majorem: per ſe ſubſiſtit, hoc eſt, ſubſtantia eſt, non accidens; concedo: id eſt, aliquod per ſe ſpeciale totum facit; nego. Anima enim in homine v. g. non inhæret, nec eſt accidens: neque tamen ideo propriam habet ſubſiſtentiam; quandoquidem pars una eſt humani ſuppoſiti.

INSTABIS 6. Subſiſtentia eſt aliqua perfectio naturæ humanæ. Atqui natura humana in Chriſto nulla caret perfectione.

DISTINGUO majorem: eſt aliqua perfectio non eſſentialis, & quæ alia nobiliore ſuppleri poteſt; concedo: eſſentialis aut quæ alia nobiliore

liore suppleri non possit; nego. Quocirca natura humana in Christo suas omnes habet perfectiones essentiales; quod si vero quadam careat non essentiali, ea per nobiliorem compensatur; subsistentia enim humana per divinam suppletur.

Instabis 7. Subsistentia non est perfectio accidentalis. Ergo essentialis est.

Nego consequentiam. Est enim modus substantialis: sed non ideo essentialis.

Instabis 8. Si humana in Christo natura propria caret subsistentia, quæ perfectio quædam est, non erit Christus homo perfectus. Atqui Christus debet esse homo perfectus. Ergo.

Distinguo majorem: non erit homo perfectus, quoad hunc modum non essentialem; concedo: quoad omnes naturæ humanæ partes; nego. Ideo autem dicitur homo perfectus, quod omnibus humanæ naturæ partibus ac numeris fuerit absolutus & ornatus. Adde, quod mox notavimus, modum hunc, qui deest, alio longe excellentiore compensari.

Objicies 6. Non potest natura humana in unam cum Deo personam coalescere, quin eo ipso immensa, infinita & omnipotens evadat. Atqui hoc fieri non potest.

Nego majorem. Ut enim postea demonstrabimus, duæ naturæ ita in Christo coaluerunt, ut utraque proprietates suas servaverit.

Instabis. Si humana natura non sit tam immensa quam Verbum ipsum divinum, non erit cum toto Verbo conjuncta. Atqui.

Nego sequelam. Est enim juncta toti Verbo, sed eo tantum in loco ubi posita est, non autem ubique. Sed de hoc in decursu operis adversus Lutheranos Ubiquistas, ubi de idiomatum communicatione disputabimus.

Tandem ut solvatur quæ ex utriusque naturæ nexu obtenditur repugnantia,

Objicies 1. Quæ infinito intervallo distant, ea non possunt secum uniri. Atqui Deus & homo infinito intervallo a se mutuo distant. Ergo.

Distinguo majorem. Si nulla sit inter illa proportio; concedo: si quædam sit proportio; nego. Porro quædam est naturam humanam inter & Deum hac in parte proportio. Natura enim humana id habet, quod assumi queat in personæ alterius communionem: Deus autem vim habet infinitam ad eam assumendam. Non minus ergo potest Deus cum homine conjungi, quam ab ipso cognosci, ut in se est, & possideri.

Instabis. Nulla est finiti ad infinitum proportio, juxta commune pronunciatum.

Distinguo antecedens: nulla est proportio quoad mensuram; concedo: alia ex parte; nego. Hoc enim adagium obtinet tantum in re-

bus

bus quantitatem habentibus. Earum porro si una sit infinita, altera finita, nulla sane est quoad mensuram inter ambas proportio. Itaque alio trahi non oportet.

Objicies 2. Duæ naturæ perfectæ non possunt in unum idemque suppositum confluere.

Distinguo antecedens: perfectæ tum in ratione subsistendi, tum in ratione essendi; concedo: in ratione tantum essendi; nego. Perfecta autem in ratione essendi natura est, quæ omnia habet sua prædicata essentialia: in ratione vero subsistendi perfecta est, quando per sese & seorsim ab alio quovis completa omnino est. Talis autem non est in Christo natura humana.

Objicies 3. Repugnat unam eamdemque personam esse simul finitam & infinitam, immensam & loco circumscriptam.

Distinguo antecedens: esse simul finitam & infinitam eodem respectu; concedo: diverso respectu; nego. Non enim pugna est & contradictio, nisi sit de eodem & penes eumdem respectum: quod hic locum non habet. Christus enim infinitus est qua Deus; finitus qua homo.

SECTIO II.

An mysterium Incarnationis demonstrari queat possibile sola ratione duce.

Antequam ultra progrediamur, quædam observanda sunt.

Ac 1. quidem in scholis duplici modo dici quidpiam demonstrari; positive nimirum, quando certis & indubitatis momentis astruitur; & negative, cum ea omnia quæ objici possunt non sine veri specie dissolvuntur: quamvis fatendum sit non esse hoc, si accurate loqui voluerimus, demonstrationis genus.

2. Demonstrationem positivam posse fieri vel a priori per causas, vel a posteriori per effectus.

3. Cum disputatur an ratione duce mysterium Incarnationis demonstrari possibile queat, hunc esse quæstionis sensum, an videlicet ratio in se ipsa sistens aut naturæ contemplatione, ad certam & evidentem usque hujus mysterii notitiam assurgere possit.

4. Hance quæstionem bifariam institui; posita nempe fide, quæ præluceat; vel ea seposita.

ASSERTIO I.

Mysterium Incarnationis negative demonstrari potest possibile.

Probatur. Quia solvi possunt quæcunque adversus ejus possibilitatem opponuntur, ut ex antedictis manifestum est.

AS-

ASSERTIO II.

Mysterium Incarnationis ratione duce nequit positive demonstrari possibile, sive adsit, sive absit fides.

ARGUMENTA.

Probatur 1. ex Scripturis quæ asserunt mysterium illud non modo fuisse semper absconditum, sed etiam esse investigabile, & citra revelationem non innotescere. *Matthæi* enim 16. 17. cum Petrus a Christo interrogatus confessus esset Christum Filium Dei vivi, Deum scilicet incarnatum, *Beatus es, Simon bar-Jona*, inquit, idem Christus, *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est*.

1. Cor. 2. 7. de Christi Incarnatione loquens Apostolus, *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quam nemo principum hujus seculi cognovit*.

Ephes. 3. 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo*.

Coloss. 1. 26. idem Paulus illud vocat *Mysterium quod absconditum fuit a seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus*.

Probatur 2. ex Patribus.

Athanasius enim in libro *de uno Christo*, hunc esse omnium errorum contra Incarnationis mysterium, fontem pronunciat, " Quod temerarii homines suis ratiocinationibus & græcæ philosophiæ ope summa " & incomprehensa percipere contendant, potius quam fide consequi.

Chrysostomus *homil.* 4. *in Matth.* in eos declamans, qui rationis beneficio hoc mysterium conantur assequi, " Cumulum excedunt furoris qui ineffabilem illam generationem Dei hominis, vel cogitationibus investigari putant, vel vocibus indicari.

Ambrosius *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 1. " Quid mirum, inquit, si mysterium veritatis & Domini nostri Jesu-Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec angeli cognoscere nisi revelatione potuerunt.

Augustinus *epist.* 137. olim 3. *ad Volusianum*, *num.* 8. de hoc ex professo agens, " Hic si ratio quæritur, inquit, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

Cyrillus Alexandrinus *lib.* 3. *contra Nestorium*, " Illud Christi mysterium, inquit, est revera sapientia, nec humana quidem ullo modo, sed divina potius, in reconditis quibusdam profunditatibus & incomprehensis difficultatibus posita, quæ ingenii humani captum su-

" pe-

„ peret. " Vide & *in epistola ad Reginas*, ubi ait " Illud a nulla crea-
„ ta mente intelligi posse. " Et *in epist. ad Theodosium*, *parte* 3. *concilii Ephesini*, *cap.* 13. ubi hoc ipsum vocat " Indeprehensibile mysterium. Et *de Incarnatione unigeniti*, *cap.* 7. ubi asserit " Illud esse omni hu-
„ mana cognitione superius.

Adde Dionysium, vulgo Areopagitam, *de divinis nominibus*, *cap.* 2.
„ *parte* 2. vocantem illud " Ineffabile sermone omni, & omni ignotum intelligentiæ: " Synodum Toletanam II. Augustini verba usurpantem: Agapetum papam *epist. ad Antimum*, ubi ait " Sola fide cerni posse: " Gregorium Magnum *homil.* 7. *in Evang.* ubi ait hoc mysterium esse investigabile: & alios passim, qui eodem modo locuti sunt & senserunt.

PROBATUR 3. triplici ratione.

Prima est, quod duplex sit tantum demonstrationis genus, a priori scilicet per causas necessario connexas, & a posteriori per effectus. Duplicis enim duntaxat ordinis effectus secerni possunt, naturales nimirum (de quibus solis hic præcipue agitur) & supernaturales. At 1. Incarnatio non demonstratur a priori per causas. Sola enim ejus causa est Dei potentia ac voluntas liberrima, ut aiebat etiam mox Augustinus, " In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. " 2. Non potest demonstrari per effectus naturales. Opera enim Christi naturalia, perpessiones, mors & alia id genus, nedum demonstrare queant mysterium Incarnationis, effecerunt contra ut Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia videretur. Quod Apostolus monet 1. *Cor.* 1. 13. At nec demonstrari potest per effectus supernaturales præcise. Hæc enim ostendere quidem possunt hominem a Deo missum ejusque virtute operantem; sed non necessario postulant Deum incarnatum; cum non minora facta sint ab apostolis eorumque successoribus, quam a Christo. Ergo.

Secunda est, quod in rerum natura nihil omnino simile occurrat Incarnationi. Quocirca ratio sibi permissa non modo mysterium illud non detegeret, sed in ejus suspicionem ne veniret quidem.

Tertia. Si fingamus hominem fidei lumine destitutum solo rationis ductu in hancce quæstionem incidere, tot illico apparebunt in eo mysterio specie tenus pugnantia, ut nunquam ex his ambagibus sese sit expediturus, & in errorem potius inclinaturus sit, quam in veritatem. Quis enim capiat quo pacto citra ullam mutationem, Deus fiat homo? qua ratione citra imperfectionem natura divina cum creata in compositionem ejusdem totius veniat? quomodo natura suam non habeat subsistentiam? qui fiat ut ex duabus integris naturis una exurgat persona? &c. Neque vero id mirum si erraret homo ille, qui de rebus divinis supra humanæ mentis captum positis temere judicare vellet.

Atque hæc quidem duplex postrema ratio evincit illud demonstrari non posse nondum facta revelatione; sed prima Patrumque & Scriptu-

ræ testimonia probant posita etiam revelatione, rationem nihil ex se habere quo hoc mysterium demonstrare possit.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Illud positive demonstrari potest possibile, quod demonstratur non esse impossibile. Atqui ex superiori assertione mysterium Incarnationis negative demonstratur esse possibile, hoc est demonstratur non esse impossibile. Ergo.

Nego minorem. Negative enim demonstrari possibile, est duntaxat non demonstrari impossibile, solvendo scilicet non sine quadam veri specie, quæ contra opponuntur. At licet hæc duo, *non demonstrari impossibile*, & *demonstrari non impossibile* similia videantur; attamen non parum discriminis inter utrumque est. Ut enim aliquid non demonstretur impossibile, satis est si utcunque & probabiliter respondeatur adversariis impossibilitatem demonstrare conantibus. At vero ut demonstretur aliquid impossibile non esse, adesse oportet argumenta certa & evidentia, quibus ostendas nullam in eo esse repugnantiam. Hoc autem postremum ratio non habet, sed primum duntaxat, & quidem si fidei lumine prius illustretur. Quanquam, ut supra notavimus, non est hoc proprie dictum demonstrationis genus.

Instabis 1. Nullum est medium inter demonstrari possibile & demonstrari impossibile. Atqui mysterium Incarnationis saltem non demonstratur impossibile. Ergo demonstrari potest possibile.

Nego majorem. Non sunt enim duo, ut ajunt, contradictoria, quæ opponantur, ut ens & non ens. Demonstratio enim possibilitatis, & demonstratio impossibilitatis sunt duæ demonstrationes positivæ.

Instabis 2. Nihil est medium inter possibile & impossibile. Ergo nec ullum esse medium potest inter demonstrari possibile & demonstrari impossibile.

Nego consequentiam & paritatem. Cujus discriminis ratio mox allata est. Possibile enim & impossibile sunt duo contradictoria, quæ opponuntur ut ens & non ens: non item alia.

Objicies 2. Evidens est ac demonstrari potest Deum esse omnipotentem, proinde facere posse quidquid non repugnat. Atqui mysterium Incarnationis non repugnat.

Distinguo majorem: proinde facere posse quidquid non repugnat, & quod demonstrari potest non repugnare; concedo: si demonstrari non possit illud, de quo agitur, non repugnare; nego. Ut enim aliquid demonstretur possibile, non satis est si cognoscamus Deum esse omnipotentem; sed insuper requiritur ut evidens sit rem illam non repugnare. Quandiu enim hoc evidens non erit, nec evidens esse poterit rem illam a Deo fieri posse.

Instabis. Non magis repugnat Deum cum humana natura fieri unam

unam personam, quam corpus cum anima. Ergo vel ipsa rerum natura exempla suppeditat, quibus adducamur ut credere possimus naturam divinam & humanam in unum idemque suppositum posse coalescere.

Distinguo antecedens : non magis repugnat reipsa, concedo : non magis videtur repugnare; nego. Deus enim longe magis distat ab homine, quam corpus ab anima : deinde corpus & anima spectantur tanquam partes natura sua incompletæ & ad mutuam conjunctionem per sese tendentes, ut hominem conficiant. At Deus est per sese completus & undequaque perfectus. Aliunde vero natura humana tota est & integra. Major ergo videtur esse ex illa parte, quam ex altera repugnantia. Quanquam, ut egregie monet S. Augustinus *epist.* 137. nec conjunctionem animæ cum corpore crederemus, nisi experientia comprobaremus. " Si enim, inquit, utrumque nobis inexpertum credendum " præciperetur, quid horum citius crederemus?

Instabis 2. Sancti Patres hoc exemplo aliisque id genus utuntur, quibus Incarnationis mysterium probent non repugnare. Exemplum enim 1. corporis & animæ usurpat auctor *symboli* Athanasio ascripti aliique frequenter : 2. rami in arborem insiti, Theodoretus dialogo *inconfusus* : 3. ferri candentis, in quo ignis cum ipso ferro unum quid efficere videtur, Basilius *de humana Christi generatione* : 4. vocis, quæ mentis est cogitatio sono induta, S. Augustinus *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 12. *&* 13. Ergo illa aptissima sunt ad Incarnationis mysterium demonstrandum.

Distinguo antecedens : quibus probent utcunque, & qualicunque ratione suadeant aut illustrent; concedo : quibus illud demonstrari efficaciter putent; nego. Mens ergo Patrum his exemplis aliisque similibus utentium nunquam fuit, iis efficaciter & dilucide demonstrare mysterium Incarnationis (quod ipsimet fieri non posse declarant) : sed utcumque duntaxat illustrare apud rudes, & qualicunque ratione suadere nondum illud credentibus. Quocirca illi sunt quidem in hoc utroque capite imitandi, cum occasio se præbet, sed non ideo sunt adversus communem theologorum sententiam, quam hic propugnamus, adducendi, quasi ab iis diffideant.

Objicies 3. Miracula Christi certo & evidenter ostendebant ipsum esse Deum; proinde Deum esse incarnatum. Christus enim ipse Joan. 10. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei*, inquit, *hæc testimonium perhibent de me*. Et versu 38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis quia Pater in me est, & ego in Patre*. Quod etiam sentiunt Patres, Athanasius *in libro de humanitate Verbi*, Cyrillus *lib.* 8. *contra Julianum* &c. Et una cum iis S. Thomas 3. *parte*, *quæst.* 43. *&* 44. & alibi. Ergo Judæi tunc temporis sola ratione duce poterant mysterio Incarnationis cognoscere, & etiamnum potest illud idem mysterium eadem via adversus gentiles demonstrari.

Responded 1. id ad controversiam nostram non pertinere, quæ tota

tota intra naturæ ordinem ſe continet, cum miracula ſupra naturam poſita ſint.

Respondeo 2. Diſtinguo antecedens: miracula Chriſti oſtendebant ipſum eſſe Deum, quatenus conjungebantur cum ejuſdem Chriſti teſtimônio hæc eadem miracula in divinitatis ſuæ argumentum patrantis; concedo: quatenus in ſe præciſe ſpectabantur, ut Chriſti effectus; nego. Abſit igitur ut negemus Chriſti divinitatem certo & evidenter colligi ex ipſius miraculis, quatenus ab ipſo edita ſunt, ut ſe Deum eſſe doceret. Non poteſt enim non eſſe verum, quod ex profeſſo miraculis aſtruitur: alias Deus ipſe, cujus potentia & auctoritate miracula fiunt, in errorem nos induceret, ſed tamen miracula ipſa, ſi præciſe in ſe conſiderentur, ut erant effectus Chriſti, & ab ejus teſtimonio ſeparantur, non poterant evidenter aſtruere ejus divinitatem; cum ab alio, quam a Deo incarnato miracula fieri poſſint, & ſæpenumero facta ſint. Illa itaque evidentia non eſt rei in ſe, ſed in teſtificante, ut loquuntur theologi: pendet enim ex aſſertione & teſtimonio ipſius Chriſti. Evidentiam porro rei ipſius quærimus, quæ ne in effectibus quidem ſupernaturalibus reperitur, ut modo declaravimus.

Objicies 4. Solius rationis ope compertum habere poſſumus multa olim de Chriſto edita eſſe vera & in eo vere impleta vaticinia. Atqui hæc eadem vaticinia certo & evidenter aſtruunt ejus divinitatem. Ergo.

Distinguo majorem: vaticinia quæ ſunt teſtimonia quædam extrinſeca; concedo: quæ ſunt ipſi Incarnationi intrinſeca momenta; nego. Quapropter quæſtio hic non eſt an ex teſtimoniis quibuſdam extrinſecis evinci poſſit Incarnationis myſterium; hoc enim ſponte concedimus: ſed an momentis intrinſecis demonſtrari queat, id eſt per cauſas aut effectus, quæ certam cum eo neceſſitudinem habeant.

Instabis. Illud demonſtratur evidenter eſſe poſſibile, quod demonſtratur evidenter eſſe credibile. Atqui myſterium Incarnationis ex his prophetarum oraculis, veteris ac novi fœderis admirabili conſenſione, & reliquis id genus certo probatur eſſe credibile. Ergo.

Nego antecedens. Demonſtratio enim poſſibilitatis ex momentis intrinſecis eruenda eſt: demonſtratio autem credibilitatis ex teſtimoniis extrinſecis repeti poteſt.

ARTICULUS III.

De notitia myſterii Incarnationis.

Quæstio eſt an Incarnationis myſterium, ſive futurum, ſive peractum, angelis beatis, dæmonibus, Adamo, veteribus patriarchis, Judaicæ nationi, viris ex ea ſanctis, cæteris gentibus, aut nonnullis ſaltem gentilibus, notum fuerit.

SECTIO I.

An notum fuerit angelis beatis hoc mysterium.

ASSERTIO

ANgelos beatos non latuit hoc mysterium tam futurum quam peractum.

Probatur 1. pars. Cum enim multa nec obscura in Scripturis sanctis de hoc futuro mysterio vaticinia extent, quibus homines in venturi Messiæ fidem adducti sunt, incredibile est angelos beatos hominibus longe perspicaciores, nec Deo minus charos, in ejusdem notitiam non venisse. Et vero missus est Gabriel angelus ad mysterium hoc futurum beatæ Virgini Mariæ annunciandum. Quod cæteris item angelis simul innotuisse non dubitat Cyrillus *libro ad Theodosium de recta fide*.

Probatur 2. pars. 1. Enim statim atque Deus introduxit primogenitum in orbem terrarum, voluit ut omnes angeli eum adorarent, *Hebr.* 1. 6. Non adoraverunt autem, nisi quem noverant. 2. Testatur idem Apostolus angelis apparuisse seu manifestatum esse Deum carne indutum, 1. *Tim.* 3. 16. 3. Simul natus est Christus, non modo ex Angelis unus apparuit pastoribus, iisque dixit, *Natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus*, Lucæ 2. 11. sed etiam *facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, versu 13. 4. Cum post quadraginta jejunii dies esurire cœpisset Christus, *Ecce*, inquit Matthæus 4. 11. *angeli accesserunt, & ministrabant ei*.

Objicies 1. Angeli post ascensionem Christi interrogabant quisnam ille esset, Psal. 23. 8. & 10. *Quis est iste rex gloriæ?* Isaiæ 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Ergo ignorabant qui esset.

Nego consequentiam. Hæ enim sunt non dubitantium aut ignorantium, sed mirantium potius voces.

Objicies 2. Apostolus perhibet angelis per ecclesiam innotuisse hoc mysterium; *Ephesiorum* enim *cap.* 3. postquam dixit sibi datam esse gratiam hanc ut illuminaret omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo, sic addit versu 10. *Ut innotescat*, inquit, *principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei &c.* Ergo angeli non norunt hoc mysterium nisi per homines, & quidem multo postquam peractum esset tempore.

Nego antecedens. Non enim ait Apostolus tunc demum innotuisse angelis hoc mysterium, sed multiformem Dei sapientiam, quæ post pera-

ractum hoc mysterium, in ecclesia stabilienda mirum in modum eluxit. Noverant ergo jam hoc mysterium haud dubie; si quidem in cœlum jam ascenderat Christus: sed infinita quæ in homines ex eo derivanda erant beneficia, multiplicem ac mirabilem ecclesiæ disseminandæ modum, arcanam vocandarum gentium rationem, varias, quas in hoc negotio indutura erat sapientia divina formas, non noverant: quod decursu temporis per ecclesiam didicerunt.

INSTABIS. At ibidem & alibi non semel Paulus affirmat istud mysterium huc usque fuisse absconditum. Ergo.

DISTINGUO antecedens: absconditum gentibus & dæmonibus; concedo: sanctis angelis & hominibus; nego. Inde etiam consequens forent ne prophetis quidem fuisse revelatum.

OBJICIES 3. Non pauci sunt ecclesiæ doctores, qui ex allatis Psalmistæ, Isaiæ & Apostoli locis colligant mysterium Incarnationis Angelos diu latuisse, etiam peractum. Ita enim sentiunt aut sentire videntur Justinus *dialogo cum Tryphone*; Nyssenus *homil.* 8. *in Cantica*; Ambrosius *de mysteriis cap.* 2. *&* *lib.* 4. *de fide cap.* 1. Hieronymus *ad Isaiæ* 63. & *Ephes.* 3. Chrysostomus *homil.* 4. *adversus Anomæos* & *in Joannis* 1. Theodoretus *in Psal.* 25. Anastasius Sinaita *in Exaemeron*; Julius Firmicus *in lib. de erroribus prophanarum religionum cap.* 25. Theophylactus & Oecumenius *ad laudatum Apostoli locum*; Rupertus *in* 2. *de victoria Verbi Dei* &c. Ergo.

RESPONDEO varias hac de re opiniones veterum extitisse. 1. Enim plures scribunt futurum hoc mysterium angelis revelatum fuisse, v. g. Cyrillus *supra* & Dionysius *cap.* 3. *de cælesti hierarchia*: multo autem magis cum peractum fuit iisdem innotuisse: quod, ut apparet, arbitrati sunt Athanasius *lib.* 5. *contra Arianos*; Chrysostomus *homil.* 11. *in* 1. *ad Tim.* Gelasius Cyzicenus *in præfatione actorum*, & *lib.* 2. atque adeo cum per ecclesiam eis innotescere cœpit clarius multiformis sapientia Dei, in ea duntaxat cognitione profecisse: quia, ut ait Anselmus *in commentariis ad hunc Apostoli locum*, " Plurima secreta tunc didicerunt angeli quæ ignorabant. " 2. Alii contra statuunt non nisi per homines in hujus mysterii notitiam angelos venisse, qui nempe *supra* recensiti sunt. 3. Denique nonnulli, ut varia Scripturæ testimonia concilient, definiunt quosdam angelos cœlestis illius arcani conscios fuisse; alios vero nescisse. Ita Maximinus martyr *ad cap.* 4. *Dionysii de cælesti hierarchia*. Nos autem communem sententiam amplectimur: de qua legendus est Petavius *lib.* 7. *de Deo cap.* 6. *lib.* 1. *de angelis cap.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. & *de Incarnatione lib.* 12. *cap.* 10. *numer.* 12.

SECTIO II.

An dæmonibus notum fuerit Incarnationis mysterium.

ASSERTIO.

DÆMONES non certo cognoverunt mysterium Incarnationis etiam peractum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. *Matth.* 4. 3. Diabolus post quadraginta dierum jejunium anxius tentasse legitur Christum, an filius Dei esset. *Si Filius Dei es*, inquit, *dic ut lapides isti panes fiant.* 1. Cor. 2. 7, de Incarnationis mysterio disserens Paulus, *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, ... quam nemo principum hujus seculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hoc enim de dæmonibus, qui principes hujus mundi non semel appellati sunt, intelligi oportere passim sentiunt Patres.

PROBATUR 2. ex Patribus.

1. Enim Ignatius martyr *in epistola ad Ephesios*, *num.* 19. testatur virgineum Mariæ partum dæmonibus latuisse: quod post ipsum notant Origenes *homil.* 6. *in Lucam*; Jacobus monachus *lib.* 7. *cap.* 31. *apud Photium*, *cod.* 222. Andreas Cretensis *hom.* 2. *in nativ. Virginis*, & Hieronymus *in Matth. lib.* 1. *cap.* 1. addens Christum ideo ex muliere conjugata nasci voluisse. Consule Usserii, Vossii & Cotelerii *notas ad hunc Ignatii locum*. Porro Ignatium sequitur S. Leo *serm.* 2. *de nativ. Domini*.

2. Ambrosius *in caput* 9. *Lucæ*, & Cyrillus *lib.* 9. *in Joannem*, docent Christum noluisse ut discipuli ipsum diserte prædicarent esse Christum, ut mundi principem falleret.

3. Augustinus *lib.* 9. *de civ. Dei*, *cap.* 21. asserit de Christo dubitasse dæmonum principem, eumque idcirco tentasse an Christus esset.

4. S. Leo *sermone* 11. *de passione*, hac in re Christi consilium, non secus ac Paulus, aperit: " Ut humanum genus, inquit, vinculis prævaricationis mortiferæ absolveret, & sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, & infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.

Ex his autem colligere in promptu est, ne futurum quidem hoc mysterium ipsis innotuisse. Alias enim pro sua mentis acie statim detexissent factum. Unde auctor *quæstionum ex novo testamento*, *cap.* 66. ait, licet dæmones agnoverint, " Ipsum esse qui per legem fuerat promissus, mysterium tamen ejus divinitatis ignorasse.

OBJICIES 1. *Marci* 1. 24. dæmon sic loquitur, *Quod nobis & tibi*

Jesu

Jesu Nazarene ? venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Versu autem 34. sacer scriptor, *multa dæmonia ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum*. Vide insuper Lucam *cap.* 4. 34. Ergo.

Distinguo antecedens : sciebant non certo ; concedo : certo ; nego. Anceps enim ac dubius hærebat dæmon an naturalis esset filius Dei, licet ex operibus agnosceret esse virum sanctum & a Deo missum. Hinc „ S. Gregorius *lib.* 2. *Moral. cap.* 11. " Hæc dicens, cognoscendo Dei „ filium pertimescit, sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, dum „ passibilem considerat; hominem purum putat. " Adde Maximinum Taurinensem *homil.* 1. *de Epiphania*; *homil.* 3. & 4. *de quadragesima*.

Objicies 2. Vulgaris est opinio angelos malos invidia lapsos esse, cum a Deo didicissent hominem ad consortium divinitatis aliquando esse in Christo assumendum, & omnibus angelis præponendum.

Respondeo hanc quidem esse nonnullorum e recentioribus sententiam, sed nulla Scripturæ aut Patrum auctoritate fultam. De quo Petavius *lib.* 3. *de angelis*, *cap.* 2. *num.* 10.

Objicies 3. Clara sunt de Incarnationis futuro mysterio prophetarum oracula & in Christo evidenter impleta. Ergo nec futurum nec peractum hoc mysterium dæmonum perspicaciam fugere potuit.

Distinguo consequens : si lucem præbuisset Deus ; concedo : secus ; nego. Huc refertur quod ait Augustinus *lib.* 9. *de civ. Dei*, *cap.* 21. " „ Tantum eis innotuit, quantum voluit (Deus.) Tantum autem vo- „ luit, quantum oportuit.

SECTIO III.

An Adamo ac veteribus patriarchis notum fuerit hoc mysterium.

ASSERTIO I.

Adamus ante & post lapsum cognovit mysterium Incarnationis futurum.

Probatur prima pars de tempore ante lapsum. Cum enim Deus soporem immisisset in Adam, & effictam per id temporis ex ejus costa mulierem Evam postea adduxisset ; *Os*, inquit Adam, *nunc es ex ossibus meis, & caro de carne mea : . . . . quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Porro his verbis indicatum esse magnum conjunctionis Christi cum ecclesia futurum mysterium monet Apostolus *Ephes.* 5. 31. His enim allatis verbis, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est : ego autem dico in Christo & in ecclesia* : seu ut græce est, *in Christum & ecclesiam*. Jam vero hoc mysterium haud dubie cognovit Adamus. Prophetæ enim norunt quæ prænunciant : quod ex Pauli sententia 1. *Cor.* 14. 32. adversus Montanistas propugnant E-



piphanius *hæresi* 48. *num.* 3. & 4. Chrysostomus *in psal.* 44. Augustinus *lib.* 12. *de Genesi ad litteram cap.* 9. & *contra Adimantum cap.* 28. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 173. *art.* 2. At Adamus id prophetice dixit: quod adeo verum est, ut quod hic prænunciavit Adamus, Deo ipsi ascribat Christus *Matth.* 19. 4. " Illa extasis, inquit Augustinus *lib.* 9. „ *de Genesi ad litteram*, *cap.* 19. quam Deus immisit in Adam, ... re- „ ćte intelligitur ad hoc immissa, ut & ipsius mens ... intelligeret „ novissima. Denique evigilans tanquam prophetiæ plenus, cum ad se „ adductam mulierem suam videret, eructavit continuo quod magnum „ sacramentum commendat Apostolus: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & „ *caro de carne mea* : .... *propter hoc relinquet homo patrem suum* & „ *matrem*, & *adhærebit uxori*, & *erunt duo in carne una*. Quæ verba „ cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tum in „ evangelio Deum dixisse declaravit, ... ut hinc intelligeremus pro- „ pter extasim, quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tanquam „ prophetam dicere potuisse.

NEC dicas Adamo non potuisse tunc notum esse Christum mediatorem venturum, siquidem nondum culpam suam futuram cognoverat, propter quam Christus erat venturus.

ALIUD enim est novisse Christum venturum, aliud novisse causam propter quam venturus esset. Primum cum Augustino arbitramur: alterum non affirmamus.

PROBATUR secunda pars de tempore post lapsum. 1. Enim statim a culpa admissa reparatorem Deus Adamo & Evæ promisit his verbis, Genesis 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, & *semen tuum* & *semen illius*, inquiebat Deus ad serpentem diaboli instrumentum ac typum, *ipsa conteret caput tuum*; seu (ut in Hæbræis ac Samaritanis codicibus, & apud Irenæum, Cyprianum, Hieronymum aliosque legitur) *ipse* : quod de Christo Patres intelligunt, qui secundum carnem Evæ futurus erat filius, & diaboli caput, vires atque imperium contriturus. 2. Adamus certe & Eva veram religionem coluerunt & æternam salutem adepti sunt, quod contra veteres hæreticos definiit olim ecclesia. Atqui nulla deinceps vera religio fuit, nulla salus sine vera in Christum venturum fide, ut paulo post docebimus. Ergo.

ASSERTIO II.

VETERES patriarchæ ante conditam Mosis legem in Christum venturum credebant ac sperabant.

PROBATUR 1. ex variis Scripturæ testimoniis.

1. Abrahamo diserte promissus est Christus, ut omnium benedictionum fons & origo, *Gen.* 22. 18. & 26. 4. *Benedicentur*, inquit illi Deus, *in semine tuo omnes gentes terræ*. Quod illustrans Paulus ad Galatas 3. 16. *Non dicit : Et seminibus*, *quasi in multis* : *sed quasi in uno* : *Et semini tuo*, *qui est Christus*.

2. Ja-

2. Jacob Genesi 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda*, inquit, *donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium*. Versu autem 18. *Salutare tuum expectabo Domine*.

3. Job, qui vulgo putatur ex Abrahami & Esau posteris fuisse, cap. 19. 25. *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circundabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo*.

4. Moses, cum ipsum Deus mittere vellet in Ægyptum ad liberandos Israelitas, sese excusans, *Obsecro*, inquit, *Domine mitte quem missurus es*: Exodi 4. 14.

Probatur 2. eadem, quæ *supra* allegata est, ratione. Illi enim prisci Patres æternam salutem consecuti sunt, quam nemo citra Incarnationis notitiam adipisci potuit.

SECTIO IV.

An Judaicæ nationi, & qui in ea floruerunt sanctis viris compertum fuerit Incarnationis mysterium.

ASSERTIO.

Judaica gens, & qui in ea floruerunt viri sancti, compertum habuerunt mysterium Incarnationis futurum.

Probatur 1. ex mox dictis. Cum enim hoc mysterium veteribus patriarchis revelatum fuerit, haud dubium est quin Judæi hanc a parentibus acceptam traditionem diligenter servaverint.

Probatur 2. ex infinitis propemodum, iisque insignibus, prophetarum vaticiniis, quæ apud Judæos de Christo venturo edita sunt, quæque nos postmodum ex parte saltem referemus. In his autem oraculis quædam occurrunt, quæ Christum venturum definiant Deum; v. g. *Isaiæ* 7. 14. 9. 6. *Baruch*. 3. 38.

Probatur 3. testimonio Christi. Joannis enim 6. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan* (id est utique) *& mihi. De me enim ille scripsit*. Lucæ 24. 27. *Et incipiens* (Jesus) *a Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant* &c.

Probatur 4. verbis B. Petri epist. 2. cap. 1. 10. *De qua salute* (animarum) *exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ .... scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias; quibus revelatum est, quia non sibimet ipsis, vobis autem ministrabant, ea quæ nunc nunciata sunt vobis*. Adde Actuum 2. 30. 3. 18. 10. 43.

Probatur 5. apostoli Pauli consensione. Ad Romanos enim 10. 4. *Finis legis Christus*. Ad Gal. 3. 24. *Itaque lex pædagogus noster in*

Christo, seu pædagogi ad instar nos ad Christum velut manu duxit.

PROBATUR *6.* efficaci ratione. Judaica enim natio, & maxime qui in ea extitere viri sancti, ea profecto notitia non caruerunt quæ semper necessaria fuit ad salutem. Atqui notitia Christi venturi mediatoris semper ad salutem necessaria fuit: quod Scripturæ & Patres docent. Actuum enim 4. 12. Petrus, *Non est in alio aliquo salus*, inquit, *nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et Cor. 10. 43. *Hinc omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum*. Rom. 3. 25. Paulus de Christo loquens, *Quem proposuit Deus*, inquit, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius*. Sic etiam Patres: Augustinus enim *de peccato originali cap.* 24. " Sine fide Incarnationis & mortis & resur-„ rectionis Christi nec antiquos justos ut justi essent, a peccatis potuisse „ mundari, & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat. " Quod frequentissime ac passim inculcat in suis ad Pelagianos operibus, v. g. *epistol.* 107. olim 49. *num.* 12. *&* 15. *lib.* 18. *de civit. Dei*, *cap.* 47. imo Pelagianos eam ob rem hæreseos arguit, quod dicerent antiquos justos hac fide non eguisse. *Libro* enim 2. *operis imperfecti nu.* 188. " A-„ gnoscimus hæresim vestram. Definiit enim Pelagius, quod non ex fide „ Christi antiqui vixerint justi. " Suffragatur S. Leo *serm.* 83. *lib.* 2. " „ Una fides justificat universorum temporum sanctos, & ad eamdem spem „ & fidem pertinet quidquid per mediatorem Dei & hominum Jesum „ Christum vel nos confitemur factum vel patres nostri adoravere facien-„ dum. " De quo fusius ac distinctius agunt qui de fide in scholis disputant, quique super hoc argumento consuli possunt. Ex dictis autem facile colligitur non satis esse, ut quis in Deum & in ejus providentiam generatim credat; sed præterea semper fuisse necessarium, ut in mediatorem venturum Christum peculiaris fides accederet.

Quod si quis a me jam quærat, cur ergo Judæi, apud quos mysterium illud tot tamque disertis vaticiniis prædictum fuerat, illud idem jam peractum non agnoverint.

RESPONDEO id accidisse quod rebelles lumini fuerint, & in scelerum priorum pœnam a Deo fuerint excæcati. *Non poterant credere*, inquit S. Joannes evangelii 12. 39. *quia .... dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde*. Quantalibet enim luce extrinsecus nostræ religionis mysteria perfusa sint, tot in se difficultates includunt, adeoque sunt supra naturam, ut ad illa nemo sine gratia peculiari assurgere possit.

SE-

SECTIO V.

An ab electionis populi Judaici tempore, ulla alia gens veram sub publica Christi venturi expectatione religionem coluerit.

ASSERTIO I.

AB electione Judaici populi, nulla alia gens veram sub publica Christi venturi expectatione religionem per insigne quoddam temporis intervallum coluit.

PROBATUR 1. Quia illud speciale Judaici populi privilegium est: quod ubique Scripturæ inculcant. Exodi 17. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*. Deut. 7. 7. & 14. 8. idem repetitur. Ibidem cap. 32. 9. *Pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus*. Quibus similia extant psal. 27. 9. & psal. 32. 12. sic psal. 75. 1. *Notus in Judæa Deus*. Et psal. 147. 20. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*. 1. Paralip. 17. 21. *Quis est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra*. Amos 3. 2. *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ* &c. Hinc Christus solos Israelitas Dei filios appellat, Matt. 15. 26. & Apostolus ad Rom. 9. 3 *Israelitæ*, inquit, *quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & .... promissa* &c.

PROBATUR 2. Quia aliæ contra gentes interim dicuntur 1. fuisse a Deo derelictæ, ab ejus vita alienatæ, ab ejus sorte sejunctæ, sine Christo, sine Deo in hoc mundo: 2. Christum non quæsiisse: 3. jacuisse in tenebris & in umbra mortis: 4. dæmonibus serviisse: 5. ab eorum cultu ad veram demum religionem post Christi adventum, & rejectos Judæos vocatæ, & ex sterili oleastro tunc tandem in oleam fructiferam insertæ &c. Actuum cap. 14. vers. 15. Paulus, & Barnabas. *In præteritis generationibus*, inquiunt, *dimisit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias suas*. Isaiæ 54. 1. *Multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum*. Ephes. 4. 18. *Alienati a vita Dei*. Esther 10. 10. *Duas sortes præcepit: unam populi Dei; alteram cunctarum gentium*. Ephes. 2. 12. *Eratis illo in tempore sine Christo . . . & sine Deo in hoc mundo*. Isaias cap. 65. 1. & Paulus ad Rom. 10. 20. *Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis qui me interrogabant*. Isaiæ 9. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbra mortis lux orta est eis*. Psal. 95. 5. *Omnes dii gentium dæmonia*. Deut. 32. 21. & apud Paulum ad Rom. 19. Deus Judæos alloquens, *Ego*, inquit, *ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem*. Et Osee 12. 10. & Rom. 9. 25. *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, & erit in loco ubi actum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*. Rom. 11. 11. *Illorum* (Judæorum) *delicto salus est gentibus*. Isaiæ 54. 1. *Lauda sterilis, quæ non paris; decanta laudem....*

quæ

quæ non parturis. Rom. 11. 17. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in eis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos.*

PROBATUR 3. constanti, & perpetua Patrum traditione: Clementis nempe Romani *epist.* 2. Justini *apolog.* 2. & *epist. ad Diognetum*; Tertulliani *lib.* 4. *adversus Marcionem*, *cap.* 13. Origenis *hom.* 13. *in Genesim*, &c. Cypriani *de Idolorum vanitate*; Lactantii *lib.* 4. *cap.* 2. Eusebii *lib.* 2. *de præp. evang. cap.* 5. & 6. Athanasii *orat.* 1. *contra Arianos*, *num.* 59. Hilarii *in psal.* 118. Ambrosii *in psal.* 47. & 118. & *lib.* 7. *de Spiritu sancto nu.* 95. Hieronymi *epist.* 3. *ad Heliodorum*, & *in Isaiam lib.* 3. *cap.* 12. Augustini *lib.* 16. *de civit. Dei cap.* 10. & 12. *lib.* 18. *cap.* 47. *in psal.* 62. & 84. & 95. *tract.* 105. *in Joannem* &c.

ASSERTIO II.

NEGARI tamen debet nonnullos inter has gentes esse potuisse aut etiam extitisse quibus hoc mysterium revelatum fuerit.

PROBATUR 1. ex Scripturis. *Psalmo* enim 85. totus est David, ut populi Judaici a reliquis nationibus discrimen extollat in eo positum; quod in unaquaque extranea gente dici possit *Homo*, & *homo natus est in ea*, qui sciret Deum, cum Judaicus contra populus innumerabiles protulerit.

PROBATUR 2. ex Patribus, quorum instar erit Augustinus. *Libro* enim 18. *de civit. Dei*, *cap.* 47. " Non incongrue creditur fuisse & „ in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est. „ *Epistola* autem 102. *num.* 8. " Cur non credamus, inquit, etiam „ in cæteris hac illac gentibus .... fuisse (qui hujus sacramenti par- „ ticipes fuerunt). " Vide & *epistolam* 164. *num.* 2. ubi Jobum, Ninivitasque commemorat, & si qui alii sunt, qui vel apparent in Scripturis, vel in genere humano latent.

PROBATUR. 3. auctoritate Ricardi Victorini, qui *lib. de Incarnatione*, *cap.* 8. exponens illud prophetæ, *Veniet desideratus cunctis gentibus*. " Non „ dicit desiderandus, sed desideratus, ut intelligas in omni gente aliquos ali- „ quando ejus desiderio flagrasse.

PROBATUR 4. ratione. " Non enim dubito, ait idem Augustinus „ *lib.* 18. *de civit. Dei*, *cap.* 47. per alias gentes esse potuisse, ... „ pertinentes ad spiritalem Jerusalem, quod nemini concessum fuisse cre- „ dendum est, nisi cui divinitus revelatus est mediator Dei, & hominum „ homo Christus Jesus.

Hic tamen observandum est ex omnibus illis insignibus philosophis, quos seu Oriens seu Græcia tulit, nullum esse, de quo nominatim id jure affirmari possit.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Incarnationis convenientia, & necessitate.

ARTICULUS I.

De mysterii Incarnationis convenientia.

DISPUTATIO instituitur an Incarnatio conveniens fuerit Deo, qui Filium suum misit: ipsi Filio, qui propter nostram salutem descendit de cœlis: humano generi propter quod missus est: toti rerum universitati, cujus in partem venit: tempori denique quo carnem induit.

ASSERTIO I.

INCARNATIO maxime conveniens fuit Deo.

PROBATUR. Illud maxime conveniens fuit Deo, quo mirum in modum eluxere præcipuæ ejus dotes. Atqui Incarnationis mysterio eluxerunt præcipuæ dotes Dei.

Ac 1. quidem summa ejus bonitas, charitas, & misericordia. Joannis 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; & epist. 1. cap. 4. v. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis; quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum*. Ibidem versu 10. *Ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* Paulus autem ad Titum 2. 11. *Apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos*. Cap. 5. 4. *Benignitas, & humanitas apparuit salvatoris nostri Dei*. Et sane si, ut ait Christus Joan. 15. 13. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: quanta est Dei benignitas, qui pro impiis, & inimicis Filium sum tradidit! Unde Apostolus ad Rom. 5. 6. *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus; secundum tempus pro impiis mortuus est: Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Quod expendens S. Leo *serm. 2. de nativitate*. "Semper quidem, ait diversis modis, multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit: . . . . . sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit.

2. Justitia: quod significans David psal. 84. *Misericordia, & veritas* inquit, *obviaverunt sibi: justitia, & pax osculatæ sunt*: & aperte docens Paulus Rom. 3. 25. *Quem proposuit Deus*, inquit, *propitiationem per fidem*

in

in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, &c. In eo autem apparuit Dei justitia, 1. quod peccatum non impunitum reliquerit, sed pares culpæ pœnas, non quidem a nobis, qui solvendo impares eramus, sed a mediatore nostro repetierit. Ut enim dicitur Isaiæ 53. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras : attritus est propter scelera nostra . . . . Et posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum*. 2. Quod hominem esse voluerit a quo diabolus hominis victor superaretur. Ut enim monet Irenæus *lib. 3. cap.* 20. apud Theodoretum *dial.* 2. " Si homo non vicisset inimicum „ hominis , non juste vicisset inimicus. " Itaque quod post ipsum notat Guitmundus *tom. 6. bibliot. patrum pag.* 168. " Diabolum justitia magis „ quam potentia vincere voluit . Justum enim erat ut qui hominem „ vicerat , ab homine vinceretur . " 3. Quod diabolum sua in homines potestate non prius exuerit, quam ea in Christum innocentem abusus fuisset . Ut enim observat S. Leo *supra* , " Omnium captivorum „ amisit servitutem , dum nihil sibi debentis persequitur libertatem . " Quem sequens Bernardus *epist.* 190. " Cum innocenti , inquit, manus „ injecit, justissime quos tenebat amisit. 4. Quod cum posset solo nutu hominem liberare, non nisi pretio persoluto ipsum redemerit. Hilarius Arelatensis *hom.* 4. *de pasch.* " Conditio humana , inquit, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia , non imperio erat eruenda, „ sed pretio . Potuit autem Filius Dei hostem humani generis , & in „ cœlis positus, nutu ipso suæ divinitatis elidere. Sed ne quid tale. . . . „ diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum justitiam suam pro hu„ mano genere offerre hominem purum & immaculatum.

3. Sapientia , quæ in eo conspicua fuit , quod 1. mirabilem hunc modum excogitaverit , quo vindicis justitiæ jura cum infinita misericordia conciliaret . Id merito extollit S.Joannes Damascenus *lib.* 3. *de fide cap.* 1. Hinc Ivo Carnotensis *in ferm. de nativ. & passione Christi* , " Admirabiliter factum esse docet ut (Deus) nec peccatum hominis „ dimitteret impunitum , quia justus est ; nec insanabile , quia miseri„ cors est . " 2. Quod ars ut artem falleret , & medelam ferret inde, hostis unde læserat , peccato, quo usus fuerat dæmon in humani generis ruinam , in ejusdem salutem uti sciverit. 3. Quod viam invenerit, qua ex ipsa Filii exinanitione incredibilem sibi honorem compararet . Unde angeli post Christum natum canunt Luc. 2. 14. *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. 4. Quod majori gloria hominem lapsum erexerit , quam integrum fecisset . " Hinc Ecclesia : " O felix culpa , quæ talem ac tantum habere meruit redem„ ptorem !

4. Potentia , quæ in eo sese exeruit 1. quod duas naturas infinito intervallo a se invicem distantes, mirabili nexu conjunxerit. Ut enim ait S. Bernardus *ferm.* 3. *de vigil. nativ. Dominis*, " Omni miraculo mi„ rabilius (est) quomodo tam diversa, tamque divisa, ab invicem , „ potuerunt conjungi . " 2. Quod eas ita copulaverit , ut utriusque

„ pro-

„ proprietatibus servatis, nec inferiorem consumat glorificatio, nec su-
„ periorem minuat assumptio. " Quod merito prædicat S. Leo *serm.* 1.
„ *de Nativ.* Ut enim monet idem *serm.* 3. *de passione*, " Tota est in
„ majestate humilitas, tota in humilitate majestas, nec infert unitas
„ confusionem, nec dirimit proprietas unitatem. Nullum est, inquit
„ *ibidem*, in hac unitate mendacium, dum invicem sunt, & humilitas
„ hominis & altitudo divinitatis. Sicut enim Deus non mutatur mise-
„ ratione, ita homo non consumitur dignitate. " 3. Quod nullum esse
queat opus magis stupendum, quam quod Deus descendere potuerit, ut acute & egregie notat Gregorius Nyssenus *oratione catechet. cap.* 24.
„ Naturam omnipotentem, inquit, ad humanæ naturæ vilitatem potuis-
„ se descendere, majus est potentiæ argumentum, quam ingentia quæ-
„ libet ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquid & excelsum
„ elaborare divinam potentiam, naturæ quodammodo consentaneum est
„ .... At vero delapsus ille ad id quod abjectum est & humile, abun-
dantia quædam est potentiæ. " Idem esto de aliis judicium.

ASSERTIO II.

CONGRUEBAT ut si Deus vellet redimi genus humanum, ipse veniret & salvaret nos.

PROBATUR auctoritate & ratione. 1. Epiphanii *in ancorato*, §. 95. aientis Deum decuisse, ut has in se partes susciperet. Ne, inquit, spem
„ suam mundus in homine collocaret. 2. Anselmi *libro* Cur Deus homo *cap.* 5. observantis non fuisse consentaneum ut homo redemptus alterius quam Dei fieret servus: eoque minus quod redemptionis beneficium longe sit majus quam creationis, ut ait Augustinus *ad psal.* 141.
„ Melius est aliquid esse, quia justus es, quam quia homo es. " Et
„ Ambrosius *in c.* 2. *Lucæ*, " Plus, inquit, Domine, injuriis tuis de-
„ beo quod redemptus sum, quam operibus quod creatus. Non pro-
„ desset nasci, nisi redimi profuisset. " Jam vero par non erat ut quod omnium est præstantissimum, alteri quam Deo deberemus.

ASSERTIO III.

MAGIS congruebat ut Filius ad liberandum hominem veniret, quam Pater aut Spiritus sanctus.

PROBATUR variis hujusce rei caussis, quas afferunt Patres.

Prima est, Quod deceret, & conveniret maxime ut idem esset hominis in tempore Filius, qui Dei jam Filius erat ab omni æternitate: indecorum autem contra fuisset, si multiplex in sanctissima Trinitate Filius extitisset, alter æternus, & increatus, alter temporalis, & incarnatus. Gennadius *de dogmat. eccles. cap.*2. " Non pater, inquit, carnem assumpsit, neque
„ Spiritus sanctus; sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Pa-

„ tris

„ tris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, ne Filii no-
„ men ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate Filius. “ Adde Fulgentium *de fide ad Petrum cap.* 2. Paulinum Aquileiensem *lib.* 1. *contra Felicem Urgelitanum*; Anselmum *lib. de Incarnatione*, *cap.* 4. Bernardum *serm.* 2. *de Annunciatione*; Hugonem Victorinum; Magistrum sententiarum &c.

Secunda, quod omnia per Verbum sint facta: conveniens autem videatur, ut idem esset reparator humani generis, qui ejusdem conditor fuerat. “ Non alterius fuit, inquit Athanasius *lib. de Incarnat.* homines liberare
„ .... nisi Verbi Dei, qui & illos initio procreaverat. “ Augustinus
„ *serm.* 13. *de natali Domini*, “ Ideo, inquit, Deus ... misit, ..: ut
„ ... ipse etiam liberator esset, qui fuerat creator “ S. Leo *serm.* 12. *de pass. Domini*. “ In hac, inquit, ineffabili unitate Trinitatis, cujus in
„ omnibus communia sunt opera ,..... reparationem humani generis
„ proprie Filii persona suscepit: ut quoniam ipse est per quem omnia fa-
„ cta sunt, quique plasmatum hominem flatu vitæ rationalis animavit,
„ idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam, amissæ restitue-
„ ret dignitati, & cujus erat conditor, esset etiam reformator. “ Consentiunt Hilarius *in psalm.* 66. *ad versum* 21. Sanctus Cyrillus *Glaphirorum lib.* 1. &c.

Tertia, quod Filius sit Patris sapientia. “ Erat autem decens, inquit
„ Hugo Victorinus *summæ sententiarum tract.* 1. *cap.* 15. ut sicuti per
„ sapientiam suam Pater mundum fecit, ita per eamdem redimeret. “ Deinde vero, ut observat Guitmundus Aversanus *in confessione de sancta Trinitate*, *tom.* 6. *bibliot. Patrum*, *supra*, “ Quoniam mortuus est
„ homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. In-
„ carnata est igitur Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia.

Quarta, quod ad nullum magis pertinere videretur, Dei imaginem in homine per peccatum deletam restituere, quam ad eum qui est imago Dei invisibilis. Ita ratiocinantur Sanctus Athanasius *supra*; S. Cyrillus *lib.* 1. *in Joannem*; Damascenus *lib.* 4. *cap.* 4. Ricardus Victorinus *de Incarn. cap.* 10. &c.

ASSERTIO IV.

Nullus ad reparandum genus humanum videtur esse potuisse aptior modus, quam qui adhibitus est.

Probatur. Quia consentaneum erat,

1. Ut Deus exinaniretur, & infinita hac demissione hominis superbia intoleranda (qui proprius est ipsius morbus) sanaretur. “ Quando homo
„ præsumpsit contra Deum, inquit Ricardus Victorinus *de Incarn. cap.* 8.
„ facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo ut ad expiationis
„ remedium fieret humiliatio de summo ad imum. “ Quia per superbiam
„ recef-

„ recesseramus a Deo, inquit Augustinus *in ps.* 33. *enarr.* 1. *num.* 4. redire „ ad eum, nisi per humilitatem, non poteramus; & quem nobis propo- „ neremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas homi- „ num superbia tumuerat, & si existeret aliquis humilis vir in spiritu, „ sicut erant prophetæ, patriarchæ, dedignabatur genus humanum imi- „ tari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem „ humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani „ non dedignaretur sequi vestigia Dei. " Quibus adde quod habet *in psal.* 18. *enarr.* 2. *nu.* 15. " Propter hoc vitium, propter hoc magnum super- „ biæ peccatum Deus humilis venit . . . . Jam tandem erubescat homo „ esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. " Quid superbis „ homo? inquit idem *in Joan. tract.* 15. *num.* 16. Deus propter te humi- „ lis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem „ imitare humilem Deum. " Nam quæ superbia sanari potest, inquit „ idem *de agone christiano c.* 11. *n.* 12. si humilitate Filii Dei non sana- „ tur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sa- natur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sa- natur?

2. Ut cum homo Deum ex admirandis operibus cognoscere noluisset, ad ipsum deinceps nonnisi hac exinanitionis via, quæ stultitia vanæ rationi appareat, redire posset. *Quia*, inquit Apostolus 1. Cor. 1. 21. *in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

3. Ut homo fieret, qui diabolum, a quo homo superatus erat, justa certaminis lege vincere vellet. S. Leo *serm.* 1. *de Nativit.* " In eo con- „ flictu pro nobis inito, inquit, . . . mirabili æquitatis jure certatum „ est, dum omnipotens Deus cum sævissimo hoste, non in sua maje- „ state, sed in nostra congreditur humilitate &c. " Adde Irenæum & Guitmundum *supra*. Præterea vero ut *sicut per hominem peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*, Rom. 5. 12. *ita per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ* gratia veniret. *ibid.* vers. 18.

4. Ut ex muliere, & quidem virgine, nasceretur, qui mundum per mulierem, & quidem adhuc virginem, Evam nempe, perditum instauraret, nec ullum sexum dedignaretur, qui ad utriusque salutem veniebat. Augustinus *de agone christiano, cap.* 22. " Dominus Jesus-Chri- „ stus, inquit, qui venerat ad homines liberandos, in quibus & mares „ & feminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidivit, quia marem „ suscepit, nec feminas, quia de femina natus est. " Tertullianus autem *de carne Christi cap.* 17. " Deus, inquit, imaginem & similitudi- „ nem suam a diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virgi- „ nem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis; in „ virginem æque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ; „ ut quod per ejusmodi sexum abjerat in perditionem, per eumdem

„ sex-

„ sexum redigeretur in salutem. " Augustinus pariter *serm.* 13. *de nativit.* asseverat oportuisse, " Ut quia per mulierem mors in hunc mun-„ dum intravit, salus per virginem redderetur. Certe si ex muliere non esset natus, spes omnis mulieribus videri potuisset ablata. Ut enim ait Augustinus *serm.* 51. *cap.* 2. *de diversis*, " Si ergo vir existens, inquit, „ quod utique esse deberet, non nasceretur ex femina, desperarent de „ se feminæ, memores primi peccati sui. " Itaque matris Evæ opprobrium virgo Maria sustulit, " Cujus, inquit Bernardus *hom.* 2. *super* „ Missus est, opprobrium in omnes pertransiit mulieres, ... ipsa ma-„ tris opprobrium auferat.

6. Ut carnem ejusdem cum nostra conditionis & iisdem humanæ vitæ obnoxiam miseriis acciperet; tum ut eadem vinceret & sanaretur, quæ victa fuerat ac sauciata; tum ut pro experientia suum in nos affectum geminaret. " Etenim, inquit Gregorius Nyssenus *orat. catechet.* „ *cap.* 27. fieri non potest ut curetur ægrotus, nisi parti afflictæ pro-„ prium remedium adhibeatur. " Augustinus *lib.* 13. *de Trinit cap.* 18. " „ Melius judicavit, ut de ipso, inquit, quod peccaverat, genere assu-„ meret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimi-„ cum. Et vero congruebat, quemadmodum loquitur S. Leo *serm.* 1. *de nativit.* ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vin-„ ceretur. " Apostolus vero ad Hebræos 4. 15. ***Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*** Alia insuper causa fuit cur vilem ac miseram conditionem elegerit, nempe ut temporalium bonorum ac malorum despicientiam exemplo suo nos doceret. Unde Augustinus *lib. de agone christiano cap.* 11. *num.* 12. " Nolite amare temporalia, quia si „ bene amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite „ timere contumelias, cruces & mortem, quia si nocerent homini, „ non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. " Omnia ergo ter-„ rena bona contempsit homo factus Dominus Christus, inquit idem „ *de catechisandis rudibus cap.* 22. *num.* 40. ut contemnenda monstraret, „ & omnia terrena sustinuit mala, quæ sustinenda præcipiebat, ut ne-„ que in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur.

7. Ut morte sua genus humanum e diaboli faucibus eriperet. " Sic „ enim mors morte perimitur, " ut ait Gregorius Nazianzenus *orat.* 30.

8. Ut in ligno suffixus mortem illam salutarem pro nobis oppeteret: nimirum. " Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vincere-„ tur. " Quod canit ecclesia.

ASSERTIO V.

Conveniens erat ut Deus humanum genus lapsum repararet.

Probatur. Quia decebat ut Deus cum humano genere benignius ageret quam cum angelis malis, quos sine ulla veniæ spe post peccatum

pror-

prorsus reliquit. Cujus quidem rei variæ a sanctis Patribus ac theologis rationes allegantur.

Prima est, Quod angelorum pars minor corruisset; tota vero cecidisset natura humana. Ita Augustinus *in Enchir. cap.* 29. & Magister sentent, *in* 2. *dist.* 21.

Secunda, Quod angeli sua sponte & citra ullam tentationem peccaverint, Adamus contra ab uxore, & uxor a serpente in crimen impulsi fuerint. Ita Gregorius 4. *moral. cap.* 9. Bernardus *serm.* 1. *de adventu* &c.

Tertia, quod angeli sua quique voluntate prolapsi sint; homines autem unius primi parentis culpa in eamdem cum ipso ruinam fuerint tracti. Ita iidem *supra*.

Quarta, quod angeli voluntatem non ita flexibilem per sese, sed contra in suscepto semel proposito tenacissimam habeant; contra autem homines. De quo S. Thomas.

Quinta, quod hominum natura, utpote infirmior, per se magis divinam misericordiam provocet, quam angelica. Quam rationem profert Suares *disp.* 4. *sect.* 1. *quæst.* 1.

Sexta, quod cum præ invidia dæmon homines in peccatum induxisset, par foret ut opus suum Deus restitueret, ne ullus gloriandi adversus Deum & hominem locus relinqueretur. Athanasius *de Incarna-*
„ *tione Verbi*, " Erat, inquit, indignum bonitate Dei, ut quæ ab ipso
„ facta erant, corrumperentur fraude ac calliditate diaboli, qua homi-
„ nes circumvenerat ..... Quocirca revera maxime consentaneum erat
„ bonitati Dei magnum illud opus. Nam si rex aliquod ædificium vel
„ urbem, cujus conditor fuisset ipse, ... a latronibus impugnatam,
„ neutiquam negligit, sed tanquam opus suum tuetur ac liberat, ...
„ multo magis Deus in corruptelam prolabens hominum a se procrea-
„ tum genus non contempsit.

ASSERTIO VI.

Incarnatio nec fieri debuit inter ipsa mundi exordia, nec ad ipsius usque finem differri.

Probatur prima pars variis momentis.

1. Enim ad summum repente non venitur. At perfectissima futura erat lex nova, cujus auctor futurus erat Christus. Ergo non statim prodire illa debuit, sed oportuit homines ad eam suscipiendam longiori tempore præparari. Ita Eusebius *lib.* 8. *demonst. evang. in proœmio*; S. Thomas *quæst.* 1. *art.* 5. &c.

2. Erat id Christi dignitatis, ut diu expectaretur. Augustinus *tract.*
„ 31. *in Joannem* " Multi dicunt, inquit; quare non ante venit Chri-
„ stus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo tem-
„ poris, moderante illo per quem facta sunt tempora. Sciebat enim
„ quomodo venire deberet. Per multam seriem temporum & annorum

„ prædicendus fuit. Non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu „ fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, „ tanto præconum longior series præcedebat.

3. Sic factum est, ut majori affectu, veneratione & fructu Christus susceptus fuerit. Hanc enim fuisse causam tardioris adventus indicat S. „ Leo *serm. 3. de nat. Christi*, " Ut hac salutiferi operis mora capa- „ ciores nos suæ vocationis efficeret; ut quod multis signis, multis „ vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula prænunciatum, in „ his diebus evangelii non esset ambiguum; & nativitas, quæ omnia „ miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto „ constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus & antiquior præcessisset & uberior.

Probatur secunda pars. Quia si ad mundi usque finem dilata foret, vix ullus ejus fructus extitisset, cum tam pauci homines superstites forent, quibus tantum beneficium profuisset. Ita S. Thomas *quæst. 1. art. 6.*

A S S E R T I O VII.

Convenientissimo tempore peracta est Incarnatio.

Probatur ratione ex arcanis divinæ sapientiæ in humanæ salutis dispensatione consiliis petita, & apud Augustinum, S. Thomam, aliosque tam veteres, quam recentiores pervulgata.

Observant enim illi tunc fuisse consentaneum ut Christus veniret, quando jam satis innotuerat quam grande esset originis peccatum, quam alta per illud humano generi plaga inflicta, quam grave jugum super filios Adam inde consecutum, quanta infirmitas & superbia ex eo nata, quanta denique foret redemptoris & gratiæ liberatricis necessitas. Deo itaque sic permittente, homines primo sibi relictos in statu legis naturæ, in densissimas ignorantiæ tenebras & libidinum turpe cœnum esse prolapsos, in iisque ita jacuisse, ut non solum pravis cupiditatibus non obluctarentur, sed nec ullum recti peccative sensum ferme haberent; cum tamen ita sibi suisque viribus confiderent, ut nihil non se scire ac posse arbitrarentur. Deinde vero singulari Dei beneficio successisse legem Mosaicam, ut quæ hactenus obtinuerat ignorantia patefieret ac sanaretur. Sed cum nondum satis compressa esset generis humani arrogantia, gratiæ salutiferæ passim dandæ tempus consultissime esse dilatum, ut homines quanta vis esset libidinis sentirent, & inter molestas hinc quidem legis bonum præcipientis, sed ad illud perficiendum ex sese non sufficientis, illinc vero concupiscentiæ ad mala quæque eo majore vi trahentis, quo vehementius in vetitum nitimur, angustias constituti & abundantium in dies magis ac magis peccatorum pondere pressi infirmitatis suæ tandem convincerentur, sub hoc intolerabili cupiditatis jugo gemerent, & in necessarium sibi salvatorem ardentius suspirarent.

S. Tho-

S. Thomas *quæst.* 1. *de Incarnatione art.* 5. " Itaque Dei consilio „ factum est, inquit, ut post hominis casum, non illico Dei Filius „ mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii „ in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret; ubi cum de„ ficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis, sed na„ turæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & „ gratiæ quæreret auxilium.

Idem *in epist. ad Galatas cap.* 3. *lect.* 7. " Lex data est, inquit, ad in„ firmitatem manifestandam. Homines enim in statu legis naturæ de „ duobus præsumebant: 1. quidem de scientia; 2. de potentia. Et ideo „ Deus reliquit homines absque doctrina legis, tempore legis naturæ: in „ quo dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu „ scientiæ. Sed adhuc restabat præsumptio de potentia. Dicebant enim: „ Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat. Et ideo data est lex, quæ „ cognitionem peccati faceret, quæ tamen auxilium gratiæ non daret ad „ vitandum peccata: ut sic homo sub lege constitutus, & vires suas ex„ periretur & infirmitatem suam recognosceret, inveniens se sine gratia „ peccatum vitare non posse, & sic avidius quæreret gratiam.

Idem 1. 2. *quæst.* 106. *art.* 3. postquam duas attulit causas cur inter „ exordia mundi dari non debuerit lex nova, " Tertia ratio sumitur, „ inquit, ex hoc quod lex nova est lex gratiæ; & ideo 1. oportuit, „ quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccando „ infirmitatem suam cognoscens recognosceret se gratia indigere. Et „ hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5. dicens: *Lex subintra*„ *vit, ut abundaret delictum.* Hæc autem S. Thomas ex auctore glossæ ordinariæ hauserat & ex S. Augustino, qui frequenter eamdem doctrinam inculcat.

Augustinus enim *in expositione quarumdam propositionum in epistolam ad* „ *Rom. num* 13. " Quatuor inquit, ... gradus hominis distinguamus: ante „ legem; sub lege; sub gratia; in pace. Ante legem sequimur concupiscen„ tiam carnis; sub lege trahimur ab ea; sub gratia nec sequimur eam, nec „ trahimur ab ea; in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem er„ go non pugnamus; quia non solum concupiscimus & peccamus, sed et„ iam approbamus peccata: sub lege peccamus, sed vincimur: fatemur enim „ mala esse quæ facimus; .... sed, quia nondum est gratia, superamur. In „ isto gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus: & dum surgere volu„ mus, & cadimus, gravius affligimur. " *In epistolam* autem *ad Gal.* " Si„ cut, inquit, prima hominis vita est ante legem, cum nulla nequitia & „ malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit, „ quia non est qui prohibeat; sic secunda est sub lege ante gratiam, „ quando prohibetur quidem & conatur a peccato resurgere, sed vincitur.

In Enchiridio, cap. 118. " Cum in altissimis, inquit, ignorantiæ te„ nebris, nulla resistente ratione, secundum carnem vivitur; hæc sunt „ prima hominis. Deinde cum per legem cognitio fuerit facta peccati, si

 „ non-

„ nondum divinus adjuvat spiritus, secundum legem volens vivere, vin-
„ citur; .... hæc sunt secunda hominis .... Sic est .... Dei populus
„ ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensu-
„ ra, numero & pondere cuncta disponit.

Libro 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 11. " Erat peccatum (in
„ statu legis naturæ,) inquit, sed non apparebat peccatum. Data est
„ lex superbo : fecit contra legem; & apparuit peccatum, quod erat, sed
„ non apparebat. Apparens autem peccatum, humiliavit superbum : hu-
„ miliatus superbus factus est pœnitens : de pœnitentia impetrata est mi-
„ sericordia.

Ibidem, " Lex subintravit, inquit, ut abundaret delictum. Data est
„ enim lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus (in
„ statu legis naturæ,) ut cum implere non possent legem datam, præva-
„ ricatores invenirentur, & facti rei sub lege, peterent misericordiam a
„ legis conditore.

Tractatu 3. in Joannem, " Sanus non erat (homo in statu legis natu-
„ ræ) sanari nolebat : & ne sanaretur, sanum se esse jactabat. Missa est
„ lex : ligavit eum : invenit se reum : jam clamat de ligatura &c.

De perfectione justitiæ, cap. 5. " Ad hoc lex, inquit, ... ut cum ...
„ homo deficeret, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam
„ confugiat fatigatus.

De spiritu & litt. cap. 6. " Demonstranda fuerat, inquit, homini fœ-
„ ditas languoris ejus .... *Lex subintravit ut abundaret delictum*, ut eo
„ modo convictus, atque confusus, videret non tantum doctorem sibi
„ esse necessarium, verum etiam adjutorem Deum.

Istam porro ordinatissimam temporum ac statuum hominis distributio-nem omnes illi ab Apostolo acceperant.

Paulus enim de statu legis naturæ verba faciens *Act.* 14. 15. testatur Deum *In præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas*. Rom. 5. 14. *Usque ad legem peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*. Ibidem, *Per legem cognitio peccati*. Ibidem 7. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*.

Qualis autem fuerit status hominis sub lege Mosaica describens ibidem, versu 8. *Occasione autem accepta*, inquit, *peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, *Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum ; & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit, . . . ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato*. Ibidem cap. 5. 20. *Lex subintravit ut abundaret delictum* &c.

Denique hominis sub legis ac concupiscentiæ jugo gementis perso-

nam induens, *Infelix ego homo*, inquit cap. 7. 24. *quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum-Christum Dominum nostrum*.

ARTICULUS II.

De Incarnationis necessitate.

NOTANDA.

OBSERVANDUM est

1. Duplicem esse necessitatem: aliam simpliciter sic dictam: aliam secundum quid. Necessarium simpliciter, illud est, quod non potest aliter esse, aut sine quo aliud quid esse non potest: ita pedes necessarii sunt ad ambulandum. Necessarium autem secundum quid illud est, sine quo res ita commode ac decenter esse aut fieri non potest: sic equus necessarius est ad iter faciendum.

2. Necessitatem simpliciter sic dictam, vel esse absolutam, vel hypotheticam. Absoluta est, quæ ex nulla conditione pendet: hypothetica contra, quæ ex aliqua suspensa est hypothesi; ut loquuntur scholæ.

3. Multiplicem esse hypothesim ex qua Incarnatio videri potest necessario consequi. 1. Est creationis mundi: 2. est lapsus generis humani: 3, instaurationis ac liberationis hominum: 4. accuratæ ac legitimæ satisfactionis pro eorum peccato exhibendæ.

4. Cum hic quæritur an Deum incarnari necesse fuerit, *Incarnationis* nomine intelligi, non speciatim humanæ, sed generatim alterius cujuslibet, & jam creatæ naturæ assumptionem. Sive enim humanam, sive aliam quamlibet suscepisset Christus, illud perinde ad varias, quæ modo a nobis proponentur, sententias foret.

Variæ opiniones.

QUINQUE omnino opiniones hac de re possunt enumerari.

Prima, quæ asserit Incarnationem absolute fuisse necessariam, ita ut Deus ab ea decernenda ac peragenda abstinere nequiverit. Ita sensit olim Wiclefus, ut colligitur ex *Trialogi lib. 3. cap.* 24. & 25. & refert illustrissimus Bossuetus *variat. lib.* 11. *num.* 152.

Secunda, quæ affirmat, non quidem absolute necessariam fuisse, sed ex hypothesi mundi condendi. Ita quondam Raymundus Lullus, de quo Vasquez *quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 1. *cap.* 2. Ita nostra etiam ætate magni nominis philosophus Malabranca, qui in suo *de gratia & natura* opere, aliisque in locis contendit Deum non potuisse rerum universitatem condere, quin simul Incarnationem decerneret.

Tertia, quæ statuit Incarnationem non quidem præcise ex hypothesi mundi creandi aut creati esse necessariam, sed posito semel hominum lapsu,

quia videlicet Deus non potuit humanum genus non reparare, nec alia quam Incarnationis via illud reparare potuit. In hac sententia fuisse videtur Vasquesio Anselmus *lib.* 1. Cur Deus homo, *cap.* 16. *&* 17. nec non & Ricardus Victorinus *de Incarnationis cap.* 8.

Quarta, quæ definit eam fuisse omnino necessariam, saltem ex hypothesi humanæ reparationis; adeo ut posset quidem Deus hominem non liberare: sed posito quod eum liberare voluerit, alio modo non posset. Ita arbitrantur juxta alios iidem mox nominati, quos nonnulli recentiores sequuntur.

Quinta denique omnium vulgo theologorum, qui his omnibus rejectis pronunciant Incarnationem non fuisse necessariam, nisi ex hypothesi accuratæ & idoneæ satisfactionis, quam pro peccatis hominum exigere vellet Deus. Potuisse enim Deum non modo ab Incarnatione decernenda abstinere, aut citra ullum de ea peragenda consilium rerum universitatem fabricare, sed & humanum genus lapsum non erigere, aut si erigere vellet, alia, quam Incarnationis via, reparare; sed tamen Incarnationem fuisse necessariam ex hypothesi perfectæ satisfactionis, posito quod eam exigere decrevisset: quia nempe ejusmodi satisfactioni obeundæ nullus allius præter Deum incarnatum par esse unquam poterat.

SECTIO I.

An Incarnatio absolute necessaria fuerit.

ASSERTIO I.

INCARNATIO absolute necessaria non fuit.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Illud enim non fuit absolute necessarium, quod singulari Dei benevolentiæ ac misericordiæ Scripturæ tribuunt. Atqui Incarnationem esse eximium singularis Dei misericordiæ opus Scripturæ prædicant, ut *supra* vidimus, & *infra* ostendetur. Ergo.

PROBATUR 2. ratione. Illud enim absolute necessarium non fuit, in quo Deus fuit liber. Atqui in opere redemptionis humanæ, Deus fuit omnino liber. Est enim Deus liber in operationibus suis ad extra, ut pote qui rebus extra se positis non egeat, cum ex sese sit infinitus & undequaque beatus. Atqui humanæ redemptionis opus est opus ad extra. Ergo.

SECTIO II.

An ex hypothesi creationis mundi Incarnatio necessaria fuerit.

ASSERTIO.

NECESSARIA non fuit Incarnatio ex hypothesi creationis mundi.

PRO-

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ non solum posita mundi creatione, sed & posito humani generis lapsu, Incarnationem nobis exhibent non ut arctæ necessitatis, sed contra ut insignis misericordiæ opus, quod mox patefiet.

PROBATUR 2. ex Patribus, qui nedum sentiant posita rerum universitate Incarnationem fuisse omnino peragendam, omnes contra unanimi voce testantur Christum, etiam post conditam rerum universitatem, non fuisse venturum, nisi Adamus peccasset; imo nec necesse fuisse, ut hoc etiam posito peccato Christus veniret, cum Deus humanum genus prolapsum deserere posset, aut idem illud peccatum gratis condonare.

PROBATUR 3. multiplici ratione.

Prima est, Quod Incarnatio nullam habeat cum aspectabili hac rerum universitate connexionem. Quod enim ordinis est supernaturalis, nullam habet cum rebus naturalibus connexionem. At Incarnatio certe supernaturalis ordinis est. Ergo.

Secunda est, Quod mundus tam potuerit æternum esse sine Incarnationis mysterio, quam sine eo fuerit per quatuor annorum millia. Atqui mundus per quatuor annorum millia omnibus suis numeris absolutus stetit sine Incarnationis mysterio. Ergo & æternum sine eo consistere potuit.

Tertia est, Quod fingi non possit Incarnatio necessaria; posito semel mundo, nisi quia necessaria est ad ipsius perfectionem (quod Lullus contendit) vel ad Dei honorem & gloriam (quod opinatur Malabranca.) Atqui neutrum dici potest: non primum; cum mundus ipsa suarum partium infinita varietate & admirabili consensione in genere suo perfectissimus sit, citra Incarnationis mysterium: non 2. cum Deus ex mundo condito gloriam & honorem emendicare sibi non proposuerit. Ergo.

Et vero cum in condendo mundo gloriam spectasse dicitur Deus, ut ex rerum fabrica sibi obventuram, eam vel ut finem suum, vel ut viam ac medium quoddam ad finem suum assequendum voluit atque amavit: nihil enim est medium. Quidquid enim volumus, illud aut propter se diligimus, aut propter aliud: si propter se; finis est: si propter aliud; medium est, ut loquuntur scholæ, ad aliud assequendum.

At certe gloria illa ex rerum universitate in Deum redundatura, non est Dei finis: gloria enim illa extra Deum est. At Deus ipse suus sibi finis est: seipso beatus est: omnia in se habet. Si vero extra se aliquid concupisceret ut finem suum, jam non esset infinitus, non sibi sufficeret ipse, sed indigeret aliis; quod ipso prorsus est indignum. Itaque non potest dici eam gloriam appetiisse ut finem suum. Certe Deus necessario amat finem suum, nec potest eo carere, ut pote felix ac beatus: proinde si ejusmodi gloria esset ipsius finis, in illam ita inclinasset Deus, ut nec ab Incarnatione decernenda & peragenda, nec a mundo creando potuisset ullo modo abstinere. At fatetur adversarius noster nec Incarnatio-

nem nec mundi fabricam fuisse Deo omnino necessariam. Ergo hanc gloriam ut finem suum nec voluit nec quæsivit Deus.

At nec eam voluit necessario ut viam ac medium ad finem suum comparandum. Triplex enim tantum est mediorum genus. Alia enim sunt prorsus unica : alia inter se inæqualia : alia æqualia ad finem assequendum.

At 1. Incarnatio non est medium unicum ad finem Dei. Deus enim, ut jam dictum est, sibi ipse finis ac beatitudo est; huncque finem necessario amat Deus. Non potest quippe non esse felix : atque ut a se videndo non potest abstinere, sic nec a se amando. Porro qui necessario amat finem, eadem quoque necessitate in medium unicum incumbit ; cum sine illo finis haberi nequeat : ac proinde non magis necessarius esset Deus, quam mundus & Incarnatio, cum ex his Dei felicitas penderet : quod non solum absurdum, sed etiam impium est.

2. Incarnatio non est medium inæquale, aut inter plura inæqualia aptissimum ad finem Dei. Alioquin omni ex parte necessaria foret. Scilicet qui amat finem, is, si sapiens sit, eodem pondere fertur in illud medium, quod ei consequendo apparet omnium maxime idoneum. Tota quippe ratio amandi & assumendi medii, est amor finis, qui in eo videtur contineri. Itaque cum Deus sit sapientissimus, & necessario se amet suamque felicitatem, si Incarnatio foret medium ad eam comparandam omnium efficacissimum, ea certe tantæ necessitatis esset, quantæ est Deus ipse : quod nec adversarius noster voluerit.

Quocirca si Incarnatio est medium ad consecutionem finis Dei, restat ut medium sit æquale cum aliis, nec magis quam alia ad illum conducat. At si ita est, nulla prorsus erit necessitas Incarnationis. Cum enim plura adsunt media, eaque æqualia ad aliquem finem, plena libertas est electionis ; nec ulla est unius præ aliis assumendi necessitas. Ergo hoc posito, nulla jam ex parte necessaria Incarnatio censeri posset.

Objicies 1. Illud ex hypothesi creationis mundi necessarium fuit, sine quo maxima mundo perfectio defuisset. Atqui sine Incarnatione maxima rerum universitati perfectio defuisset, cum Incarnatio sit summum mundi decus. Ergo.

Distinguo majorem : sine quo defuisset maxima perfectio necessaria; concedo : non necessaria; nego. At Incarnatio, licet sit summum universitatis rerum decus, non est tamen ei necessaria, cum supra naturam omnem evecta sit. Certe inde consequens foret Patrem & Spiritum-sanctum oportuisse etiam seorsim incarnari. Utriusque enim Incarnatio haud dubie non mediocris mundi perfectio extitisset.

Instabis 1. Qui agit, quam potest perfectissimum opus elaborat. Ergo Deus omnem & cujuslibet generis perfectionem mundo tribuere debuit, etiamsi necessaria non foret.

Distinguo antecedens : qui agit necessario ; concedo : libere ; subdistin-

distinguo : perfectissimum opus elaborat pro consilio suo ac fine quem sibi præstituit ; concedo : perfectissimum in omni genere ; nego. At Deus liber est inter agendum. Ut ergo potuit nihil quidquam operari ; sic, cum agit, potest, quem libuerit perfectionis gradum operi suo figere ; alias quidquid ageret, teneretur suam in eo potentiam exhaurire : quod est absurdum & fieri non potest. Attamen cum aliquid efficit ; id semper facit quod est optimum, habita ratione suæ voluntatis suique consilii ac finis, quem sibi in hoc opere præstituit. De quo legendi sunt Augustinus *lib.* 3. *de libero arbitrio*, *cap* 5. ubi observat rebus etiam non ita perfectis nihil esse melius ad ordinem mundi constituendum, cum ille ex variis rerum gradibus efflorescat : & Petavius *lib.* 5. *de Deo*, *cap.* 6. ubi contra Abaelardum fuse demonstrat ex Patribus, Deum posse alia longe perfectiora quam fecerit pro voluntate & arbitrio fabricare.

Instabis 2. Mundus in omni genere perfectissimus, est aliquid melius quam mundus perfectus. At sapientia postulat, ut id semper fiat quod melius est. Ergo.

Respondeo 1. ex hac disputandi ratione sequi mundum esse in se & absolute necessarium. Mundus enim conditus, est aliquid certe melius quam nihilum. Ergo si sapientia necessario Deum adducit, ut id faciat quod melius sit, ea ipsa adactus fuit ad fabricandam rerum universitatem, imo ad fabricandos omnes mundos, qui esse possunt, ad omnes mentes quæ excogitari possunt creandas, & ad omnes perfectionis gradus, qui eis tribui possunt, ascribendos. Ista enim omnia, si sint, longe melius quid erunt, quam si non sint. Atqui id ne adversarii quidem nostri concedunt.

Respondeo 2. cum Hugone Victorino. Distinguo majorem : mundus perfectissimus est aliquid melius sibi ; concedo : Deo ; nego. Melius quidem est creaturis ipsis esse quam non esse ; melius est iisdem perfectissimas esse quam minus perfectas : sed Deo perinde est, sive sint, sive non sint ; sive perfectissimæ sint, sive minus perfectæ. A rebus enim creatis non pendet Deus, & sibi ipse satis est solus. Nec enim magis est felix ex quo mundus est conditus, quam ante esset. Condidit quippe mundum, ut in eum ex ditissimo suo bonorum omnium penu aliquid conferret ; non ut quidquam ab eo acciperet. Ut autem summus est arbiter ac dominus primæ rerum originis, sic & certæ earum perfectionis. Quemadmodum enim potuit eas creare peræque ac non creare ; sic penes eum fuit quem vellet eis assignare perfectionis gradum : utriusque enim eadem est ratio. Porro sapientia eo quidem semper inclinat, ut id ante ponatur medium, quod ad finem conducibilius apparet. At ubi omnia æqualia sunt, sapientiæ contra est ea æqualia judicare ac voluntati permittere, ut pro nutu suo alterutrum eligat : quod cum fit tum nulla ratio facti afferri potest, præter voluntatem facientis. Quapropter Deus, cum perinde ipsi esset creare vel

non

non creare, pro solo arbitrio suo ac voluntate sua ad creandam rerum universitatem sese libere inflexit. Non potest quidem cum creat, nisi bona facere; sed boni mensuram prout placet, liberaliter unicuique largitur.

Objicies 2. Debet esse aliquid in effectis Dei quod æquivaleat actioni Dei, qua condita sunt. At si Incarnationem e rerum natura tollas, nihil superesit quod æquivaleat actioni Dei. Actio enim Dei infinita est: omnia vero quæ creata sunt haud dubie sunt finita; sola vero sunt hominis Dei opera, quæ infinita censeri queant. Ergo.

Nego majorem. Verum quidem est, & vulgo dici solet, causam æquivalere saltem effectis suis, seu ejusdem aut majoris quam ipsius effecta, esse debere perfectionis: quia nimirum illud dare non posset, quod non haberet: sed nunquam hactenus auditum fuerat effecta esse necessario debere ejusdem cum causa perfectionis: causa enim potest aliquid efficere se minus; potest quæ in se continet, non omnia in effecta sua transfundere. Imo fieri non potest ut effecta Dei æquivaleant ipsius actioni. Scilicet actio Dei ab ejus voluntate, potentia & essentia non distinguitur: est ipse Deus agens, proinde infinitus; effecta autem Dei per sese necessario finita sunt. Quin etiam nec ipsa Christi opera, quantumlibet excellentia, æquivalent Deo. Deus enim omni in genere infinitus est. Ista autem opera etiamsi in genere morali infinita existimentur, finita sunt, saltem in genere physico.

Instabis. Debet esse aliquod operæ Dei pretium ipsi par, & æquale. Atqui si infinitam excipias Christi dignitatem, nihil in natura reperietur, quod sit par operæ Dei pretium. Ergo.

Nego majorem. Hæc enim nimis abjecta est & humilis de Deo cogitandi ratio; Scripturæ autem sacræ arguunt contra Deum ex sola benevolentia dona sua impertiri sine ullo redituri ad se operæ pretii iutuitu, nec eo prorsus indigere. Jacobi 1. 5. *Dat omnibus affluenter, & non improperat*, Psal.15.2. *Bonorum meorum non eges*. Vulgares quidem artifices non agunt, nisi ut ex opere suo aliquid honoris aut emolumenti capiant. At Deus non ita. Nec enim laborat in agendo, ut aliquod operæ suæ pretium quærat: non dat ut accipiat. Est autem contra Deus per se omni genere perfectionis abundans, infinitus, undequaque beatus, nullius rei indigus. Non itaque extrinsecus operatur, ut aliquid inde in se redundet honoris, & boni; illud enim summa ejus majestate indignum est: sed contra ut ex immenso, & inexhausto perfectionum ac bonorum, quibus affluit, thesauro, aliquid in res creatas pro sua benignitate gratis derivet.

Instabis 2. Debet aliquid esse, quo ad agendum determinetur Deus. Atqui nihil aliud esse potest, quo ad agendum extrinsecus determinari queat, quam illud operæ suæ pretium. Ergo.

Nego minorem. Indignum enim Deo fuerit, si extrinsecus accipiat agendi causas, non autem in se ipso habeat. Quanto dignius de Deo sentit, qui

qui putat solam ad id voluntatem ipsius ac beneficentiam sufficere : quod & nos contendimus?

Objicies 3. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Prov. 16. 4. Imo Deus non potest agere, nisi propter se ac gloriam suam. Non potest igitur quidquam efficere, nisi ex eo gloriam percipere possit; eamque se dignam, hoc est infinitam. Minor enim, & qualiscumque gloria, nec Deo digna est, nec ea est, quæ Deum ad agendum impellere atque adducere queat. Atqui citra Incarnationem nulla potest ad Deum infinita gloria ex rerum natura redire. Ergo.

Distinguo majorem: propter se tanquam ultimum ipsarum rerum finem, & propter gloriam suam, id est ut omnia ipsius gloriæ tanquam ultimo eorum fini inserviant: aut propter gloriam suam, id est bonitatem, aliasque suas dotes, in quibus ejus interna gloria sita est, cum creaturis pro earum modo liberaliter, & gratis communicandas; concedo: propter gloriam quamdam externam ex creaturis instar operæ pretii a se percipiendam, aut instar finis assequendam; nego. Duplex nimirum Dei gloria distingui potest, interna una, externa altera. Interna posita est in ipsa naturæ divinæ excellentia, ob quam *gloriosus* in Scripturis dicitur Deus. Scilicet Deus est ens a se, necessarium, infinitum, fons & origo cæterorum: inexhaustum est perfectionis, potentiæ, bonitatis ac sapientiæ pelagus; se ipse suo contuitu beat: sed eo ipso quod se contemplatur, simul videt esse infinitos, quibus extra se possit a creaturis participari, modos. Poterat quidem, utpote se solo felix, eas in nihilo, in quo æternum per se jacerent, relinquere: sed maluit illas ex eo benigne educere, ut cum ipsis quiddam e bonorum cumulo, quibus abundat ac fruitur, liberaliter communicaret. Itaque pro arbitrio suo, & corpora varia condidit; & creavit mentes quam plurimas, e quibus conflavit aspectabilem hanc rerum universitatem; sed quia primum est eorum omnium principium, ultimus eorumdem finis esse debet. Id ratio jubet, & ordo postulat; ideoque illud vult Deus. Omnia igitur propter semetipsum, tanquam propter ultimum eorum finem, operatus est. Præterea voluit omnia, quæ in mundo essent, ut par erat, gloriæ suæ inservire. Omnia enim corpora propter mentes creata sunt: mentes vero ipsæ in gloriam Dei tanquam in ultimum finem sunt ordinatæ: eoque per se tendunt, ut Deum noscant, ament, eique sese subjiciant tanquam omnium principio, fini ac domino; in quo proprie sita est, quæ dicitur externa Dei gloria. Verum hanc gloriam externam non sibi præstituit Deus ut voluntatis suæ finem; aut operis sui pretium: absit: hoc quippe Deo indignum est; ac nedum in idea ac notione Dei contineatur, ut ille summus ætatis nostræ philosophus jactat, nihil est magis ab ipsa alienum; quod & ipsi philosophi veteres agnoverunt sola natura duce: multo autem disertius Patres antiqui Scripturarum luce sibi præeunte docuerunt.

1. Enim,

1. Enim Scripturæ indicant non solum omnia a Deo esse pro arbitrio facta, sed etiam voluntatem Dei esse regulam ac mensuram magnitudinis seu perfectionis omnium operum ejus. Psal. enim 113.3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Psal. 110.2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*

2. Patres monent nullam afferri posse causam cur Deus mundum creaverit præter ejus voluntatem: aut si afferatur, solam allegari posse bonitatem, quæ sese communicare dedignata non fuerit. Unum allegabimus Augustinnm. Is igitur *lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap.* 2. " Si isti dixerint, inquit, Quid placuit Deo facere cœlum, & terram? „ Respondendum est eis . . . . . Causas voluntatis Dei scire quærunt; „ cum voluntas Dei omnium, quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem „ Dei; quod nefas est credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus „ cœlum & terram? respondendum est ei, quia voluit. Voluntas enim „ Dei causa est cœli & terræ; & ideo major est voluntas Dei quam „ cœlum, & terra. Qui autem dicit, Quare voluit facere cœlum, „ & terram; majus aliquid quærit quam est voluntas Dei. Nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas; „ & id, quod non est, non quærat; ne id, quod est, non inveniat. " Quapropter Augustini judicio nulla est conditæ rerum universalis causa, præter voluntatem Dei; aut si quam aliam afferre juvat, sola est ejus benevolentia ac studium communicandæ bonitatis. *Lib. 1. de Gen. ad litt. cap.* 5. " Inest Deo, inquit, benignitas summa . . . . & quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens „ amor in opera sua. " *Ibidem cap.* 7. explicans cur initio mundi Spiritus Dei ferri dicitur super aquas, " Ne facienda opera sna, inquit, „ propter indigentiæ necessitatem, potius quam propter abundantiam „ benevolentiæ, Deus amare putaretur. " Quo fit ut *lib. 11. de civit Dei, cap.* 21. impense laudet Platonis dictum, qui, cum ab eo quæreretur cur Deus mundum fabricasset, respondit, " Ut a bono Deo bona opera fierent. " Unde etiam *lib.* 13. *confess. cap.* 1. *cap.* 1. " Ecce sum, inquit, ex voluntate tua præveniente, totum hoc quod me „ fecisti, & unde me fecisti. Neque enim eguisti me, aut ego tale „ bonum sum, quo tu adjuveris. " Et *cap.* 2. " Et plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua subsistit, ut bonum, quod tibi nihil prodesset: . . . tamen quia ex te fieri potuit, non deesset. " *Ibidem, cap.* 4. " Quid ergo tibi deesset ad bonum quod tu tibi es? etiamsi „ ista vel omnino nulla essent vel informia remanerent, quæ non ex „ indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ. " Sic S. Augustinus, quo ab Apostolis nemo sublimiorem ac defæcatiorem Dei notionem habuit.

3. Suffragantur theologi. S. Thomas 1. *parte quæst.* 19. *art.* 2. quærens utrum Deus velit alia a se, " Pertinet, inquit, ad rationem volun-

„ tatis,

„ tatis, ut bonum quod quis habet, aliis communicet, secundum quod „ possibile est. Et hoc præcipue pertinet ad bonitatem divinam, a qua „ per quamdam similitudinem derivatur omnis perfectio. Unde si res na- „ turales, in quantum perfectæ sunt, suum bonum aliis communicant, „ multo magis pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum suum aliis per „ similitudinem communicet secundum quod possibile est. Sic igitur vult, „ & se & alia: sed se ut finem; alia vero ut ad finem, in quantum con- „ decet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare. " *Quæstione* autem 44. *de creatione rerum*, *art.* 4. inquirens an Deus agat propter finem: " Respondeo dicendum, inquit, quod omne agens agit propter finem „ . . . . Sunt autem quædam . . . agentia imperfecta: & his convenit „ quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti „ . . . . non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis; sed in- „ tendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas: " Cum autem sibi objecisset eum qui agit propter finem, videri eo indi- „ gere: sic respondet: " Dicendum, inquit, quod agere propter indi- „ gentiam, non est nisi agentis imperfecti . . . . sed hoc Deo non com- „ petit: & ideo ipse solus est maxime liberalis: quia non agit propter „ suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem. " Unde celebre est S. Thomæ effatum, " Deum quidem velle hoc esse propter hoc; non autem velle hoc propter hoc. Utrumque sequens Estius *in* 2. *dist* 1. §. 12. " Dum quæritur, inquit, quare Deus mundum fecerit, non causa „ quæritur divinæ voluntatis, aut finis Deo propositus, quem ipse sibi „ per hoc suum opificium acquirere voluerit, sicut homo domum facit „ propter bonum suum assequendum, scilicet inhabitationem, &c. Deus „ enim perfectissimus, ac nullius indigens, sicut efficientem causam non „ habet, ita nec finalem, ipse rerum omnium principium & finis. Qua „ consideratione Augustinus *lib.* 1. *de Gen. contra Manichæos cap.* 2. *&* „ *lib.* 83. *quæst.* 28. &c. Respondet: Quia voluit . . . . Verumtamen, „ ut ex ejusdem loci doctrina perspici potest, recte ejus operis quod Deus „ facere voluit & fecit, assignatur causa finalis propter quam Deus ipsum „ fecit, & facere voluit. Unde sicut dictum est Prov. c. 16. *Universa* „ *propter semetipsum operatus est Dominus*: ita dici quoque potest, „ universa propter semetipsum operari voluit Dominus, una tamen & „ eadem voluntate, quæ ipsius essentia est, opus ipsum volens, & fi- „ nem ejus. Finalis igitur causa mundi creati est bonitas Dei, qua- „ tenus nimirum ea creaturis communicatur, id est aliis verbis com- „ municatio bonitatis divinæ, itaut quærenti; Quare Deus mundum „ fecerit, recte respondeatur, Ut bonitatem suam ad extra communica- „ ret. Hoc enim sensu docent Patres creationis rerum causam esse bonitatem „ Dei; Augustinus *Enchir. cap.* 9. *lib.* 11. *confess. cap.* 4. & *in expos. psal.* „ 138. & idem Augustinus *lib.* 11. *de civ. Dei*, *cap.* 21. vehementer pro- „ bat sententiam Platonis dicentis hanc concedendi mundi justissimam cau- „ sam fuisse, ut a bono Deo bona opera fierent: si quidem hoc interest

„ in-

„ inter creatorem Deum & creaturam, quod omnis creatura operatur ut „ bona sit, id est ut perfectionem acquirat ac conservet : Deus autem „ operatur tantum quia bonus est, id est perfectionem suam operando „ aliis communicat.

Instabis I. Negari sane non potest Deum hujusmodi gloriam ac cultum voluisse sibi deferri a mentibus quas condidit.

Distinguo antecedens : voluit ab his sibi deferri honorem cultumque, ut ipsarummet mentium creatarum officium ac bonum, concedo : ut justum operæ suæ pretium ; nego. Quod enim colamus Deum nostra interest, non ipsius : perinde enim ipsi est colatur necne. Si colitur, nihil accedit ejus bonitati; si non colitur, nihil decedit. Utrumvis fiat, peræque beatus est ac perfectus. Quod Patres & theologi jam dudum animadverterunt. Justinus martyr, seu potius alter eo antiquior & omnium ecclesiasticorum scriptorum antiquissimus *in epistola ad Diognetum pag.* 496. " Græci, inquit, sensus expertibus & surdis offerentes, dementiæ „ dant argumentum. Hi dum se Deo præbere ea cogitant tanquam iis „ indigenti, stultitiam potius quam cultum divinum merito existiment „ (id quod faciunt.) Qui enim cœlum & terram & omnia quæ in eis „ sunt condidit, ac nobis omnibus ea suppeditat quibus indigemus, fieri „ non potest ut ullo eorum indigeat, quæ ipse iis præbet, quæ se illi da- „ re existimant.

Tertullianus *de orat. cap.* 3. explicans hæc verba, *Sanctificetur nomen tuum*, " Non quod deceat homines, inquit, bene Deo optare, quasi sit „ & alius de quo ei possit optari, aut laboret, nisi optemus ; . . . . . „ quando non sanctum & sanctificatum est per semeptipsum nomen Dei, „ cum cæteros sanctificet ex semetipso? . . . . Id petimus ut sanctificetur „ in nobis, qui in illo sumus.

Cyprianus *de oratione Dominica*, ad eamdem Christi sententiam, " Non „ quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo Deus „ sanctificetur, qui ipse sanctificat?

Augustinus *lib.* 13. *confess. cap.* 1. " Fecisti me, inquit, . . . non ut „ tibi sic serviam, . . . quasi minor sit potestas tua carens obsequio meo; „ neque ut sic te colam, ut sis incultus, si non te colam; sed ut serviam „ tibi & colam te, ut de te mihi bene sit, a quo mihi est ut sim, cui „ bene sit.

Epistola 102. *ad Deo gratias*, *num.* 17. " Nobis, inquit, prodest co- „ lere Deum, non ipsi Deo. Cum ergo inspirat & docet quomodo co- „ lendus sit, non solum sua nulla . . . . indigentia facit, sed nostra ma- „ xima utilitate. " *Epistola* autem 138. *ad Marcellinum*, *num.* 6. " Nihil „ Deus jubet quod sibi prosit, sed illi, cui jubet. Ideo verus est Domi- „ nus, qui servo non indiget, & quo servus indiget. In ea quippe Scri- „ ptura, quæ vetus dicitur testamentum, ... dictum est, *Dixi Domi-* „ *no, Deus meus es tu : quoniam bonorum meorum non eges.*

S. Tho-

S. Thomas 2. 2. *quæst.* 132. *art.* 1. *de inani gloria ad* 1. " Qui super „ omnia (Deus) inquit, quantumcunque se laudet, non extollit se: nobis namque expedit Deum nosse, non illi: nec eum quisque cognoscit, „ si non indicet ipse qui novit. " Unde patet quod Deus suam gloriam non quærit propter se, sed propter nos.

INSTABIS 2. Gloria, quam ex mundi universitate exigere voluit Deus, debuit Deo esse digna. Atqui nulla est gloria Deo digna, nisi eadem infinita sit. Ut enim digna existimetur, oportet utriusque accuratam esse proportionem ac convenientiam. At Deus ipse infinitus est. Ergo &c.

NEGO minorem. Ad probationem, nego majorem. Ea enim Deo digna est adoratio, quæ fit in spiritu, & veritate. Is cultus Deo dignus, qui in sincero ac puro ejus amore positus est. Ea denique vita digna Deo est, quæ juxta Christianæ legis præcepta ducitur. Christus enim *Joan.* 4. 23. definiens, qui deinceps futuri essent veri Deoque digni adoratores, *Adorabunt*, inquit, *in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit qui adorent eum*. Apostolus autem *Coloss.* 1. 10. & 1. *Thess.* 2. 12. Christianos hortatur, ut ambulent *digne Deo*. Putabat igitur id posse à Christianis præstari. At noverat vitam ab iis duci non posse infinitæ perfectionis. Ergo potest aliquid esse dignum Deo, nec tamen infinitum. Scilicet debet quidem esse aliqua convenientia, sed non requiritur æqualitas. Si proportio requiratur, ea certe non debet esse omni ex parte accurata, quia non potest ejusmodi esse. Satis ergo erit, si ut Deus spiritus est & veritas, sic ab hominibus in spiritu, & veritate adoretur: si ut Deus sanctus est per essentiam, sic pro virili sancti esse conentur ad ejus imitationem, si pro modo ac viribus mentes creatæ in eum inardescant, si quantum possunt in ejus amore novos quotidie profectus faciant, si denique, quantum ab eo charitatis fundum acceperunt, tantum ei reddere studeant fructum amoris. Hinc oblationes Deo dignæ, homines Deo digni, opera Deo digna, in Scripturis persæpe appellantur; quibus tamen infinitam aut Deo parem dignitatem adfuisse nemo dixerit.

OBJICIES 4. Deus amat necessario perfectiones suas, quæ infinitæ sunt. At qui amat necessario perfectiones suas, non potest ullum opus efficere, quod eas non exprimat. Proinde mundus a Deo prodire non potuit, quin infinitam haberet perfectionem. Infinitam autem non haberet perfectionem sublata Incarnatione. Ergo necessaria omnino fuit Incarnatio.

DISTINGUO majorem: amat necessario perfectiones suas intra se; concedo: extra se; subdistinguo: eo sensu, quod non possit agere, quin opus eas aliquatenus exprimat; concedo; perfectissime exprimat; nego. Amat enim immensitatem suam; amat æternitatem: nec tamen idcirco mundum immensum aut æternum efficere debuit. Amat infinitam suam intelligendi vim: nec tamen ideo infinitam intelligendi vim creatis a se mentibus concessit.

Et

Et vero quidquid reponatur, certum est mentes a Deo conditas longe majori potuisse ab eo donari intelligendi vi, quam habeant: centies, millies, infinities major illa esse potest, quam sit: an idcirco centies, millies, infinities eam augere debuit Deus? Cur ergo non auxit, cum in hunc modum aucta longe perfectius infinitam hanc Dei facultatem expressisset. Quin etiam humana ipsa Christi natura, nonnisi finitæ est perfectionis. Quidquid autem finitum est in infinitum usque potest crescere. Cur ergo eam Deus in infinitum usque perfectam non fecit, nec facit? Certe quo esset perfectior, eo magis ad infinitam Dei perfectionem accederet, eamque adumbraret. Itaque non eo consilio mundum fecit Deus, ut infinitas suas perfectiones infinito modo exprimeret.

SECTIO III.

An Incarnatio ex hypothesi lapsus generis humani necessaria fuerit.

NON est necessaria Incarnatio ex hypothesi lapsus hominis seu generis humani, si potuerit Deus genus humanum prolapsum non redimere. Itaque jam agitur an Deo necesse fuerit hominem redimere.

ASSERTIO.

POTUIT Deus hominem non redimere.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ insigne redemptionis beneficium gratuitæ Dei misericordiæ tribuunt. Sapientiæ 12. 1. *O quam bonus & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! ... His tanquam hominibus pepercisti .... Semen enim erat maledictum ab initio; nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? ... aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?*

Isaiæ cap. 54. vers. 7. *In miserationibus magnis congregabo te, ... & in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus.*

Joannis 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ibidem cap. 15. vers. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ibidem cap. 5. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam .... Christus pro nobis mortuus est.* Ibidem cap. 9. 18. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Ephes. 1. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem.* Ibidem cap. 2. 4. *Deus .... qui dives est in miseri-*

ricor-

ricordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, ... cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, ... ut ostenderet in seculis supervenientibus abundandantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. Ad Titum 2. 21. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*. Ibid. cap. 33. 4. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Epistolæ 1. Joan. 4. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

Hæc enim testimonia evincunt Deum potuisse nos non liberare, & in peccato relinquere. Quod autem in peccato non reliquerit, sed liberarit, gratiam esse, misericordiam esse, charitatem esse, & quidem maximam.

PROBATUR 2. ex Patribus quorum omnium sententiam exprimit Augustinus *libro de natura & gratia cap.* 5. " Universa, inquit, massa pœ„ nas debet, &, si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, „ non injuste procul dubio redderetur.

PROBATUR 3. variis e ratione petitis momentis.

1. Enim nedum culpa necessariam habeat cum redemptione connexionem, multo magis haberet cum damnatione necessitudinem.

2. Non magis incumbebat Deo necessitas humani generis liberandi, quam Angelorum redimendorum. Atqui Angelos rebelles citra ullam injustitiæ labem in tartara detrusit æternis pœnis sine ulla reconciliationis spe cruciandos. Ergo, & homines eodem jure deserere potuit.

3. Redemptio humani generis est opus aliquod ad extra. Atqui Deus est omnino liber ad extra. Si igitur in creando homine ita liber fuit, ut posset non creare; quidni & in liberando?

4. Cum Deus per sese sit omni ex parte beatus, nihil ad ejus felicitatem conferre potuit humani generis instauratio. Qui ergo Deus ad illud instaurandum necessitate adductus fuisse dici potest? Certe Honorius Augustodunensis *lib. de Prædest.* " Quod Filius Dei est incarnatus, „ inquit, quantum ad ipsum, sola fuit voluntas, quantum ad hominem, „ summa necessitas.

OBJICIES 1. Sanctus Athanasius *supra, de Incarnatione Verbi*, asserit indecorum futurum fuisse, si Deus hominem lapsum deseruisset. Ita & alii Patres, v. g. Cyrillus *lib.* 5. *Thesauri*. Ergo necessarium erat ut redimeret.

DISTINGUO antecedens: indecorum negative; concedo: privative; nego. Tunc aliquid fit indecorum privative, quando fit aliquid contra quam decet, & oportet: negative autem, quando aliquid duntaxat omittitur, quod certa tantum ratione conveniens foret, & quod aliunde non tenetur facere qui agit. Cum itaque, ut supra diximus, consentanea sit Incarnatio divinæ bonitati, si ea non esset peracta, profe-

cto aliquid omissum foret, quod conveniens est. Sed cum nullo jure teneretur Deus mittere Filium suum ad homines liberandos, si non misisset, non sane egisset contra quam decuisset aut oportuisset, præsertim cum hoc in casu causas ita agendi habuisset idoneas & sapientiæ suæ congruentes, quas nostrum non est perscrutari.

Objicies 2. Anselmus toto fere in opere, cui titulus est, *Cur Deus homo*, duo contendit. Primum est, Deum non potuisse permittere, ut homo quem condiderat peccaret, nisi statim ipsum redimere statuisset. Alterum est, hominem non debuisse nec potuisse alia quam plenæ satisfactionis, atque adeo Incarnationis via redimi. Ut autem ista duo probet *lib.* 1. *cap.* 10. hoc quasi futuræ disputationis fundamentum jacit: quod nempe " Sicut in Deo quantumlibet parvum inconveniens sequi„ tur impossibilitas, ita quantumlibet parvam rationem, si majori non „ vincitur, comitatur necessitas. " Postquam autem hoc fundamentum jecit, ex hoc 1. colligit *cap.* 12. si peccatum citra satisfactionem legitimam condonetur " Inordinatum dimitti : " proinde " Deum injuste „ & inordinatè facere. " *Capite* autem 13. addit 2. ista agendi ratio„ ne " Nihil minus esse tolerandum, . . . nihil injustius esse." *Capite* autem 20. docet ejusmodi satisfactionem non ab homine mero, sed a solo Deo incarnato potuisse exhiberi. *Ibidem* vero *cap.* 16. affirmat præterea angelorum ruinas necessario fuisse implendas, nec aliter quam per homines redemptos impleri potuisse. *Libro* autem 2. *cap.* 4. Indecorum futurum fuisse Deo, proinde impossibile, ut fineret hominem lapsum in hoc miseriæ statu æternum manere : atque adeo necessitatem incubuisse Deo, ut humanum genus repararet. " Non enim latuit De„ um, inquit *cap.* 5. quid homo facturus erat cum illum fecit, & ta„ men bonitate sua illum creando, sponte se, ut perficeret incœptum „ bonum quasi obligavit. " Denique *Ibidem* cum id sibi proposuisset, quod objici posse sentiebat, scilicet Deum, si ita res haberet, in liberando homine non fuisse liberum, respondet cum libertate pugnare quidem necessitatem antecedentem, sed non consequentem ; quando nimirum quispiam se " Sponte necessitati subdit, nec invitus eam sustinet. „ Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia. " Porro Deum sponte se huic necessitati subjecisse, cum hominem libere creavit, quem peccaturum esse non ignoravit.

In eamdem sententiam concessisse videntur Ricardus Victorinus *de Incarn. cap.* 8. & Guillelmus Parisiensis in libello *de causis cur Deus homo factus sit*.

Respondeo varias esse de hoc Anselmi placito in scholis jam dudum opiniones.

1. Enim Alensis, & Sanctus Bonaventura eum interpretantur de necessitate consequente liberum Dei decretum citra legitimam satisfactionem exigendam.

2. Recentiores ipsum explicant de necessitate secundum quid, hoc est de necef-

necessitate congruentiæ, vel de necessitate per respectum ad perfectum redemptionis modum juxta strictos justitiæ apices.

3. Alii ingenue confitentur Anselmum reipsa sic opinatum esse, sed eum tamen contra tot Scripturæ aperta testimonia, tam gravem Patrum auctoritatem, totque e ratione deprompta momenta non esse sequendum.

De his penes acutum, & candidum lectorem esto judicium. Nobis certe apparet Anselmum durius loqui, quam ut in bonam partem ita facile inflecti possit.

Commodius autem exponuntur Ricardus & Guillelmus, ipsi mox adjuncti, de necessitate consequente liberam Dei de postulanda accurata satisfactione legem.

SECTIO IV.

An Incarnatio necessaria fuerit ex hypothesi hominum liberationis.

JAM constat Deum potuisse hominem non redimere; sed controversia est; an posito quod eum liberare vellet, ad id necessaria foret Incarnatio, quod ex alia quæstione pendet: An videlicet homo sine legitima & plena pro peccato satisfactione redimi non potuerit seu potius liberari. Si enim necessaria fuerit accurata satisfactio, necessaria per consequens Incarnatio fuisse censenda est, cum accuratæ satisfactioni dependendæ nulla mera creatura par esse potuerit. Si autem peccatum a Deo dimitti potuit citra strictam illam, & accuratam sasisfactionem, certe & liberari homo potuit citra Verbi divini Incarnationem.

Hac vero in parte duæ sunt opiniones.

Prima est nonnullorum recentiorum, qui existimant Deum id sibi ac justitiæ suæ debere, ut peccatum puniat, aut citra legitimam satisfactionem non expungat: proinde hominem non potuisse sine Incarnationis beneficio reparari. In eamdem omnes vulgo Calviniani transeunt, ut Socinianos Christi satisfactionem e medio tollentes, commodius refellant. Sed eam præ cæteris illustravit Turretinus cum *in institutionibus theologicis*, ubi de justitia Dei, tum in peculiari opere, quod de Christi satisfactionis necessitate, veritate & perfectione conscripsit. Ibi enim contendit Deum non posse peccatum gratis condonare; sed ex legibus justitiæ necessario punire debere. Si enim posset non punire, posset, inquit, & non odisse. Si posset non odisse, posset & amare: quod cum ipsa Dei notione pugnat.

Secunda est communis omnium sive veterum sive aliorum e recentioribus theologorum, qui putant in arbitrio Dei fuisse ut hanc expletam satisfactionem vel exigeret, vel omitteret: proinde ipsum alio quovis modo saluti nostræ consulere potuisse,

Ut vero quid de hoc capite sentiamus appareat, esto.

ASSERTIO I.

Conveniens admodum fuit ut Deus hominis peccatum citra accuratam satisfactionem, atque adeo citra Verbi divini Incarnationem non dimitteret.

Probatur. Ejusmodi enim satisfactio spectari potest vel quoad hominem vel quoad Deum.

At Primo conveniens fuit Deo, ut *supra* demonstravimus. Sic enim eluxerunt mirum in modum ejus misericordia, justitia, sapientia, potentia, & cæteræ dotes, quæ non ita eluxissent omnes, si aliter, hoc est gratis, homini remissum foret peccatum, hoc enim in casu misericordiæ quidem locus, at non item justitiæ ac sapientiæ fuisset.

Secundo. Eadem hæc redemptionis via homini conveniens fuit. Sic enim 1. humanum genus cognovit quanta sit peccati gravitas, & quantopere Deus illud oderit, cum ad illud plectendum *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. 2. Homo cognovit quantum deberet Deo. 3. Incarnatio Verbi nova ad fidem, spem & charitatem subsidia nobis suppeditavit. 4. Homo ipse in satisfactionis partem magno suo bono venit. 5. Incarnatio Verbi hinc consecuta, in hominis gloriam non minus quam in utilitatem cessit. 6. Firmior quodamodo pax videtur esse Deum inter & hominem constituta, cum plena juxta strictos justitiæ apices satisfactio intervenit; quo fit ut David psal. 84. canat: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*.

Nec dicas majorem futuram fuisse liberalitatem, si Deus homini gratis peccatum condonasset.

Non enim eo minor liberalitas fuit: imo major, cum ad præstandam illam satisfactionem proprium Filium dederit.

Nec instes majorem in eo virtutem elucere qui injuriam sibi factam gratis condonat, quam in eo qui satisfactionem exigit.

Hoc enim locum habet quidem in hominibus privatis, qui satisfactionem non postulant, nisi ex odio personæ quæ læsit, aut proprii commodi suæque dignitatis amore: sed locum non habet in iis quorum est communi bono invigilare. Tunc enim vulgo longe majoris est virtutis debitas pœnas a reis repetere, quam omnes eis condonare. Si autem hoc ita est in magistratibus ac principibus, quanto magis in Deo? Præsertim cum in hoc ipso Deus hominum saluti, gloriæ ac bono consulat.

ASSERTIO II.

Potuit Deus hominem sine accurata illa satisfactione, atque adeo sine Verbi Incarnatione reparare; peccatum scilicet gratis condonando, aut ratam sponte habendo qualemcunque injuriæ sibi factæ compensationem.

Pro-

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ Deum ubique prædicant omnipotentem. Si ergo, quia omnipotens est, solo nutu hominem condidit; quidni eadem hac via reparare potuit?

PROBATUR 2. sanctorum Patrum testimoniis, quibus nihil est disertius.

Athanasius *orat. 3. contra Arianos*, " Citra Incarnationem, inquit, „ poterat Deus solummodo loqui & maledictionem solvere. Sed considerandum est quid hominibus expediat; neque in omnibus æstimare „ quid possit Deus.

Gregorius Nazianzenus *orat. 9.* postquam dixit Christum pro nobis carnem induisse, " Hæc, inquit, Salvator quidem fecit; idque cum so„ la voluntate, tanquam Deus, salutem afferre posset, quemadmodum „ & universa solo jussu procreavit.

Gaudentius Brixiensis *tract. 3.* " An fortasse putamus, inquit, ... „ quia aliter omnipotens Filius Dei salvare non potuerit mundum?

Augustinus *de agone christiano cap. 11.* " Sunt .... stulti, inquit, „ qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi „ susciperet hominem ... & a peccatoribus omnia illa pateretur? Qui„ bus dicimus: Poterat omnino. Sed si aliter faceret, similiter vestræ „ stultitiæ displiceret. " Vide *lib. 13. de Trinit. cap. 3. 10. & 13.*

Leo Magnus *sermone 2. de nativ.* " Misericordia Dei, inquit, cum „ ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, „ hanc potissimum consulendi viam elegit " &c. Sic etiam *serm. 8.*

Cyrillus Alexandrinus *lib. de Incarn.* apud Euthymium *tit. 13.* " Ne „ corpore quidem egebat divinum Verbum, inquit: ... solo poterat „ imperio salutis nostræ negotium exequi.

Theodoretus *serm. 6. contra Græcos*, " Erat illi facillimum, inquit, „ etiam citra carnis involucrum hominum administrare salutem, & so„ la voluntate mortis dominatum evertere: .... verum non ille po„ tentiam suam, sed providentiæ potius æquitatem voluit ostendere.

Hilarius Arelatensis *homil. 4. de paschate*, " Potuit Filius Dei, in„ quit, hostem humani generis, & in cœlis positus, nutu ipso suæ di„ vinitatis eludere " &c.

Gregorius Magnus *lib. 20. Moral. cap. 26.* " Mediator .... Dei & „ hominum, inquit, ... cum posset nobis etiam non moriendo con„ currere (succurrere,) subvenire tamen moriendo hominibus voluit, „ quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet.

Joannes Damascenus *lib. 3. cap. 18.* " Poterat, inquit, in cujus po„ testate sunt omnia, omni potenti sua virtute hominem eripere ab „ eo, qui tyrannice illum opprimebat. Verum incusationis & querelæ „ tyrannus occasionem inde cœpisset, si cum hominem vicisset ipse, „ vim a Deo passus esset.

Bernardus *epist. 190. contra Petrum Abaelardum*, " Quis negat, in„ quit, omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ re-

„ demptionis : . . . verum hoc non præjudicat hujus, quem e multis „ elegit, efficaciæ. " Et *sermone* 11. *in Cantica*, " Sed dicit aliquis, „ inquit; Non valuit opus suum reparare creator absque ista difficulta- „ te? Valuit. Sed maluit cum injuria sui, ne &c.

Guitmundus Aversanus *in confessione fidei*, " Mori, inquit, cum aliæ multæ rationes, quibus nos redimeret, suppeterent, voluit.

PROBATUR 3. omnium hactenus theologorum consensione. Ita enim docent Lombardus *in* 3. *dist.* 20. Alensis 3. *parte*, *quæst.* 1. *membro* 3. *art.* 4. Altissiodorensis *lib.* 3. *summæ*, *tract.* 1. *cap.* 8. S. Thomas *hic*, *quæst.* 1. *art.* 2. Bonaventura, Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel &c. Imo Suares affirmat hanc sententiam ita esse communem & certam, ut negari non possit sine temeritate & fidei incommodo.

PROBATUR 4. multiplici ratione.

Prima est, Quod si cuilibet liceat de jure suo cedere; quanto magis Deo? Nulli enim injuriam facit, qui pœnam sibi debitam gratis remittit.

Secunda est, Quod omnibus fatentibus in nostræ salutis negotio pœnas, quas debebamus, in Christum vadem nostrum pro sua benignitate transtulerit. Quidni igitur & penitus auferre potuerit?

Tertia est, Quod juxta theologos adversæ sententiæ patronos, Deus licet non possit peccatum inultum dimittere, possit tamen mitiorem pœnam infligere, quam culpa mereatur. Ajunt enim Deum esse liberum, quoad varium justitiæ exercitium, pœnæ mensuram & gradum &c. Atqui si ita est, accurata satisfactio non potest esse necessaria. Nihil enim est causæ, cur leviorem satisfactionem quæ ab homine exhiberetur, gratam habere non posset Deus.

Quarta est, Quod punitio rei sit opus ad extra. In iis autem, quæ ad extra sunt, liber est Deus.

Quinta, Quod Deus possit quidquid non involvit contradictionem. At quod peccatum condonetur, aut mitiori pœna plectatur, non includit contradictionem. Ergo.

OBJICIES 1. Plurimi sunt ex antiquis ecclesiæ doctoribus, qui statuant hominem sine Christi Incarnatione nullatenus redimi potuisse aut liberari.

Irenæus *libro* 3. *cap.* 20. " Nisi homo conjunctus fuisset Deo nostro, „ non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.

Augustinus *sermone* 14. *de tempore*, " Transgressio primi hominis to- „ tum deceperat mundum, ut nullum esset salutis remedium, nisi Chri- „ stus adveniret e cœlo. " Et *serm.* 8. *de verbis Apostoli*, " Non libera- „ retur humanum genus, inquit, nisi Sermo Dei dignaretur esse hu- „ manus.

Proclus Cyzicenus *homil. de Christi nativ.* initio concilii Ephesini " „ Unica hæc, inquit, restabat mali solutio.

Leo magnus *serm.* 1. *de passione Domini*, " Talibus, inquit, vinculis „ tene-

„ tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi. " Adde 12. *de eodem argumento*; 7. & 8. *de Epiphania*; 7. *de quadragesima*; 1., 4. & 10. *de nativ. epistolas* 13. 81. & 95.

Cyrillus Alexandrinus *Dialog. de Incarnat.* " Deus, inquit, apprehen- „ dit non angelos, sed semen Abrahæ. Hoc enim modo & non alio po- „ terat recuperari genus in corruptelam prolapsum. " Vide & *lib.* 5. *thesaur. cap.* 7.

Vigilius *contra Eutychen lib.* 5. circa finem " Non aliter fieri potuit, „ nisi talis mediator existeret.

Dorotheus *in doctr.* 1. " Solius, inquit, erat Dei mederi, & malum illud vincere.

Honorius Augustodunensis *de prædest. & libero arb.* " Quod Filius „ Dei est incarnatus, inquit, ... quantum ad ipsum, sola fuit vo- „ luntas: quantum ad hominem, summa necessitas. Nisi enim hic in- „ carnaretur, ille nunquam salvaretur."

Similia his scribunt Chrysostomus *homil.* 10. *in Joan.* Ambrosius, seu quis alius, *in epist. ad Hebræos cap.* 9. &c.

Ergo non poterat omnino homo sine Verbi divini Incarnatione redimi.

Distinguo antecedens: non potuisse redimi justa satisfactione, quam ex justitiæ suæ legibus exigere statuerat Deus; concedo: absolute; nego. Nimirum sancti illi doctores secum invicem conciliandi sunt. Jam vero, ut vidimus, omnes una voce confitentur Deum multiplici alia, quam Incarnationis, via potuisse hominem reparare. Ergo cum addunt non potuisse, id non simpliciter & absolute, sed ex hypothesi accuratæ satisfactionis, quam repetere decreverat, intelligendum est.

Instabis. S. Athanasius *libro de Incarnatione Verbi*, pronunciat Deum integra & illæsa sua veritate ac justitia, non potuisse hominem sine legitima satisfactione redimere. Ergo.

Distinguo antecedens: non potuisse, quia legem tulerat de pœna repetenda, & illud prædixerat; concedo: non potuisse absolute; nego. Poterat enim legem hanc non ferre; poterat illud non decernere, nec prædicere; sed posito quod fecisset, jam non poterat Deus illæsa sua veritate ac justitia ab illa satisfactione exigenda abstinere.

Objicies 2. Justitia Deo est naturalis & essentialis. Atqui justitia vult ut peccatum puniatur. Ergo.

Distinguo majorem: justitia in actu primo; concedo: in actu secundo; nego. Justitia itaque in actu primo est Dei proprietas, sicut & misericordia. Utraque autem est eo sensu Deo naturalis & essentialis: sed neutra in actu secundo, seu quoad effectus & exercitium, essentialis est. 1. Enim illud non est essentiale Deo, quod potuit omnino non esse & diu non fuit. Atqui potuerunt nulla esse omnino effecta justitiæ ac misericordiæ divinæ, si nempe Deus nihil omnino condidisset: imo non fuerunt, donec aliquid ab ipso libere creatum fuit. 2. Non magis Deus neces-

ſario debuit punire peccatorem, quam ejus miſereri. Atqui potuit non miſereri hominis peccatoris. 3. Si juſtitia in actu ſecundo prorſus neceſſaria eſſet Deo, neceſſario Deus ad ſtrictam juſtitiæ normam pœnas exigeret. Atqui ipſimet adverſarii ſatentur Deum non neceſſario ad ſtrictam juſtitiæ normam pœnas exigere. Ergo.

Instabis 1. Juſtitia eſt conſtans voluntas unicuique tribuendi, quod ſuum eſt & ei debetur. Atqui peccator debet pœnas Deo. Ergo juſtitiæ divinæ eſt eas a peccatore repetere ut ſatisfaciat.

Distinguo majorem : niſi jus ſuum remittat ille cui debetur; concedo : ſi remittat; nego. At quiſque poteſt ſuo juri cedere. Volenti autem injuria non fit.

Instabis 2. Qui infinito peccatum odio proſequitur, & nihil non poteſt, debet neceſſario peccatum, ſaltem aliquando, punire. Ut enim amare, eſt velle bonum ei quem amamus; ſic odiſſe eſt velle malum ei, quem averſamur. Atqui Deus ſummopere odit malum, & poteſt illud plectere. Ergo.

Distinguo majorem : debet ſaltem aliquando peccatum punire, niſi illud aboleat, condonando nimirum aut qualiſcunque ſatisfactionis interventu tollendo; concedo : ſi illud aboleat; nego. Equidem quandiu peccatum manet, tandiu illud odit Deus : proinde niſi aboleatur, aliquando puniet. Sed poteſt illud penitus abolere multis modis. Certe confitentibus adverſariis poteſt pœnas differre, poteſt mitigare, poteſt in alium tranſmittere. Ergo odium non neceſſariam habet cum pœna connexionem : alias enim ubi eſſet odium, ſtatim eſſet pœna : quantum eſſet odium, tanta eſſet pœna : denique ab eo pœnæ repeterentur neceſſario, circa quem odium verſatur. Itaque pœnæ exercitium ex Dei libero arbitrio pendet, & quidem ita ut poſſit ſine ulla pœnæ exactione peccatum dimittere. Quin & ſi argumentum illud urgeretur, inde probari poſſet Deum neceſſario in nihilum eos eſſe redacturum qui peccant. Odium enim ſummum eo per ſe tendit, ut nolit prorſus eſſe quod averſatur.

Instabis 3. Non magis Deus abſtinere poteſt a pœnis peccatori infligendis, quam a præmiis pio reddendis. Atqui hoc non poteſt. Ergo.

Nego majorem & paritatem. Diſcrimen eſt, quod meritum jus acquirat perſonæ bene merenti; peccatum autem jus acquirat non peccatori, ſed parti læſæ. Non poſſet ergo qui bene meruit præmio fraudari, quin jure ſuo ſpoliaretur : quod Deus facere non poteſt, quia agitur de alterius jure, quod ſervare debet illibatum. At juri ſuo ipſe cedere poteſt, & quod ſibi debetur gratis remittere. Cum ergo reus non ſibi, ſed Deo pœnas debeat, Deus illas poteſt citra ullius alterius injuriam relaxare. Deus enim dum pœnas relaxat, nemini injuriam facere poteſt. Et quidem non ſibi : volenti enim injuria non fit. At peccatori injuriam non facit, cui contra ſumma fit gratia. Ergo.

S E-

SECTIO V.

An Incarnatio necessaria fuerit ex hypothesi accuratæ satisfactionis.

HÆc est præsentis controversiæ ultima ac præcipua pars, quæ eo diligentius pertractanda est, quod ad convellendum Socinianæ sectæ de Christi satisfactione impium errorem viam aperiat.

Quocirca ut clarior disputatio fiat, nonnulla prænotanda sunt.

Ac primo quidem *satisfacere* generatim idem esse quod *officium exequi:* sic qui æs alienum, quo obstringitur, dissolvit, qui sese excusat, qui expectationi aliorum respondet, is *satisfacere* latine dicitur. Imo quia quoddam est humanitatis officium, qui alicui placet, is ei *satisfacere* ab Ulpiano dicitur.

Secundo satisfactionem hic sumi pro injuriæ illatæ compensatione, & honoris læsi instauratione: quo distinguitur a restitutione proprie dicta, quæ res non honorem spectat.

Tertio ejusmodi satisfactionem duplicis esse generis, alteram perfectam, alteram imperfectam. Perfecta est, quæ omnibus ad satisfactionem legitimam requisitis numeris ac conditionibus ornata est: imperfecta vero, quæ omnes non complectitur.

Quarto satisfactionem perfectam & accuratam vulgo definiri solere *Redditionem voluntariam honoris ei, qui læsus est, paris, idque ex propriis & alias indebitis, ad pensandam iniuriam alicui factam*. Quæ enucleatius explicanda sunt.

1. Itaque dicitur *Redditio*, quia est honoris ablati reparatio. Ex quo theologi colligunt satisfactionem oportere esse ad alterum. Nemo enim proprie quidquam sibi ipse reddit.

2. Additur, *Voluntaria:* quia ut spontanea culpa imminutus est honos, ita voluntate resarciendus est. Unde qui scelerum pœnas damnati a judicibus luunt, ii quidem satis pati possunt, sed tamen idcirco satisfacere proprie nunquam dicti fuerint.

3. Subjungitur, *honoris paris & æquivalentis*. Satisfactio enim cum ad justitiam pertineat, æqualitatem necessario postulat, (Non enim alioqui suum unicuique tribueret, sed aliquid eo minus.) Poscit autem æqualitatem accuratam, quæ *arithmetica* nominatur, qua tantum redditur quantum ablatum est; non vero *geometricam*, quæ varia est pro variis illius, qui reddit facultatibus.

4. Subjicitur, *ex propriis*, saltem physice, si non moraliter: ex propriis, inquam: si enim satisfactio fieret ex bonis creditoris, semper eadem maneret, quæ antea, inæqualitas; si autem ex bonis cujuspiam alterius, aut illa non fierent propria ejus, cui satisfit, aut saltem eo non fierent propria quod ea debitor daret. *Physice* autem dixi, si non *moraliter*. Qui enim librum v. g, furto ereptum restituit, is satisfacere

cen-

censetur. Unde colligere in promptu est, si creditor daret debitori quo sibi satisfaceret & ea mente, tunc non tam satisfactionem fore, quam simulatam condonationem: sin autem non ea mente dederit, sed vero ac legitimo dono ejus rei dominium ante in debitorem transtulerit, tunc ex ea satisfactio offerri potest, ut pote quæ sit ejus qui satisfacit.

5. Dicitur, *& alias indebitis*. Is enim qui id offerret, quod jam alio titulo debet, non censeretur legitime satisfacere. In iis enim quæ sunt satisfactionis, id est juris naturalis, non potest duplex nomen una solutione expungi. Ita qui centum aureos nummos mutuo accepit, si postmodum mercium causa centum alios debeat, non potest utrique simul nomini centum duntaxat solvendo satisfacere. Sed quando agitur de jure positivo non eadem est ratio. Ita qui sacris ordinibus initiatus est, & quodam insuper beneficio ecclesiastico gaudet, potest una eademque breviarii recitatione utrique simul titulo facere satis, quia nimirum id ex ecclesiæ arbitrio ac voluntate pendet.

6. Denique dicitur, *Ad pensandam injuriam alicui factam*, ut distinguatur cum a restitutione, quæ res spectat, tum a merito, quod ad præmium respicit.

Jam vero ut satisfactio injuriæ, quæ illata est, pensandæ par censeatur, oportet aliquem ei valorem inesse. Porro satisfactionis valor cum a persona satisfaciente, tum ab actionibus ipsius, operumque objecto, difficultate &c. desumitur. Et quidem ex persona satisfaciente genus & ordo satisfactionis derivatur, sicut injuriæ contra ex personæ læsæ dignitate. Cum enim persona, quæ satisfacit, se ipsa subjiciat; quo excelsior est, eo quid majus existimatur submittere: quemadmodum contra injuria crescit pro illius cui fit gradu, quia persona ipsa deprimitur. At intra idem satisfactionis genus, actiones ipsæ in satisfactionis partem venientes majoris sunt aut minoris valoris, pro varietate objecti, difficultatis, aliisque ejusmodi, quæ diversam nostris operibus conciliare solent dignitatem.

Quid autem sit ille valor, in scholis disputatur. Nonnulli putant esse ens rationis. Sed immerito, siquidem operibus inest citra ullam mentis de eo cogitationem. Alii ipsum collocant in denominatione duntaxat extrinseca, quæ a persona petatur. Sed perperam. Valor enim ille satisfactioni intrinsecus est. Ergo quoddam ens physicum est vel morale. At non est quid physicum. Opus enim entitative & physice unum ac idem potest varium pro diversa personæ satisfacientis dignitate, si mutaretur, valorem sortiri. Est itaque ens aliquod generis moralis, quomodo honestas, & alia ejusdem rationis.

Quibus positis duo nunc in quæstionem vocanda sunt. Primum, an licet Deus peccatum gratis condonare potuerit, constans tamen in eo semper fuerit voluntas peccati puniendi, nec illud sine legitima satisfactione remittendi. Alterum, an solus Deus incarnatus ejusmodi satisfactioni exhibendæ par esse potuerit.

C A-

CAPUT I.

An constans semper in Deo fuerit voluntas peccati puniendi, nec illud sine satisfactione remittendi.

SOCINIANI non modo Deum sine ulla satisfactione peccatum remittere posse, sed & semper voluisse existimant: ita ut quotiescunque peccator ad Deum redire statuerit, sola fide ac resipiscentia, nulla vero satisfactione indigeat: pœnæ vero ad eos solos, qui in scelere obstinati manent aut moriuntur, pertineant: quo impio dogmate crucem Christi evacuant, omnemque illius satisfactionis subruunt necessitatem.

ASSERTIO.

CONSTANS in Deo voluntas semper fuit puniendi peccati, nec illud sine satisfactione remittendi.

ARGUMENTA.

1. *Ex Scripturis.*

PROBATUR 1. ex Scripturis, in quibus Deus ipse passim prædicat quanto sit in peccatum odio, quanta in peccatores ira, quanta in eo puniendo severitate, quam firmo in pœnis de eo repetendis proposito: quod ipsum sacri scriptores ubique diligenter inculcant.

1. Summum Dei adversus peccata odium ostendunt varia Scripturæ loca. Levitici 26. *Sin autem nec .... audieritis me, ... ego incedam adversus vos in furore contrario, & abominabitur vos anima mea.* Psal. 5. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit juxta te malignus; neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Prov. 3. 32. *Abominatio Domini est omnis illusor.* Ibidem cap. 6. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes* &c. Ibidem 11. 1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* 12. 22. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Ibidem 15. 9. *Abominatio est Domino via impii.* Ibidem 16. 5. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Sapientiæ 14. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Habacuc. 1. 13. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.*

2. Iram Dei in peccatores ex hoc peccati odio excandescentem arguunt alia non minus frequentia Scripturæ testimonia. Exodi 20. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Deuter.

4. 24. *Do-*

4\. 24. *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator* Ibidem 5. 9. *Ego sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator* &c. Ibidem 6. 15. *Deus æmulator, Dominus Deus tuus*. Ibidem 32. 21. *Ipsi provocaverunt me in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: .. ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima :* & psal. 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*. Joannis 3. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, Rom. 1. 18. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Ibidem 2. 8. *Iis qui sunt ex contentione ... ira & indignatio*. Ibid. 5. 15. *Lex iram operatur*. Ephes. 5. 6. *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*.

3\. Quanta illud Dei odium iramque severitas, quam firmum in repetendis de peccato pœnis propositum consequatur, eædem Scripturæ ubique docent. Exodi 34. 7. *Nullus apud te per se innocens est*: (hebraice, *sontem impune non dimittes*) Num. 14. 18. *Nullum innoxium derelinquens* (quæ eadem est cum proxima & iisdem verbis expressa sententia) Deut. 7. 10. *Reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, & ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur*. Psal. 93. 1. *Deus ultionum Dominus*. Jerem. 51. 56. *Fortis ultor Dominus, reddens retribuet*. Ezech. 5. 13. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis*. Nahum 1. 1. *Deus æmulator & ulciscens Dominus: ulscicens Dominus & habens furorem : ... & mundans non faciet innocentem* : hoc est, ut supra, peccatorem impune non dimittet.

4\. Scripturæ insuper significant ita agere Deum, quod immotis justitiæ legibus obsequi statuerit. Genes. 18. 25. *Absit .... a te*, inquit Abraham Deo, *ut .... occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius: non est hoc tuum, qui judicas omnem terram : nequaquam facies judicium hoc*. (seu ut hebraice est, *Nunquid judex universæ terræ non exerceret jus ?*) Rom. 1. 32. *Cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Ibidem cap. 3. 5. *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? .... Absit : alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* 2. Thessal. 1. 6. *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*.

5\. Peccati pœnæ sunt humanæ vitæ miseriæ, interitus, maledictio Dei & mors æterna: sic *Genes.* 2. 17. post interdictum Adamo lignum scientiæ boni & mali, Deus ipsum ita alloquitur ; *In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Capite autem 6. cum in humani generis scelerum pœnam diluvium mittere decrevisset Deus, *Finis universæ carnis*, inquit, *venit coram me*. Deut. 27. 26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus*; seu ut habet Apostolus, Galat. 3. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in*

libro

libro legis ut faciat ea &c. Ezech. 18. 20. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: impii autem manibus & verbis accersierunt illam, ... quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius.*

Ubi observandum est 1. mortem quam Deus Adamo intentat, non tantum esse animæ, sed & corporis; contra quam Sociniani sentiunt, qui putant mortem esse necessariam naturæ nostræ appendicem. Ut enim ait Sapiens cap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem. .... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Apostolus autem Rom. 5. 12. *Per unum homniem paccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et cap. 6. v. 23. *Stipendia enim peccati mors.* Hanc vero mortis corporeæ pœnam (ut de aliis taceamus) sine ullo Adami contumaciæ respectu ipsi ac posteris ejus inflictam esse, nec illos ab ea unquam, quidquid egerint, levatos esse. 2. Ex iis qui diluvio perierunt, non paucos resipuisse, quod arguit Petrus *epist. 1. cap. 3. v. 19.* ubi testatur Christum post mortem suam his, qui in carcere (inferni) erant, spiritibus .... prædicasse, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe; nec tamen propterea fuisse supplicio exemptos, 3. Juxta Apostolum *ad Gal.* 3. 10. 11. 12. 13. 14, maledictionem contra legis transgressores latam ejus naturæ fuisse, ut nunquam tolli posset, nisi Christus factus esset pro nobis maledictum.

Ex iis autem jam facile est colligere constantem esse in Deo peccacati puniendi voluntatem, nec illud sine satisfactione remittendi. Quæ enim mox diximus eo gradatim ducunt, ut de hoc capite dubitari non possit. 1. Enim Deus toties non profiteretur se esse peccati osorem; nisi ut se illud pro merito plectere velle omnibus significaret. 2. Ira de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicitur. Ira autem est in pœnam a fonte repetendam motus ac impetus. Jam vero motus & impetus ejusmodi in Deum non cadit. Ejus itaque loco sunt ratio, consilium & voluntas. 3. Quid expressius? cum Deus non modo se scelerum osorem, sed & severum ultorem ubique prædicet, & ita quidem ut sontes nullatenus impune dimittat. 4. Justitia postulat ut peccatum puniatur, & absque satisfactione non remittatur. Atqui Deus justitiæ leges sequitur. Ergo. 5. Denique illud adeo verum est, & constans ut pœnæ absque ullo contumaciæ respectu infligantur, & ab iis etiam qui non obstinati manent repetantur, & nulla alia quam satisfactionis via tolli posse dicantur.

Secun-

Secundum ex naturali conscientiæ testimonio & gentium omnium consensu.

PROBATUR 2. ex naturali conscientiæ humanæ testimonio & gentium omnium consensione, quæ duo sane non nisi ab ipsius naturæ auctore Deo proficisci potuerunt, nec alio consilio animis hominum ab ipso imprimi, quam ut, quod Deus statuerat, id neminem lateret. Jam vero is est ac semper fuit omnium hominum sensus, ea est ubique recepta persuasio, non modo Deum esse osorem & ultorem scelerum, sed etiam illa non posse nisi expiatione ac satisfactione rite expungi. Hinc acres illi conscientiæ stimuli; hinc horrendi animorum laniatus, ubi scelera admissa sunt; hinc imminentis ac debitæ pœnæ anxia expectatio; hinc denique tot expiationum ritus, totque sacrificia divinæ iræ ac justitiæ placandæ adhibita.

Tertium ex veteribus legis Mosaicæ sacrificiis.

PROBATUR 3. ex sacrificiis olim a Deo ipso in lege Mosaica institutis. Certum enim est sacrificia in eum præcipue finem esse comparata ut succedentibus hominum reorum loco victimis irati numinis ira avertatur, & pœna peccatis debita averruncetur. Cum ergo tot sacrificia ejus generis Deus ipse imperarit, an non eo argumento manifeste nos docuit constantem sibi inesse peccati puniendi voluntatem, nisi sacrificio, & expiatione legitima justitiæ suæ ultrici satisfieret? Alia enim nulla est hujusmodi sacrificiorum necessitas. At Apostolus docet *in Epistola ad Hebræos, cap. 9. & 10.* veteris legis sacrificia, & expiationes, non nisi umbras, & imagines fuisse veræ ac legitimæ satisfactionis, quæ ad auferenda peccata necessaria erat; quia impossibile erat sanguine hircorum, & taurorum ea auferri. Ergo.

Quartum ex morte Christi.

PROBATUR 4. ex morte Christi, quæ multifariam evincit idoneæ pro peccato satisfactionis ex divino decreto necessitatem. 1. Enim ut mox notabamus, Paulus *in epistola ad Hebræos cap. 9. & 10.* ex professo probat novam legem veteri, & Mosaicis sacrificiis Christi sacrificium in cruce oblatum succedere necessario debuisse: quia nempe statuerat Deus sine sanguine non auferre peccata, nec eorum pœnas relaxare. Cum ergo impossibile foret sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata, ideo Christum sese in victimam piandis criminibus idoneam in cruce obtulisse. Ergo juxta Apostolum mors Christi demonstrat satisfactionem exhibendæ necessitatem. 2. Idem Apostolus passim declarat Christum revera mortem obiisse ut divinæ justitiæ satisfaceret pro nobis. Rom. 3. 25. *Quem proposuit Deus*, inquit, *propitiationem, per fidem in sanguinem ipsius, ad osten-*

sio-

sionem justitiæ ejus . . . . ut sit ipse justus: hoc est ex justitia ipsius omnibus innotescat. 3. Tandem nulla alia legitima causa excogitari potest quam idoneæ satisfactionis necessitas, cur Deus innocentissimum sibique charissimum, & æqualem Filium suum crudeli ac horrendæ morti objicere voluerit. Quis enim putet hoc gratis, & citra maximam quamdam necessitatem esse factum? At nulla necessitas nisi legitimæ satisfactionis fingi potest. De quo postea fusius. Ergo.

OBJECTIONES.

Objiciunt 1. Crellius *de Deo c.23.* Deus pollicitus est resipiscentibus veram & plenam omnium pœnarum condonationem. *Jerem.* 18.10. *Ezech.* 18. 21. *& cap.* 33. *v.* 12. Ergo.

Distinguo antecedens: intuitu satisfactionis futuræ, esto: sine ullo ad illam satisfactionem respectu; nego. His itaque locis promittit quidem hominibus resipiscentibus gratiam, & æternæ pœnæ condonationem, imo & certæ cujusdam pœnæ temporalis relaxationem; sed non omnium. Neque enim ita agere solet; quippe qui Davidi resipiscenti, aliisque pœnitentibus in Scripturis legitur pœnas etiam postmodum luendas imposuisse. Sed esto omnes omnino pœnas condonet; quid inde? Videndum profecto semper & cujusnam rei intuitu hominibus hæc beneficia præstet. At si Scripturas rimari voluerimus, statim deprehendemus unum esse Christum, qui satisfactione sua suoque sanguine nos Deo reconciliaverit, & non modo peccatorum, sed etiam omnium pœnarum remissionem nobis promeruerit.

Objiciunt 2. Crellius *ibidem.* Sunt quidem innumeræ Dei in sacris Scripturis comminationes, quibus pœnas omnibus peccatoribus intentat. At comminationes non absolutæ, sed conditionatæ censendæ sunt, nisi vel earum contrarium natura sua gravitatem quamdam in se contineat, aut signum comminationibus sit additum immutabilis plane voluntatis, ut si comminationi juramentum sit additum. Atqui neutrum reperitur in his comminationibus, quæ sunt de pœnis a peccatore repetendis. Ergo conditionem illam seu exceptionem tacitam includunt, nempe istam, nisi resipiscat.

Respondeo 1. negando majorem. Unde enim regulam hanc hauserunt, comminationes videlicet omnes esse conditionatas, non absolutas, quando juramentum non adjungitur, aut in relaxatione ac indulgentia nihil est pravi? Non diffitemur aliquas in Scripturis occurrere comminationes conditionatas, qualis fuit Isaiæ ad Ezechiam, & Jonæ ad Ninivitas. At absurdum est ex uno aut altero exemplo generale quoddam pronunciatum exsculpere. Sed longe adhuc absurdius est ad verbi Dei firmitatem jusjurandum exigere, quandoquidem Deus ipse generatim pronunciat Isaiæ 46. *Concilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Malach. 3. 6. *Ego Dominus & non mutor.*

Res-

RESPONDEO 2. concedo has omnes comminationes aliquatenus dici posse conditionatas. Sed ex Scripturis discere oportet quænam illæ sunt conditiones, quarum respectu Deus peccata condonet. Nos autem dicimus primam ex his esse Christi satisfactionem, quæ nobis jus illud acquisivit: secundam vero esse resipiscentiam & alia quæ a nobis poscit Christus, ut nobismet ipsis satisfactionis istius fructum applicemus.

OBJICIUNT 3. Crell. *de satisf.* Deus quidem *Deut.* 27. 26. maledictionis suæ pœnam intentat iis, qui legem non servaverint. Sed de sola lege Mosaica loquitur, ut patet ex hac clausula, *legis hujus*. Ergo immerito illud ad omnes peccatores extenditur.

RESPONDEO 1. Apostolum Paulum *ad Gal.* 3. 10. hanc maledictionem extendisse ad omnes etiam gentiles, qui peccaverunt. Ex quo probat homines, qui in istam maledictionis pœnam inciderant, ex ea non potuisse eripi nisi Christus factus esset pro omnibus maledictum. Proinde illud a Socinianis perperam restringi ad Mosaicam legem.

RESPONDEO 2. etsi verba hæc de solis Israelitis distincte sint dicta, generali tamen ratione omnes complecti. Cum enim dicuntur esse maledicti a Deo, qui legem Mosaicam non servaverint, tunc lex ista non spectatur speciatim ut Mosaica, sed generatim ut lex a Deo lata: atque adeo hæc sententia de omni lege Dei intelligenda est. At quicunque peccaverunt etiam e gentilibus, naturalem legem a Deo animis suis insculptam habuerunt, ut docet Apostolus. *Rom.* 2. 14. Ergo eidem pœnæ obnoxii esse debebant. Ecquis enimvero putet maledictioni subjectos fuisse qui Mosaicæ legis ritus non observarent; non fuisse autem qui legem naturalem violarent?

OBJICIUNT 4. Crell. *de satisf.* Potuit Christus aliis de causis pro humano genere mori, quam ut satisfactionem exhiberet, nimirum ut doctrinam salutarem, quam prædicaverat, confirmaret, summam suam Deique charitatem erga homines demonstraret &c. Ergo.

RESPONDEO 1. Scripturas nobis divinandum non reliquisse qua de causa Christus pro humano genere mortuus sit. Passim enim & apertissime inculcant Christum esse mortuum ut se pro nobis pretium daret.

RESPONDEO 2. etsi Scripturæ non ita aperte istud docerent, manifestum tamen fore nullam aliam esse potuisse mortis Christi causam, quam satisfactionis necessitatem. Christus enim miraculis suis satis doctrinam suam confirmaverat; summam suam charitatem satis demonstraverat tot exantlatis inter evangelium annunciandum laboribus; satis homines docuerat quanta Dei benignitas esset, qui proprium Filium ad liberandos homines misisset. Cur ergo Deus Filium unice sibi dilectum tam diræ, tam truculentæ morti objecisset, nisi alia causa impulisset? Quæ autem alia impellere potuit, quam quæ revera impulit, hoc est, satisfactionis ad expianda humani generis scelera obeundæ necessitas? De quo infra accuratius.

C A-

CAPUT II.

An ulla mera creatura legitimam Deo pro peccatis hominum satisfactionem offerre posset, eique obeundæ esse par.

NONNULLA animadvertenda sunt antequam aperiamus quid de proposita quæstione statuendum esse videatur.

Ac 1. quidem *meræ creaturæ* nomine a nobis eam hic intelligi, quæ Deo hypostatice conjuncta non sit.

2. Meram hanc creaturam posse spectari vel omnibus gratiæ auxiliis destitutam, vel iis adjutam & ornatam.

3. Controversiam hanc agitari de peccato mortali & veniali, proprio & alieno, quod de his peculiaris quæstio esse possit. 1. Enim non eadem est lethalis ac venialis peccati gravitas : ex quo consequens esse videtur non eamdem esse oportere in utroque expiando difficultatem. 2. Ambiguum apparet ex peccato proprio aut alieno utrum sit expiatu facilius. Utraque enim pars aliquid habet quod sibi faveat magis. Quod enim spectat ad proprium peccatum, eo plausibilius putari potest aliquis pro eo idoneam satisfactionem posse exhibere, quod sibi quisque certius ac promptius quam alteri quidpiam mereatur. Sed altera ex parte illud est favorabilius, quod qui pro peccato proprio satisfactionem offert, is peccato inquinatus esse, atque adeo satisfactioni obeundæ minus idoneus esse videatur; cujuslibet autem noxæ purus esse queat, qui pro alieno satisfactione defungitur.

4. Satisfactionem esse duplicis generis: aliam nempe perfectam, aliam imperfectam : perfectam esse redditionem voluntariam honoris æquivalentis ex propriis, & alias indebitis, ad compensandam injuriam alicui factam : imperfectam vero esse, cui aliqua ex his conditionibus deest.

5. Hoc esse discrimen satisfactionem inter & injuriam, quod satisfactionis valor ex persona satisfaciente potissimum desumatur : injuriæ autem gravitas ex persona læsa. Cujus quidem discriminis hæc ratio est, quod in satisfactione persona ipsa, quæ eam offert, sese subjiciat; quo fit ut in satisfactionis partem veniat, eaque omnium judicio quadantenus includi existimetur: proinde suam ei dignitatem communicet: contra vero ubi de injuria agitur. Persona enim læsa videtur ipsa esse injuriæ subjectum, quam idcirco pati passim dicitur : Adeo ut ipsius dignitas non tantum tunc violari, sed etiam injuria ipsa involvi moraliter censeatur. Unde profluxit illud adagium, *Honor est in honorante, injuria in persona læsa.*

An mera creatura legitimam pro peccato mortali satisfactionem obire potuerit.

Duæ sunt in scholis de peccati lethalis gravitate sententiæ.

1. Est vulgo Thomistarum & aliorum passim, qui ajunt peccatum mortalem, quoad injuriam Deo factam, esse gravitatis intrinsece ac moraliter infinitæ: quia nempe gravitas injuriæ ex persona læsa speciem suam ac modum desumit: Deus autem est dignitatis infinitæ. Jam vero qua ratione omnia peccata lethalia possint esse gravitatis infinitæ, nec tamen omnia sint paria, non uno modo illi explicant. De quo consule inter alios Gonetum *disp. 9. de peccatis art. 1. nu. 3. & art. 6.*

2. Est quam recentiores amplectuntur, quæque statuit peccatum mortale non esse gravitatis simpliciter & intrinsece infinitæ, sed extrinsece duntaxat & objective, quia nimirum a Deo tanquam ab objecto extrinseco repetitur. Attamen peccatum illud ex objecti sui dignitate id trahere, ut in superiori quodam injuriæ ordine collocetur, ad quem usque nulla creaturæ illata injuria assurgere possit. De quo legi imprimis potest Suarez *quæst. 1. disp. 4. sect. 11.*

ASSERTIO I.

Mera creatura gratiæ auxiliis destituta non potest ullam pro peccatis dignam Deo satisfactionem exhibere.

Probatur. Non modo enim ad legitimam satisfactionem, sed etiam ad quodlibet meritum de condigno, ut ajunt, requiritur status gratiæ habitualis. At eo in statu non est, qui omni gratia destituitur. Ergo.

Deinde satisfactio debet esse æqualis offensæ. Atqui nihil ab ea creatura, quæ omnibus gratiæ auxiliis destituta sit, proficisci potest, quod æquale sit injuriæ Deo irrogatæ. His enim auxiliis destituta, nihil potest nisi naturale operari. Atqui nihil naturale potest ad divini ordinis, intra quem injuria illa est, dignitatem assurgere. Ergo.

ASSERTIO II.

Mera creatura quantumlibet instructa sit gratiæ auxilio, non potest pro suo vel alieno peccato accuratam Deo satisfactionem exhibere.

Probatur 1. ex Apostolo Paulo *ad Hebræos cap. 9. & 10.* ubi ex professo probat sine sanguine non potuisse auferri peccata: nullum autem alium quam Christi sanguinem his expiandis parem esse potuisse: quo a theologis illud Davidis refertur psal. 48. v. 8. *Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem suam; & pretium redemptionis animæ suæ*: quasi diceret, inquiunt, cum frater fratrem non re-

dimat,

dimat, qua tandem ratione homo extraneus redimere poterit, aut quidquam Deo offerre placandæ ejus iræ idoneum?

PROBATUR 2. ex Patribus.

Irenæus *libro* 3. *cap.* 20. & apud Theodoretum *dialogo* 2. " Nisi ho-
„ mo cum Deo copulatus fuisset, inquit, incorruptibilitatis particeps
„ fieri minime potuisset. Necesse quippe erat ut Dei & hominum me-
„ diator per suam cum utroque cognationem ac necessitudinem ambos
„ amicitiæ fœdere inter se conciliaret ....: Qua enim ratione filiorum
„ adoptionis ejus participes esse possemus, ... nisi Verbum ejus com-
„ municasset nobis caro factum?

Athanasius *oratione* 2. *contra Arianos*, " Neque ullius erat alterius ho-
„ minem cum Spiritu-sancto conjungere, quam tui ipsius (o Christe)
„ qui es imago Patris, ad quam ab initio conditi sumus. Nam crea-
„ tarum natura rerum ad id præstandum non erat idonea :.... pro-
„ pterea opus erat ipso Deo (Verbum autem Deus est) ut maledicto
„ subjectos liberare posset. " *Libro de Incarnat.* " Cum Verbum sit Pa-
„ tris & supra omnes, ex consequenti solus poterat instaurare univer-
„ sa & pro omnibus pati, atque idoneus erat qui pro omnibus apud
„ Patrem intercederet. " Adde *lib.* 2. *adversus Apollinarem*, quem laudat synodus IV. *act.* 8. & *homil. de passione & cruce Domini*, si tamen ipsius est auctor.

Eusebius *lib.* 1. *contra Sabellianos*, " Homo, inquit, non poterat to-
„ tius mundi peccata tollere ... Qui autem peccatum non fecit (Chri-
„ stus,) ipsa justitia est. Quia ergo justitia propria non habebat pec-
„ cata, potuit mundi peccata portare &c.

Basilius *ad verba psal.* 48. *supra allegata*, " Ne igitur, inquit, fra-
„ trem quæras, qui redimat, sed eum, qui naturam tuam superat; ne-
„ que merum hominem, sed hominem Deum Jesum Christum qui &
„ solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis.

Ambrosius *ad eumdem psalmi locum*. " Ipse est solus, inquit, qui re-
„ dimit hominem, ... quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem
„ nemo potest offerre pro fratre .... Sed quare solus hic redimet?
„ quia .... omnes sub peccato. " &c. *Lib.* 4. *in Lucam*, " Quis, in-
„ quit, tantus esset dux qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra
„ omnes est. " Idem, seu quis alius, *in epist. ad Hebræos cap.* 9. "
„ Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando,
„ nisi unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.

Chrysostomus *homil.* 20. *in Joannem*, " Cecidit natura nostra eo ca-
„ su, ut restitui non posset, nisi ab illa potentissima manu.

Augustinus *tract.* 4. *in epist.* 1. *Joan.* " In quo non est peccatum, in-
„ quit, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum,
„ auferendum esset illi, non ipse auferret. " Vide &c. *in psal.* 48. *serm.*
„ 14. *de tempore*, & 8. *de verbis Apostoli*, *supra*.

S. Leo *serm.* 1. *de nativ.* " Nisi esset verus Deus, inquit, non af-

„ ferret remedium : si non esset homo, non afferret exemplum. " Lege insuper *serm.* 1. *&* 12. *de passione Domini*, & cætera non ita pridem citata ejusdem sancti doctoris testimonia *sect.* 4. *assert.* 2.

Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *de fide ad reginas*, " Si ut vulgaris homo „ concipitur, inquit, quomodo illius corpus vitæ omnium æstimationem „ ac dignitatem exæquat? aut quomodo Deus haberi non debet, qui suo „ sanguine credentes in ipsum emundat. " Sic etiam *lib.* 2. *In exegesi* autem *ad Valerianum*, quæ est in synodo Ephesina, " Quo pacto, inquit, „ unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere po- „ tuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis fuisse dicamus?

Paulinus *epist.* 4. *ad Severum*, " Ideo dictum puto, inquit, *Frater non* „ *redimit, redimet homo*, quia quos frater non redemerat, hoc est prophe- „ ta seu legislator, qui homo tantum erat, hos homo redemit, qui & „ Deus erat .... Hujus enim modi homo solus prævalere potuit adver- „ sus sententiam mortis &c.

Eusebius, qui Emisenus vulgo appellatur *homil.* 6. *de Paschate*, " Non „ subvenire peccato poterat, inquit, simili peccato obnoxius : nec inter- „ venire pro servis astrictus legibus servitutis.

Fulgentius *de Incarn. cap.* 4. " Nullatenus humana natura ad auferen- „ dum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi „ Dei. " Adi præterea *librum* 2. *ad Thrasimundum cap.* 12.

Bernardus *serm.* 28. *in Cantica*, " Oportet, inquit, esse sine peccato „ eum, qui tollit peccata mundi, qui ad reconciliandos peccatores in- „ ventus idoneus jure sibi nomen vindicet salvatoris.

Arnoldus Bonævallensis *de* 5. *verbo Christi*, " Desperata esset, inquit, „ incarnati generis causa, quæ aliter componi non poterat, nisi exsolve- „ retur pro pace ejus tanti pretii quantitas, quod singulariter habeat a- „ pud se humilitas Christi &c.

Quibus adjungi possunt Justinus, seu quis alius, *in expositione fidei*; Cyprianus, seu quis alius, *serm. de passione Domini*; Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi* 13. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.* Vigilius *lib.* 5. *contra Eutychen*; Adrianus I. *epist. ad episcopos Hispaniæ*; Damascenus *lib.* 3. *de fide cap.* 15. *&* 19. Anselmus *lib.* 1. *&* 2. Cur Deus homo; Ricardus Victorinus *de Incarn. cap.* 8. S. Thomas *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. *&* 3. *ad Annibaldum dist.* 20. *art.* 3.

PROBATUR 3. ratione. Ad perfectam enim satisfactionem tria præsertim necessaria sunt, 1. ut sit ex propriis; 2. ut sit ex indebitis; 3. ut sit æquivalens. At mera creatura, quantislibet fingatur gratiæ muneribus instructa, non potest offerre Deo hujusmodi satisfactionem.

Ac 1. quidem non potest offerre satisfactionem quæ sit ex propriis : siquidem nihil est, nec esse potest in nobis quod Dei non sit; cum Deus omnia tribuerit nobis ac conservet, nec operandi modo facultatem largitus sit, sed etiam omnia ac singula operetur in nobis : quod & ratio docet & Scripturæ testantur. Isaiæ 26. 12. *Omnia opera nostra operatus es in nobis*.

nobis. Actuum c. 17. 28. *In ipso vivimus, movemur & sumus.* 1. Cor. 4. 7. *Quid habes quod non accepisti?* 2. Cor. 3. 5. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Dei ergo est quidquid sumus, possumus, & agimus: proinde nihil ei dare possumus, quod ipsius jam non sit.

2. Non potest satisfactionem offerre ex alias indebitis: quod ex mox dictis necessario consequitur. Cum enim Deus sit omnium supremus Dominus, & omnium, quæ nobis insunt, fons & origo, nihil esse potest, quod ante satisfactionem ei non debeamus, & quidem multiplici titulo, religionis videlicet, justitiæ, & grati animi nomine.

3. Æquivalens esse nequit satisfactio meræ creaturæ. Ut enim sit æquivalens, ejusdem pretii esse debet, cujus est injuria illata gravitatis. Atqui meræ creaturæ satisfactio nunquam eo assurgere potest, ut ejusdem sit valoris ac pretii, cujus est gravitatis injuria Deo per peccatum mortale illata. Satisfactionis enim valor, ut diximus, potissimum repetitur ex persona satisfaciente; injuriæ autem gravitas contra ex gradu læsæ personæ. Atqui creatura nunquam potest esse tantæ dignitatis quantæ est Deus. Ergo.

Et certe injuria quælibet, ut ante observavimus, ex persona læsa vel speciem suam intrinsecam ac moralem, vel saltem ordinem suum desumit: atque adeo injuria Deo per peccatum lethale irrogata, aut infinitæ est simpliciter & intrinsece gravitatis (quod longe est probabilius) vel saltem superioris omnino ordinis. Atqui alterutrum sufficit ut meræ creaturæ satisfactio æquivalens esse non posse existimetur. 1. Enim si peccatum mortale sit infinitæ gravitatis simpliciter & intrinsece, non potest ei par esse satisfactio, nisi illa sit infiniti pretii ac valoris. Atqui satisfactio meræ creaturæ non potest esse infiniti pretii ac valoris. Ergo. 2. Etsi injuria per peccatum Deo facta foret duntaxat superioris ordinis, id quoque satis esset, cum ad hunc usque ordinem evehi nequeat creatura. Uno verbo injuria Deo irrogata infinitæ est gravitatis saltem extrinsece & objective. Atqui meræ creaturæ satisfactio nullo modo potest esse infinitæ dignitatis. Ergo nullatenus potest esse æquivalens injuriæ.

Objicies 1. contra primam conditionem quam deesse statuimus. Qui suorum operum suarumque actionum dominus est & arbiter, is potest aliquam ex propriis offerre Deo satisfactionem. Atqui homo, v. g. utpote liber, suorum operum suarumque actionum dominus est, & arbiter. In eo enim libertas posita est, quod qui liber est, is eo ipso sit sui juris. Ergo aliquam posset ex propriis Deo satisfactionem exhibere.

Distinguo majorem: qui suarum actionuur dominus est, unus, aut supremus, a nullo alio pendens; concedo: secundarius & ab alio superiore omni ex parte pendens; nego. Quocirca dominium, quod in sua opera homo vi suæ libertatis habet, non ei officit, quod in eadem habet Deus. Ut enim ita agit homo, ut idem omnino opere-

tur Deus ; sic operum suorum ita dominus est , ut Deum tamen non excludat. Imo ut inter operandum homo jam necessario agnoscit causam ex qua pendet; sic in dominio superiorem dominum totius operis. Quanto magis si opus sit meritorium ? quod ad satisfactionem pro peccatis requiritur. Opera enim meritoria potius ut Dei dona, quam ut nostra merita spectanda sunt.

INSTABIS. Etsi singulorum civium facultates supremo reipublicæ dominio subsint; attamen singuli cives ex propriis bonis possunt reipublicæ facere satis. Ergo pariter licet creaturæ nihil habeant quod supremo Dei dominio non sit obnoxium, eæ tamen poterunt quamdam ex propriis Deo satisfactionem rependere.

NEGO consequentiam & paritatem . Discriminis autem causa est , quod respublica in singulorum civium facultates habeat generale dominium , & quidem pro necessitate , non vero speciale ac proprium extra omnem necessitatis casum . Quod quidem generale jus non tollit proprium uniuscujusque civis dominium. Nempe cum homines in unam eamdemque societatem ac reipublicæ formam convenerunt , ei quidem tutandæ ac defendendæ se suaque omnia devoverunt : atque adeo respublica , quando usus & necessitas postulant , in cives eorumque facultates jus habet . Sed illud jus generale est duntaxat , nec plenum dici potest, nec proprium, utpote quod unicuique relinquatur. At nihil est in homine, ne minimum quidem, quod sub peculiari Dei dominio ac potestate semper non sit.

OBJICIES 2. contra id, quod de tertia conditione dictum est . Peccatum est aliquid finitum . Ergo ad illud eluendum non requiritur satisfactio infinitæ dignitatis, quæ vires cujuslibet creaturæ excedat. Atque adeo nihil est cur mera creatura pro peccato satisfactionem idoneam exhibere non possit.

DISTINGUO antecedens: peccatum est finitum in genere entis: concedo : in genere moris ; subdistinguo : quatenus est privatio gratiæ ; justitiæ &c. concedo : quatenus est injuria Deo illata ; nego . Peccatum ergo spectari potest vel in genere entis , quatenus est actio quædam a creatura profecta , & eatenus est aliquid haud dubie finitum , vel in genere moris , idque dupliciter , nempe aut quatenus est privatio gratiæ , aut quatenus est injuria Deo illata . Jam vero quatenus est privatio gratiæ , qua hominem spoliat , & justitiæ, qua eum exuit: ea, inquam, ex parte est etiam aliquid finitum . Privationes enim ex formis oppositis æstimantur : gratia autem ac justitia cujuslibet creaturæ finita est . Sed quatenus est injuria Deo facta, infinitæ est gravitatis , cum injuriæ gravitatem metiatur læsæ personæ dignitas . Porro satisfactio natura sua est ad pensandam injuriam . Ergo infiniti debet esse pretii ac valoris.

INSTABIS 1. Furtum non est eo gravius quo in digniorem personam admittitur. Ergo nec injuria.

Nego consequentiam & paritatem. Hoc enim differunt furtum, & injuria, quod furti gravitas ex re ablata damnoque & incommodo consequente æstimetur; injuria autem contra ex personæ, quæ læsa est, gradu. Itaque justitia, cui furtum adversatur, in rebus posita est: ea vero, cui opponitur injuria, ad honorem spectat. Quapropter furtum rei, injuria vero personæ æqualitate pensatur. Quis enim dicat, ut quis pro furto satisfacere putatur cum rem ablatæ æqualem restituit, sic eum pro injuria rite facere satis, qui æqualem injuriam vicissim patiatur. Num privatus, si forte regi colaphum impegerit, satisfecisse existimabitur, si alapa lubens, & volens talionis lege percutiatur? Quod satis non esse solo rationis ductu vidit ac notavit Aristoteles *in Ethicis*, eo quod injuria pro personæ dignitate crescat; satisfactio autem ex persona satisfaciente æstimetur; eaque de causa talio inter personæ varii gradus & ordinis constitui non possit, quin eo ipso jus violetur.

Instabis 2. Si injuriæ gravitas cresceret pro personæ læsæ dignitate, satisfactionis autem valor ex personæ satisfacientis gradu repeteretur, privatus, qui regem vel levissima injuria læsisset, nunquam hanc egregio quovis facinore eluere posset. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Nego majorem. Satisfactionis enim valor non modo ex personæ satisfacientis gradu, sed etiam ex objecto repetitur. Itaque cum injuria illata finitæ est gravitatis, potest fieri ut facinoris ac rei oblatæ in satisfactionem excellentia, id quod personæ deest, suppleat, ac distantiam illam, quæ inter personam læsam ac satisfacientem interjacet, merito superare censeatur. At ubi distantia infinita est, illa vinci nequit. Quocirca, etsi privatus possit forte regi a se læso facere satis, non potest tamen Deo mera creatura.

Instabis 3. Infinito non potest esse quidquam majus. Atqui peccata sunt alia aliis majora. Ergo non sunt infinitæ gravitatis.

Respondeo 1. hancce quæstionem non ad nos, sed ad eos qui de peccatis agunt pertinere, qui idcirco consulendi sunt.

Respondeo 2. hoc argumento non perstringi, qui putant peccata esse gravitatis extrinsece duntaxat & objective infinitæ, atque adeo superioris tantum ordinis.

Respondeo 3. distinguendo majorem: non est aliquid majus infinito in omni genere; concedo: in certo genere; subdistinguo: qua parte est infinitum; esto: qua parte non est infinitum; nego. Infinitum itaque aliud est in omni genere ut Deus; aliud in certo duntaxat genere, numero, v. g. longitudine, qualis esset hominum infinita multitudo &c. Equidem eo quod est infinitum in omni genere nihil unquam majus esse potest. At multi philosophi, qui alia quædam infinitorum genera esse posse sentiunt, iidem confitentur alia aliis majora esse posse. Ita si esset infinitus hominum numerus, major certe esset numerus manuum, pedum, &c. Ita continuum aliud est alio ma-

E 4 jus

jus, licet unumquodque partes habeat infinitas. Sed esto non sit nec esse possit infinito uno aliud majus qua parte infinitum est, majus certe poterit esse ex alia parte. Ita si esset hinc linea tenuis infinitæ longitudinis, illinc corpus aliquod crassum infinitæ longitudinis, corpus quidem non esset majus linea penes longitudinem, sed esset quoad alias dimensiones. Itaque ut ad peccata jam veniamus, 1. certum est ea non esse in omni genere, sed ad summum in injuriæ ratione infinita. Proinde si inter hæc infinita aliud esse potest alio majus, etiam qua parte infinita sunt, nihil obstat quominus omni ex parte inter peccata alia sint aliis graviora. Sed esto non sint alia aliis majora qua parte infinita sunt, hoc est quoad gravitatem injuriæ personalis, quia omnia eamdem personam infinitam tangunt; poterunt tamen alia esse aliis majora penes alia capita, v. g. penes singularem præcepti, quod violatur, gravitatem, mentis deliberationem, voluntatis propensionem, subjectam materiam, &c. quæ omnia conducunt ad variam in peccatis gravitatem constituendam. Eadem ergo esset ratio peccati mortalis, quoad gravitatem injuriæ, ut aiunt, personalis, quæ est pœnæ ei debitæ quoad durationis æternitatem. Quemadmodum ergo pœnæ peccatis mortalibus debitæ, sunt omnes æquales, quoad durationem, qua parte sunt infinitæ, nec tamen ideo omnes sunt æquales quoad gradum & intensionem; ita peccata illa paria essent omnia, quoad gravitatem personalem, licet alia quavis ex parte quædam forent aliis graviora. Sic etiam a theologis statuitur duplex valor in operibus Christi satisfactionis; alter personalis, alter objectivus. Sicut ergo omnia Christi opera satisfactoria, quamvis paria fuisse censeantur, qua parte infinita erant, hoc est quoad valorem personalem, imparia tamen erant alia ex parte, hoc est quoad valorem objectivum, hoc est ex objecto aliisque operum adjunctis repetitum; ita & de peccatis statui non immerito posset.

Objicies 3. Is legitime satisfacit, qui tantum reddit, quantum abstulit. Atqui mera creatura gratiæ auxiliis instructa, tantum potest Deo, per actum amoris super omnia aut perfectæ contritionis, reddere, quantum abstulit per peccatum. Per peccatum enim lethale aufertur a Deo ratio finis ultimi, quæ ipsi per actum amoris, & contritionis restituitur. Ergo.

Distinguo majorem: is legitime satisfacit, ubi de restitutione agitur; concedo: ubi de injuriæ reparatione; nego. Ut enim *supra* monuimus, cum restitutio in rebus posita sit, & rerum æqualitatem duntaxat postulet, is restituere censetur quantum satis est, qui tantum reddit quantum abstulit. Sed ubi de injuriæ reparatione quæstio est, non sufficit rei ejusdem aut æqualis redditio. Sed aliud insuper requiritur, nempe personæ conveniens submissio. Sic v. g. qui per injuriam regi coronam eripuisset, non legitime satisfacere putaretur, etiamsi eamdem coronam aut parem redderet. Itaque pari jure licet homo, v. g. per actum amoris

super

ſuper omnia aut per actum perfectæ contritionis reddat rem eamdem Deo, quam abſtulit, hoc eſt rationem ultimi finis, non ideo tamen plene pro injuria ſatisfacit: neceſſe enim eſſet inſuper, ut tantum honorem redderet, quanta injuria fuit. At honorem finiti pretii ac valoris duntaxat reddit: injuriam autem intulit infinitæ gravitatis. Ergo ſemper ſupereſt inæqualitas in ejuſmodi ſatisfactione.

INSTABIS I. Actus amoris ſuper omnia tanti eſt valoris, quanti eſt peccatum lethale demeriti. Ut enim qui peccatum lethale admittit, is pœnas æternas meretur; ita qui amat Deum, meretur vitam æternam.

DISTINGUO antecedens: tanti eſt valoris in ratione operis meritorii; eſto: in ratione ſatisfactionis; nego. Alius nempe eſt valor operis meritorii, alius ſatisfactionis. Valor enim operis meritorii non ſumitur præciſe ex æqualitate operis & præmii, ſed inſuper ex libera Dei promiſſione. Opus ergo finiti meriti poteſt jus dare ad præmium æternum, quia Deus certa promiſſionis lege eo ſe obligavit: ſed valor ſatisfactionis accuratæ debet per ſeſe eſſe tantus, quanta fuit injuriæ gravitas. Porro tanta eſt peccati mortalis gravitas, ut in confeſſo ſit apud omnes illud per ſeſe dignum eſſe pœna æterna & infinita. Ergo & ſatisfactio deberet eſſe infinitæ dignitatis. Proinde non tantus eſt valor actus quo Deus amatur, non eſt, inquam, tantus in ratione ſatisfactionis, quantus eſt peccati lethalis in ratione injuriæ. Imo nec unius meritum cum alterius demerito poteſt aut debet comparari. Ad æternam enim pœnam ipſum per ſeſe peccatum lethale ſufficit: ſed ad vitam æternam non ſufficit ipſum opus. Ut enim ait Apoſtolus Rom. 8. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Verum inſuper requiritur ſtatus gratiæ ſanctificantis, acceſſio meritorum Chriſti, & Dei promiſſio. Hinc idem Apoſtolus *Epheſ.* 2. 4. id Chriſti meritis & miſericordiæ Dei inſcribit: *Deus autem*, inquit, *qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, ... qua dilexit nos, convivificavit nos in Chriſto, ... & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu, ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ*.

INSTABIS 2. Actus charitatis non minus reſpicit Deum, quam eum reſpicit peccatum. Ergo ſi peccatum in ratione injuriæ eſt infinitæ gravitatis, actus charitatis pariter in ratione ſatisfactionis debet eſſe infiniti pretii.

DISTINGUO antecedens: non minus reſpicit, ſed diverſo modo; concedo: & eodem modo; nego. Unum ergo idemque eſt objectum actus charitatis & injuriæ per peccatum illatæ: ſed diverſo modo ad iſta duo ſe habet. Quoad actum enim charitatis Deus ſe habet duntaxat extrinſece; ſed quoad injuriam per peccatum lethale factam Deus ea moraliter includitur. Actus ergo charitatis non ſumit ſpeciem ſuam ac menſuram ex Deo tanquam ex objecto, ſed ex peculiari ratione qua in Deum tendit. At vero injuria menſuram ſuam repetit ex Dei infinita majeſtate.

IN-

INSTABIS 3. Tantum placet Deo actus charitatis, quantum ipsi displicuit noxa mortalis. Ergo.

NEGO antecedens. Cujus quidem ratio hæc est, quod actus charitatis finitum duntaxat honorem Deo reddat: peccatum autem infinitam injuriam intulerit. Et vero nemo est qui non intelligat Deum non ita honorari per actum charitatis, ut deprimitur per lethale peccatum. Qui enim amat Deum, is Deo duntaxat reddit quod debet: sed cum aliquis ab eo recedit, in eumque rebellat, non potest dici quam atrox illa injuria sit. Non igitur ista sunt paria. Quod etiam vulgari exemplo declarari facile potest. Rex enim a subjecto non tantum honorem capit, cum is regi debitum obsequium præstat, quantam injuriam pateretur ab eodem, si is ab ipso ad hostes desciscеret.

OBJICIES 4. Qui potest mereri gratiam qua deleantur peccata, is potest pro peccatis Deo accurate satisfacere; Atqui fieri potest ut homo gratiæ auxiliis instructus gratiam aliis qui peccato inquinantur, a Deo mereatur, si nempe constitutus fuisset a Deo ut caput cæterorum hominum, ea lege, ut aliis, si bene ageret, mereatur gratiam. Ergo potest etiam homo legitime Deo pro aliis satisfacere.

NEGO majorem. Ut enim mox notavimus plura ad satisfactionem quam ad meritum requiruntur.

INSTABIS 1. Qui expungit aliorum debitum, ille pro iis plene satisfacit. Atqui ejusmodi homo aliorum peccata expungeret, quibus erga Deum æternæ pœnæ debitores constituuntur. Ergo.

DISTINGUO majorem: qui aliorum debita expungit per satisfactionem dignitate ac valore parem injuriæ gravitati, concedo: per acquisitionem alicujus, quod cum debito illo esse non potest; nego. Scilicet is homo gratiam aliis mereretur. Cum ergo gratia, habitualis nimirum, peccatum expellat, ea ratione peccata eorum extingueret & expungeret debita; sed ea de causa non esset satisfactio par offensæ.

INSTABIS 2. Ideo censetur plene pro nobis satisfecisse Christus, quia nobis promeruit gratiam. Ergo pariter homo de quo agitur, satisfecisse existimandus foret. Ergo.

DISTINGUO antecedens: quia nobis gratiam promeruit operibus dignitate æquantibus injuriæ Deo illatæ gravitatem; concedo: operibus quæ infra illam gravitatem posita essent; nego. Alio itaque modo gratiam nobis promeruit Christus, quam promereri posset ille homo, cum hujus opera finiti semper pretii forent; Christi autem opera infiniti valoris extiterint. Quo fit ut ex Christi operibus effloruerit satisfactio perfecta; ex hominis autem istius actionibus, nulla id genus satisfactio oriri posset.

OBJICIES 5. Posset aliquis donari gratia infinita. Atqui eo in casu satisfactionem is exhiberet infiniti valoris ac pretii. Ergo.

ESTO major propositio. Ut enim vulgare fert adagium, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Cum ergo humani animi capaci-

tas

tas limites certos ac finitos habeat, jure dubitari poteſt an gratia infinita donari poſſit.

Distinguo minorem: infiniti valoris ac pretii, ſed ordinis inferioris; concedo: & ejuſdem ordinis cum peccati gravitate; nego. Si extra Deum quidpiam infinitum exiſteret, id certe nihilominus inferioris Deo ordinis foret, a quo infinito ſemper intervallo diſtaret. Ergo cum peccatum ab ipſo Deo gravitatem ſuam derivet, hæc gravitas ordinis ſemper eſſet illius, qui infinitæ etiam gratiæ creatæ vires ſuperaret.

Instabis. Si peccatum gravitatem ſuam a Deo derivatam habeat, eadem erit Dei & peccati infinitas. Atqui hoc abſurdum eſt.

Nego ſequelam majoris. Non enim eadem eſt ratio infinitatis, cum alterum eſt infinitum per ſeſe & in omni genere, alterum autem infinitum eſt duntaxat per derivationem ac in certo genere. Porro Deus per ſeſe & in omni genere infinitus eſt; peccatum autem infinitum eſt duntaxat in ratione injuriæ, qua parte ſuam a Deo, quem lædit, infinitam habet communicatam gravitatem.

Objicies 6. Nihil obſtat quominus aliquis pœnam infiniti gradus perferat. Atqui ad expiandum peccatum nihil aliud requiritur.

Esto major, quæ negari poſſet, eam ob cauſam quam *ſupra* mox adduximus.

Nego minorem. Aliud enim eſt ſatiſpati, aliud ſatisfacere. Minus enim ad hoc quam ad illud requiritur. Ad ſatispatiendum enim ſatis eſt, ſi quis pœnam perferat peccato æqualem: ſed ad ſatisfaciendum non ſufficit pœnæ æqualitas: requiritur enim inſuper perſonæ ſatisfacientis par dignitas. Mera porro creatura, quantumvis pateretur, ad Dei majeſtatem nunquam poteſt pertingere. Ergo &c.

An mera creatura pro peccato ſaltem veniali rite ſatisfacere queat.

Ad pleniorem hujus controverſiæ intelligentiam obſervandum eſt.

1. Duplex peccati genus diſtingui; lethale nimirum & veniale.

Lethale dicitur, quod in animo cum Dei charitate dominante & ſanctificante gratia, quæ ipſius vita eſt, conſiſtere non poteſt: proinde Dei inimicitiam & mortem æternam inducit.

Veniale autem eſt, quod ejuſmodi mortem animæ non affert, & facile venia donatur.

Jam vero peccatum poteſt cogitari eſſe veniale duobus modis: ac 1. quidem natura ſua ſeu intrinſece, 2. extrinſece & ex miſericordia Dei.

Veniale dicitur ex natura ſua & intrinſece, quod per ſeſe & ex genere ſuo Dei cum creatura amicitiam non diſſolvit.

Veniale vero vocatur extrinſece & ex miſericordia Dei, quod licet ex ſeſe Dei inimicitiam & pœnam æternam mereri poſſit, iis tamen non plecti

plectitur a Deo pro sua benignitate & ex certa lege libere ab ipso præstituta.

Lex autem illa vel est generalis & eadem erga omnes qui hujus generis peccatum admittunt, vel specialis erga quosdam duntaxat.

Observandum est 2. cum peccato dicitur Dei gratia excludi, id posse duobus iterum modis intelligi juxta S. Thomam, effective scilicet & meritorie: effective, si ex natura sua eam expellat, nec possit simul stare; meritorie, si in illius pœnam Deus ab animo gratiam suam auferat.

Observandum est 3. meritum non modo ex natura rei, sed etiam ex Dei legibus ac decretis pendere.

Observandum est 4. duplicem rerum statum posse secerni: alterum præsentem seu qui nunc est; alterum possibilem, seu qui esse potuisset.

Observandum est 5. plures hæreticos nullum inter peccata mortalia ac venialia, sive ex natura sua, sive ex generali Dei lege, discrimen agnovisse: qua in parte varii errores recensentur.

Primus est Joviniani, qui olim contendebat, sicut & Stoici, omnia peccata esse paria, & in omnibus sive fidelibus sive infidelibus æterna pœna plectenda: quod referunt Hieronymus *lib.* 2. *contra ipsum*, & Augustinus *hæresi* 82.

Secundus Pelagianorum, qui omnia peccata, si non paria, saltem mortalia esse sentiebant, nullumque esse peccatum, quod cum justitia consistere possit: de quo Hieronymus *dial.* 2. *contra ipsos*, & Augustinus *hæresi* 88.

Tertius Joannis Wiclefi, qui teste Thoma Valdensi *tomo* 2. *de sacramentis lib.* 154. statuebat 1. omnia peccata natura sua esse mortalia: 2. omnia peccata in reprobis reipsa mortalia esse, & ipsis ut mortalia imputari: omnia autem in prædestinatis ex speciali Dei favore venialia esse.

Quartus est recentiorum hæreticorum idem fere cum tertio. Illi enim duo asserunt: primum est, omnia peccata per sese esse mortalia: alterum omnia peccata in infidelibus esse mortalia, atque ut mortalia ipsis imputari; non imputari autem fidelibus: proinde omnia in ipsis esse ex peculiari Dei indulgentia venialia. Ita Lutherus *in assert. articuli* 32. & *lib. de captiv. Babyl.* Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. *num.* 28. & cæteri:

Observandum est 6. in confesso esse apud omnes theologos peccatum mortale, & peccatum veniale natura sua differre, quod peccatum mortale sit cupiditatis animo dominantis, & aliquam creaturam Deo ejusque amicitiæ præponentis: peccatum autem veniale sit voluntatis in creatura leviter tantum, minimaque sui parte conquiescentis: atque adeo peccatum mortale cum gratia non posse consistere; posse autem ex natura sua veniale. 2. Utriusque generis peccata in fidelibus juxta ac infidelibus, prædestinatis ac reprobis inveniri. 3. Peccata venialia pœnam æternam non mereri, nec ea per se plecti: adeo ut si forte occurrant in his, qui pro-

pter

pter lethalia in tartara detrusi fuerint, in iisque pœna æterna plectantur, quod scholæ passim docent, id per accidens solummodo contingat, non autem ex primario Dei instituto.

Observandum est 7. quamvis isthæc apud omnes constent, tres tamen fuisse apud antiquos de peccati venialis, quatenus Deum respicit, gravitate & infinitate opiniones.

Prima est S. Thomæ qui putat veniale peccatum non esse gravitatis infinitæ, etiam quatenus Deum attingit: atque adeo non nisi pœna temporali dignum esse posse; quia non est nisi analogice peccatum, & versatur tantum circa media, nec tollit ordinem finis: de quo 1.2. *quæst.* 72. *art.* 5. & alibi.

Secunda est aliorum veterum, qui arbitrati sunt peccatum veniale esse gravitatis intrinsece infinitæ: proinde, licet ex genere suo, & natura sua discrepet a mortali, gratiamque effective non excludat, nec jam mereatur pœnam æternam, potuisse tamen Deum in alio rerum statu, si summo jure agere voluisset, peccatum ejusmodi nunquam relaxare, nec illius, qui tale peccatum admisisset, misereri; potuisse Deum, si ipsi libuisset, citra ullam injustitiæ labem ab ejusmodi homine cuncta, quibus ornatus fuisset, gratiæ dona, in hujus peccati pœnam auferre: proinde eum ad conspectum suum nunquam admittere, sed æternum a se repellere. Nempe, inquiebant illi, peccatum veniale, veri nominis peccatum est, utpote quod sit contra æternam Dei legem, quæ omnia ad Deum referri jubet, & ne in creatura vel tantillum hæreamus vetat. Non potest autem esse veri nominis peccatum, quin simul injuria sit Deo facta. Cum ergo omnis injuria suam mensuram desumat a personæ læsæ dignitate, nulla potest esse in Deum injuria, quæ infinita non sit. Deinde vero, aiebant, gratuitæ misericordiæ est, quod Deus remittat peccatum, etiam veniale. Potest ergo non remittere. At si non remittat, æternum manebit. Quamdiu autem manet peccatum, potest Deus illud punire, & hominem qui eo sit inquinatus, a conspectu suo arcere. Denique cum peccatum veniale adjunctum est lethalibus, apud inferos æternum plectitur. At non plectitur ultra meritum. Ergo &c. Sic prisci illi theologi, quorum meminit Guillelmus Altissiodorensis *tract.* 28. *de peccato veniali*, *cap.* 4. Ita quoque Joannes Gerso: quamvis enim ille *in tract. de peccato veniali*; *parte* 2. *tom.* 1. *pag.* 184. *& de duplici peccato ibid. pag.* 374. perspicue definiat veniale peccatum ex genere suo a mortali differre, & cum gratia Dei consistere; attamen 3. *parte theologiæ de spiritali vita animæ lect.* 1. *pag.* 167. *& lect.* 4. contendit hoc ipsum veniale peccatum esse gravitatis infinitæ: proinde a Deo, ut diximus, potuisse æternum puniri. Quin etiam ibi de peccati mortalis ac venialis discrimine tam dure loquitur, ut qui Gersonis sensa non improbare, sed ad illud præcise quod tractamus ea restringere benigne voluerit, is verba saltem ipsius, & loquendi modum tolerare nequeat.

Nec tamen aliter Jacobus Almainus *tract.* 3. *morali cap.* 20. censet.

In

In eamdem partem etiam vulgo compingitur Joannes Roffensis episcopus, quod cum scripsisset Lutherus *art.* 32. peccatum esse ex misericordia Dei veniale, ipse *ad eumdem articulum* fateatur se idem quoad hoc cum Luthero sentire.

Quid autem sit de horum theologorum ac præsertim trium postremorum opinione statuendum variant recentiores. Sunt qui severius de iis pronuncient. Staphylus enim eam hæreticis erroribus annumerat: Petrus autem Soto ad Stoicorum & Joviniani errorem pertinere censet. Ast alii de iis mitius judicant. Bellarminus enim *de amissione gratiæ, & statu peccati lib.* 1. *cap.* 4. admonet eos quidem nonnihil a communi theologorum sententia deflexisse, sed longe alia ratione quam hostes fidei faciant. Vasquesius pariter *in* 1. 2. *quæst.*98. *disp.*142. *cap.*1. & 2. eosdem ab hæreticorum erroribus segregat: & quamvis ibidem notet hanc opinionem a Soto erroris Stoicorum, & temeritatis incusari: ipse tamen ex propria mente eam solummodo improbabilem vocat; contrariam vero, hoc est, suam, probabiliorem duntaxat dicit. Estius *in* 2. *dist.* 42. *sect.* 6. Roffensem a duobus aliis sejungit, & commode posse explicari existimat. Denique Wallemburgici fratres Roffensis & aliorum doctrinam, quoad ea, quæ mox exposuimus, capita, pro sana & catholica habere se non obscure significant *in compendio controvers. cap.*46. *tom.*2.

Tertia sententia fuit Præpositivi, omnium antiquissimi, & post eum Guillelmi Altissiodorensis *supra quæst.* 3. qui existimarunt peccatum veniale, pro subjecti cui inest, & fori ad quod deferretur, varietate, pœnam variam mereri, æternam nimirum aut temporalem: ac temporalem quidem, si in homine justo esset, & ad tribunal Dei pro hac vita, aut purgatorio veniret; æternam vero si in reprobo foret, & ad infernale, ut loquuntur, forum deduceretur.

Observandum est 8. tres similiter de peccati venialis infinitate etiamnum apparere sententias.

Prima est Wallemburgicorum fratrum, & Episcoporum, qui post synodum Tridentinam in secundam veterum opinionem modo exhibitam videntur inclinare *tom.*2. *in comp. controv. cap.*46.

Secunda Gregorii de Rhode, ubi de Incarnatione, qui docet, peccatum veniale non esse quidem infinitæ gravitatis intrinsece, sed extrinsece tantum, ita ut pœna non æterna sed temporali duntaxat dignum esse queat.

Tertia est Vasquesii & plurimorum aliorum, qui opinantur peccatum veniale nullatenus esse infinitum, hoc est nec intrinsece nec extrinsece: atque adeo longe abest ut pœna æterna dignum illum autument.

Ex his opinionibus nullam hic prædicare aut refellere animus est, quod hoc nostri non sit instituti. Cum autem de peccatis disputabimus, tum quid de iis, nostro saltem judicio, existimandum sit aperiemus.

AS-

ASSERTIO.

MERA creatura nequidem pro peccato veniali rite satisfacere potest.

PROBATUR eadem, quæ *supra* adducta est, ratione. Ea enim satisfactio non est legitima, quæ omnes non habet ad veri nominis satisfactionem requisitas conditiones. Atqui nulla potest exhiberi a mera creatura etiam pro peccato veniali satisfactio, quæ omnes ejusmodi conditiones complectatur. 1. Enim nulla potest esse quæ sit ex propriis: cum nihil omnino creaturæ insit, quod Dei non sit. 2. Non potest esse ex indebitis: nihil enim habere possumus quod Deo non debeamus. 3. Juxta plures theologos nec potest esse æquivalens. Peccati enim venialis gravitas aut infinita est, aut superioris saltem ordinis, ad quem nulla creatura evehi possit.

OBJICIES 1. Si infinita esset peccati venialis gravitas, nullum jam foret inter peccatum mortiferum & veniale discrimen. Atqui discrimen inter utrumque fides catholica agnoscit. Ergo non est infinita gravitas. Si non est infinita, potest eam æquare meræ creaturæ satisfactio. Proinde nihil est cur non putetur mera creatura pro peccato veniali satisfacere posse.

RESPONDEO 1. hoc argumento nequidem perstringi, qui hujusmodi satisfactionis defectum ex duabus tantum conditionibus repetunt, & confitentur revera æquivalentem posse quidem exhiberi a mera creatura satisfactionem pro peccato veniali, utpote quod esse putant finitæ tantummodo gravitatis; sed tamen negant legitimam & accuratam posse exhiberi satisfactionem ex duplici alio capite, nimirum quod non possit esse ex propriis & alias indebitis: atque hæc est vulgaris & nulli offensioni obnoxia responsio.

RESPONDEO 2. cum aliis theologis, licet infinita sit gravitas peccati venialis, qua parte injuria est personalis; attamen latum adhuc discrimen fore inter utrumque peccatum; quia alius est offensæ modus, alia violandi præcepti ratio, alia materiæ gravitas, alia mentis consideratio, alia pœna proposita; quæ omnia spectantur a theologis ubi de hac differentia agunt. Et vero, inquiunt, omnia saltem peccata mortalia infinitæ sunt gravitatis: nec tamen idcirco paria esse judicantur. Ergo nec paria erunt peccata venialia ac mortalia, quamvis ea parte essent infinita. Sed hæc respondendi ratio pauciorum est, de qua nihil necesse est ut hic speciatim agamus. Consule qui de peccatis ex professo disserunt.

INSTABIS. Si peccati venialis gravitas esset infinita, pœnam mereretur æternam. Atqui hoc abhorret a communi omnium sensu.

RESPONDEO 1. eos ista ratione non peti, qui non arbitrantur infinitam esse peccati venialis gravitatem, quæ communis est sententia, & ab omnibus ambagibus expedita.

RES-

RESPONDEO 2. alios ultro confiteri peccatum veniale esse per sese æterna pœna dignum, & ea plecti posse, si summo jure nobiscum agere vellet Deus. Et certe, inquiunt, potest pro suo jure Deus nullam pro peccato veniali satisfactionem accipere. Si autem non acciperet, cum nihil coinquinatum intrare possit in regnum cœlorum, posset quis æternum ab eo propter solum veniale peccatum non immerito submoveri. Adde quod si peccatum veniale reperiatur in eo, qui lethalibus peccatis inquinatus obierit, peccatum illud veniale, juxta omnes theologos, per accidens plecti pœna æterna: quia plectetur, quandiu non remittetur: nunquam autem remittetur: ergo nunquam non punietur. At non punietur plusquam puniri debet. Ergo æterna pœna per sese dignum est. Sed, ut jam notavimus, hæc responsio salebrosa est, & multis incommodis obnoxia.

OBJICIES 2. Si peccatum veniale finitæ sit gravitatis, pœnam duntaxat temporalem meretur. Atqui homo potest rite satisfacere pro eo quod pœnam duntaxat temporalem meretur. At multi theologi sentiunt peccatum veniale esse finitæ tantum gravitatis. Ergo hoc saltem posito poterit quis rite satisfacere pro peccato veniali.

NEGO minorem. Non potest enim satisfacere ex propriis & indebitis: quæ observatio, si teneatur, omnium hic difficultatum everriculum est.

CAPUT III.

An solus Christus potuerit plenam pro nobis ac congruentem satisfactionem exhibere.

ASSERTIO.

SOLUS Christus, hoc est Deus incarnatus, poterat pro nobis plenam ac congruentem satisfactionem exhibere.

PROBATUR 1. ex supradictis. Si enim nulla creatura mera pro nobis potuit facere satis, id sane solius erat Dei incarnati seu Christi.

PROBATUR 2. specialibus Patrum testimoniis.

S. Athanasius *orat. 4. contra Arianos*, seu *libro adversus eos* 3. " Si „ quæ propria sunt carnis, inquit, Verbi propria non dicerentur, non „ ab illis prorsus liberatum esset genus humanum.

Dorotheus *doctr.* 1. " Solius erat Dei, inquit, mederi ac malum il- „ lud vincere.

Augustinus *in Enchiridio cap.* 108. " Neque per ipsum, inquit, li- „ beraremur unum mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Chri- „ stum, nisi esset & Deus. " *Sermone* autem 8. *de verbis Apostoli*, " „ Non liberaretur humanum genus, inquit, nisi Sermo Dei dignaretur „ esse humanus. " Et *in psalmum* 129. " Ille potuit redimere, qui se

„ non

„ non potuit vendere. Qui non commisit peccatum, ipse est redem-
„ ptor a peccato.

Ricardus Victorinus *de Incarn. cap.* 8. « Ad hanc (satisfactionis) „ plenitudinem, inquit, oportuit ut tanta esset humiliatio in expiatio- „ ne, quanta fuerat præsumptio in prævaricatione .... Quando ergo „ homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. „ Oportuit ergo ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de sum- „ mo ad imum. Sed hoc omnino non potuit, nisi aliqua in Trinita- „ te personarum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Incarnationis existentia.

CERTUM est, ut *supra* indicavimus, veteribus patriarchis olim promissum fuisse & ab iis expectatum esse humani generis Liberatorem, qui hebraice *Messias*, Græce vero *Christus* appellatur, hoc est, si Latine hujus vocis vim exprimas, *Unctus*. Cum autem huic futuro Messiæ Scriptura divinam simul & humanam naturam attribuat, quæstio jam est I. An Messias toties promissus & a Judæis tantopere expectatus tandem advenerit : II. An Jesus beatæ Mariæ Virginis filius is sit Messias. Quod utrumque cum adversus Judæos, tum contra Gentiles demonstrandum est.

ARTICULUS I.

An demonstrari possit adversus Judæos Messiam jampridem venisse.

CUM plurima Messiæ adventus luculenta ex veteri instrumento a Judæis recepto argumenta possint allegari, nos, ut disputationi nostræ modum adhibeamus, quatuor duntaxat adducemus, Primum ex Jacobi vaticinio, *Gen.* 49. Secundum ex oraculo Danielis *cap.* 9. Tertium ex Aggæo *cap.* 2. & Malachia *cap.* 3. Quartum ex variis a Scriptura assignatis indiciis ac signis.

SECTIO I.

De Jacobi vaticinio Gen. 49.

JACOBUS patriarcha cum morti proximus fauſta precaretur filiis ſuis, & quæ ipſis poſtmodum eſſent eventura prædiceret, ſic inter cætera de Juda locutus eſt verſu 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*: ſeu ut habet exemplar hebræum.

לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו
Raglau mibben mekokek ou mihoudah ſchebet iaſour lo
עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים
aunmim iK Kehat velo ſchiloh iabo ki ad

Atque hæc eſt inſignis de venturo Meſſia prophetia. Cum autem adverſus Judæos a Chriſtianis vulgo afferatur tanquam evidentiſſima, & tamen non paucis aliunde difficultatibus ex hiſtoria petitis intricata ſit, hinc duæ controverſiæ enaſcuntur: Prima, an contra Judæos hoc oraculo probari poſſit Meſſiam jam dudum adveniſſe: Secunda inter ipſos Chriſtianos Scripturæ interpretes, aut theologos, qua ratione impleta ſit.

CAPUT I.

An ex iſto Jacobi vaticinio demonſtrari queat Meſſiam jam dudum adveniſſe.

ASSERTIO.

HÆC Jacobi prophetia certum eſt & manifeſtum contra Judæos præteriti jam Meſſiæ adventus indicium.

ARGUMENTA.

PROBATUR. His verbis Jacob prænunciat non auferendum eſſe ſceptrum e Juda, donec Meſſias veniat. Atqui jam pridem ablatum eſt ſceptrum e Juda. Ergo jam dudum Meſſias venit.

MINOR eſt conſtantiſſima. Judæi enim jampridem omni imperio exuti ſunt, & ubique in miſerrima ſervitute degunt; adeo ut quod prædixerat olim Oſee *cap.* 3. *v.* 4. Judæos futuros eſſe aliquando *ſine rege & ſine principe*, jam dudum acciderit: quod ipſi etiam doctores hebræi confitentur. Rabbi David Kimchi *in Oſee* 3. 4. " Hi ſunt, inquit, „ dies exilii, in quo hodie ſumus, nec regem habemus nec principem „ ex Iſraele. In poteſtate ſiquidem gentium ſumus. " Et Rabbi Manaſſe

naffe *in conciliatore ad Gen.* 49. " Quam pœnam nunc patimur, in- „ quit, fine rege, fine principe, fine imperio agentes.

Turretinus *quæft.* 1. *nu.* 12. Hoornebek *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 130. Helvicus *membro* 2. *num.* 6. R. Rachmon *in Thalmude;* Bechai, Tfemach-David &c.

MAJOR autem duas habet partes figillatim probandas. 1. Eft, hoc vaticinium & vocem שילה *fchiloh*, de venturo Meffia intelligi oportere. 2. In hoc eodem vaticinio, nomine שבט *fchebet*, fceptri & imperii Judaici finem affignari, tanquam hujus adventus fignum.

Prima pars, quod nempe qui fub nomine *fchiloh* venturus effe prænunciatur, is fit Meffias, multis momentis aftrui poteft; quæ fi conjungantur, invictum conficient adverfus Judæos argumentum.

Ac primo quidem oraculi ipfius verbis. 1. Enim patet Jacobum hic Judæ polliceri id, quo maxime illuftrandus erat. Atqui nihil illuftrius Judæ contingere debebat, quam Meffiæ ex ipfo futurus ortus. Ergo. 2. Is a Jacobo promittitur qui futurus erat Judæorum decus fimul & expectatio gentium. Atqui nullus alius præter Meffiam talis fuit aut effe debuit. Ergo. 3. Is prænunciatur, quem oportebat effe gentium expectationem ac lucem. Atqui ea eft propria Meffiæ nota in Scripturis ubique paffim expreffa. Genef. 18. v. 18. *Cum . . . . benedicendæ fint in illo omnes nationes terræ.* Quod & cap. 22. v. 18. repetitur. Pfal. 71. v. 11. *Omnes gentes fervient ei.* Ifaiæ 11. v. 10. *Ipfum gentes deprecabuntur.* Cap. 42. v. 4. *Legem ejus infulæ expectabunt.* Cap. 49. v. 8. *Dedi te in lucem Gentium.* Cap. 55. v. 4. *Ecce teftem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Michææ 4. v. 1. *Et fluent ad eum omnes populi.* Aggæi 2. v. 8. *Veniet defideratus cunctis gentibus* &c.

Secundo, Vi propria hujus vocabuli *Schiloh*, quocunque tandem modo reddatur. Id enim fuiffe videtur divinæ providentiæ confilium, cum vocem felegit, quæ tam varia fignificaret. Quadruplex nimirum eft præcipua nominis hujus interpretatio. 1. Enim non paucis idem eft quod *mittendus*: ita vulgatus nofter interpres; Eufebius *lib.* 7. *demonftrat.* Rabbini quidam, Steuchus, Huntlæus, Grotius; quafi fcilicet vox illa derivetur a verbo שלח, *fchalach*, quod Hebræis eft *mittere*, eo fere modo quo *filoe* Joannis 9. 7. interpretatur *miffus*; Huetius *propof.* 9. *cap.* 4. *numer.* 11. 2. Alii contendunt eo nomine fignificari *pacificum*: ita Samaritanus codex, Oleafter, Huetius; nempe a verbo שלה, *fchala*, quod eft *quiefcere*, in pace & otio effe. 3. Multi illud nomen exponunt per Filium ejus, a שלח, *fchil*, feu *fchilah*, quod fecundas, *femen* & *filium* fonat: ita cum plurimis e gente fua doctoribus R. David Kimchi *in libro radicum*, R. Bechai, & Jonathan: quod fequitur Ludovicus de Dieu. De quo etiam vide R. Manaffe *in conciliatore*, apud Hoornebek *pag.* 131. & 132. *num.* 1. 2. & 4. ubi Aben-Ezra adducit, & *num.* 5. ubi Mofen Gerundenfem. Adde Helvicum *num.* 6. & *membro* 2. *num.* 4. *ibidem pag.* 63. *ibidem pag.* 64. 4. Denique alii ita

F 2 expli-

explicant, *donec veniat ille cui* (supple, *repositum est regnum*) vel *ille*, *qui ei* (scilicet *Judæ*) *promissus est* : ita septuaginta interpretes, Arabs, Syrus, Targum Onkelos, & Hierosolymitanus, Aben-Ezra, R. Salomo, Turretinus &c. At quocunque ex his modo vocem exponas, totidem sunt Messiæ proprii characteres. 1. Enim Messias *mittendi* ac *venturi* nomine passim in Scripturis designatur. *Exodi* 4. 3. *Mitte quem missurus es*. Isaiæ 16. 1. *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ*. Matth. 11. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Adde Habacuc 2. 3. Aggæi 2. 8. Hebr. 10. 37. Joannis 4. 25. &c. 2. Solemne item est ut *pacis* titulo commendetur; Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus .... abundantia pacis*. Isaiæ 9. 6. *Vocabitur nomen ejus ... princeps pacis*. Subjunge *cap.* 53. *v.* 5. 54. 10. Michæam *c.* 5. *v.* 2. & 5. Aggæum, 2. 10. Zachariam 9. 10. 3. Nullus alius est aut esse debuit illustrior Judæ filius quam Messias. 4. Is est, qui Abrahamo, Isaaco, Jacobo ac Judæ promissus fuit, cuique repositum erat regnum æternum. Daniel 7. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur*. Ergo.

Tertio. Insignium quorumcunque ac maxime veterum e Judaica natione doctorum consensione. 1. Enim in eo consentiunt tres Chaldæi paraphrastæ seu Targumim : Paraphrasis Onkelos, *Non auferetur exercens dominatum, ... donec veniat Messias, cujus est regnum*. Paraphrasis Jonathanis, *Non cessabunt reges .... usque ad tempus, quo veniat rex Messias*. Paraphrasis Hierosolymitana pariter, *Non desinent reges .... usque ad tempus quo veniet Messias, cujus est regnum*. 2. Eadem erat opinio veterum Judæorum apud Origenem *lib.* 4. *de principiis, capit.* 1. 3. Idem docent doctores Thalmudici. In Thalmude enim *tract. Sanhedrin cap. Cheleck* seu 12. proposita hac quæstione, *quod nomen Messiæ futurum sit?* Respondetur futurum esse nomen שילה, *schiloh*; quia scriptum est : *donec venerit* שילה, *schiloh*. 4. Ita quoque sentiunt gravissimi quique Judæorum magistri *in Breschit Rabba*, seu *in commentaria magno ad Gen.* R. Bechai, R. Salomo Iarchi, R. Moses Gerundensis, R. Joel Ben-Sueb, & Abravanel apud Manasse *in conciliatore*, R. Moses Ben-Nachman apud Huetium *prop.* 9. *cap.* 4. *num.* 16. Helvicum *num.* 6. R. David Kimchi &c. Itaque ad refellendos recentiores Hebræos, qui hoc jam negant, triplex auctoritas domestica concurrit. 1. Est Targumistica, qua nulla apud eos major; 2. Thalmudica non minoris ferme apud eosdem ponderis; 3. Rabbinica, quam ipsimet mirum in modum extollunt ac deprædicant. Vide Helvicum *memb.* 2. *num.* 4.

PROBATUR secunda pars majoris, quæ ait nomine *Schebet* quod auferendum prædicitur, *sceptrum* ac *imperium* designari. 1. Enim id poscit adjuncta vox *Legislatoris*, quæ optime cum sceptro & imperio congruit. 2. Græci omnes interpretes ita verterunt, nempe LXX. senes, Aquila & Symmachus : 3. Tres Chaldæi paraphrastæ, ut modo vidimus : 4. Doctores ipsi Judæorum *in Thalmud*, & *Breschit-Rabba*; R. Moses Maimoni-

monides *lib.* 1. *ultimo* Iad, *cap.* 4. R. D. Kimchi in vocem *Schebet*; Aben-Ezra apud R. Manaſſe *ſupra num.* 4. *ibidem num.* 5. Moſes Gerundenſis; *ibidem num.* 6. R. Bechai; *num.* 9. R. Ezechias Hizquiah; *num.* 10. Abravanel &c. 5. Eadem verba extant Zachariæ 10. 11. ubi LXX. ſic pariter reddiderunt: *ſceptrum Ægypti auſeretur*. 6. Denique ex aliis vaticiniis compertum eſt revera conjunctam eſſe cum Meſſiæ adventu reipublicæ Judaicæ everſionem, v. g. ex Daniele *cap.* 9. &c. quod etiam fieri oportuit. Cum enim omnia apud Judæos umbræ eſſent ac figuræ, quemadmodum lex vetus accedente nova extinguenda erat; ſic & politica illa umbratilis ac terrena deſinere debuit, ut in ejus locum ſuccederet regnum Meſſiæ plane divinum ac ſempiternum. Vide Turretinum *quæſt.* 1. *num.* 11.

OBJECTIONES.

NIHIL non tentant Hebræi recentiores ut eximium hoc vaticinium e manibus noſtris extorqueant: quo fit ut omnes ejus partes ſollicitent ac pervertant. Sed operoſum non erit puerіles eorum ineptias revincere.

OBJICIUNT itaque 1. cum R. Bechai (apud Manaſſe *in conciliatore*, Hoornebek *pag.* 135. *num.* 6.) Nomine *Schiloh* poteſt intelligi Moyſes. (Hæ enim duæ voces tantumdem valent, hoc eſt 345. proinde juxta Cabalæ & artis gematricæ regulas, eæ poſſunt in ſe invicem permutari) ita ut oraculi is ſit ſenſus, *Non auſeretur ſceptrum e Juda donec veniat Moyſes e tribu Levi*, *ad quem populi Hebræi ſeſe adjungent*. Vide inſuper Helvicum *cap.* 2. *num.* 4. Ergo.

NEGO antecedens. 1. Enim debuit eſſe ſceptrum in tribu Juda, antequam ab ea auferri potuerit. At ab obitu Jacob ad Moſen nec in tribu Juda, nec in ulla alia ſceptrum fuit, cum vix in populum Iſraelitæ hactenus coaluiſſent, & inſuper ſub alieno ſceptro, alienis regibus, denique ſub graviſſimo diræ ſervitutis jugo oppreſſi toto fere illo tempore jacuerint. 2. Cum ille qui *Schiloh* nominatur, *expectatio gentium* appellatur, id non de populo Hebræo, ſed de univerſis per orbem terræ ſparſis nationibus, ut alibi paſſim, accipiendum eſt. 3. Denique Jacob *Gen.* 49. *v.* 1. dicitur filiis ſuis prænunciaſſe quæ eventura erant in noviſſimis diebus, & quidem poſtquam ingreſſi eſſent in terram Chanaan, ut legenti ex *verſ.* 13. 14. 15. 16. patet, Atqui Moſes non ita multo poſt Jacobum vixit, & in terram Chanaan nunquam intravit. Ergo id ad Moſen referri non poteſt. Vide Hoornebek *pag.* 141. Turretinum *pag.* 298. Huetium *propoſ.* 9. *cap.* 4. *num.* 15.

OBJICIES 2. cum aliis. Nomine *Schiloh* poteſt intelligi unctura Siloſenſis, hoc eſt Saulis e tribu Benjamin in regem inauguratio, quæ in urbe Siloh facta eſt. Atque adeo poteſt oraculum Jacobi ſic accipi: *Non auferetur ſceptrum e Juda*, *donec veniat Saul*, *qui e tribu Juda ad Beniamiti-*

cam imperium transferat. Ergo necesse non est Messiam hic denotari. Vide Huetium *prop. 9. cap. 4. num. 22.* Turretinum *supra*; Helvicum *cap. 2. num. 4.*

Nego antecedens 1. Enim historiæ repugnat. Non enim Saul unctus est in urbe Silo, sed Ramathaim Sophim. Deinde vero rex solemni ritu in Maspha renunciatus est, ac demum in Galgal, 1. *Reg. 9. 10. 11.* 2. Tribus Juda ante Saulis regnum sceptro non potiebatur; sed sub Davide demum eo potiri cœpit. Nedum ergo Saul a tribu Juda ad Benjamiticam sceptrum transtulerit, David contra illud a tribu Benjamin ad tribum Juda transtulit. 3. Absurdum est nomine *Schiloh* expressam dici uncturam, quæ in urbe Siloh facienda erat. 4. Non eadem ratione scribitur urbs Siloh, qua hic exprimitur. Urbs enim Schiloh est absque iod שלה; hic vero est iod שילה: quanquam non semper in hoc nomine est iod. Vide biblia Vatabli, Buxtorfii, Hoornbeek *supra*, & Ligfoot *in acta apostol. cap. 8. v. 9. 13. tom. 2. pag. 720.*

Objicies 3. Eodem hoc vocabulo designari potuit Jeroboam, qui in Siloh rex creatus decem tribus a Judæ regibus abduxit, sibique adjunxit. Ergo. Vide Huetium *prop. 9. cap. 4. num. 23.* & Turretinum *supra*, Helvicum *supra*.

Nego antecedens. 1. Enim Jeroboam non in Siloh rex creatus est, sed in Sichem 3. *Reg. 12.* 2. Sceptrum non amisit tunc tribus Juda, cum penes Roboam & alios exinde steterit. 3. Jeroboam non potest dici fuisse *expectatio gentium*, qui pessimus vir fuit & idololatriæ auctor.

Instabis cum R. Ezechia. Potest saltem hoc nomine indicari Ahias Silonites propheta, qui Jeroboamo sceptrum prædixit. Ergo. Hoornbeek *pag. 137. num. 9.* Huetius *num. 23.* Helvicus *membro 2. num. 4.*

Nego antecedens. 1. Nedum in tribu Juda sceptrum tunc esse desierit, eo contra tempore *regnum Juda* vocari cœpit. 2. Inauditum est, ut qui ex aliqua urbe oriundus est, is nomine hujus urbis simpliciter appelletur. 3. Nulla ratio est cur Ahias Silonites dici possit *expectatio gentium*. 4. Si id de Hebræis capiatur, illi profecto non Ahiæ ipsi, sed Jeroboamo maxima ex parte adhæserunt.

Objicies 4. cum nonnullis Judæis. Schiloh *mittendum* sonat. Ergo potuit ea voce recte exprimi Nabuchodonosor, qui a Deo missus Judaicum imperium evertit. Huetius *num. 11. & 24.* Turretinus *supra*; Helvicus *supra*.

Nego consequentiam. 1. Enim fausta hic ac prospera Judæ prænunciat Jacobus. At Nabuchodonosor Judaicum contra populum miserabiliter habuit. 2. Ne quidem in captivitate Babylonica post eversam a Nabuchodonosore Jerusalem sceptrum omnino periit, ut postea explicabimus. 3. Merito dici non potest Nabuchodonosor fuisse *spes gentium*.

Objicies 5. Ex supradictis *Schiloh* idem esse potest quod *filius ejus*,

Cum

Cum ergo David Judæ filius, & quidem insignis, fuerit, qui plurimas gentes imperio suo subjecerit, nihil est cur hoc oraculum ad ipsum non referatur, hoc nimirum sensu: *Non auferetur sceptrum e Juda, donec veniat filius ejus David, cui erit aggregatio* seu *obedientia gentium*. Ita R. Aben Ezra apud Manasse *in Conciliatore*; R. Levi ben-Gerson *ibidem*. Vide Hoornebek *pag.* 133. *num.* 4. & 136. Huetium *propos.* 9. *cap.* 4. *num.* 21. Helvicum *membro* 2. *num.* 4. *pag.* 63. & 64.

Nego consequentiam. 1. Enim quidquid contra obtendat recutitus ille magister, dum dicitur *non esse auferendum a Juda sceptrum, donec veniat Schiloh*, eo satis aperte significatur sceptri & imperii finis cum venerit *Schiloh*. At certe ablatum non est sceptrum e tribu Juda, cum David regnavit: quippe qui e tribu Juda duxerit originem. 2. Sceptrum proprie in tribu Juda non fuit ante Davidem. At non nisi absurde dici potest sceptrum non esse auferendum eo tempore, quo nondum esse cœpit. Ergo hæcce locutio ad Davidem spectare non potuit.

Instabis cum R. Bechai. Verbum סור *Sour* significat motum ad aliquem locum; v. g. *Exodi* 3. 3. Verbum autem בוא, *bo*, significat *occidere*, *occumbere*: sic de sole occidente dicitur *Gen.* 15. 17. &c. Ergo potest is locus in hunc modum verti: *Non accedet sceptrum ad Judam, donec occidat aut desinat Siloh* hoc est, *donec desinat tabernaculum in urbe Siloh positum*. Atqui id reipsa contigit. Destructum enim est primo tabernaculum Siloh, ac deinde imperium ad Davidem venit: quo fit ut David ipse hoc utrumque simul conjungat Psal. 77. v. 60. *Et repulit tabernaculum Silo*, versu autem 70. *Et elegit David servum suum*. Hoornebek 136. *num.* 7. 141. Huetius *num.* 21. Helvicus *cap.* 2. *num.* 3. 4.

Respondeo hæc esse mera Rabbinorum somnia. 1. Enim verbum *Sour* per sese nihil aliud sonat quam *recedere*: quanto autem magis si, ut hic, conjungatur cum propositione מן *min*, quæ motum ex aliquo loco significat. Id autem adeo verum est, ut in Scripturis nullum in contrariam partem exemplum afferri queat. Non diffitemur tamen *Sour* idem esse aliquando quod *divertere*. Cum autem *divertere* duo simul complectatur, nempe ab uno loco recedere, & ad alium transire, motum ex quo per sese significat, & motum ad aliquem locum nonnisi ex accidenti & consequenter: unde suam semper nativam significationem obtinet. 2. Verbum בוא *bo* nihil aliud significat quam *ire*, *intrare*, *adire*; nuspiam autem *desinere*, *destrui* &c. Equidem de sole occidente dicitur; sed ne in eo quidem casu a nativa sua significatione recedit, cum occidens sol terras subeat. 3. Nomen *Schiloh* de urbe si capiatur, hiulca erit oratio, nec ullus supererit nominatus, cui futura sit aggregatio & obedientia genitum. Non enim istud de urbe Siloh potest intelligi. Ergo.

Objicies 6. *Schiloh* idem est quod *filius ejus*, ac *pacificus*: utrumque porro competit in Salomonem, qui e Juda erat & pacificus vocatur 1. *Paral.* 22. 9. Ergo.

Nego consequentiam. Non enim ablatum tunc e Juda sceptrum

F 4 est,

est, cum Salomon regnare cœpit: imo nunquam imperium Juda majori gloria floruit.

OBJICIES 7. Poteſt ſaltem id vaticinium pertinere ad Cyrum regem Perſarum, qui apud Iſaiam 45.1. Chriſtus nuncupatur, & ab Hebræis populis, ut futurus liberator expectabatur.

RESPONDEO prophetiam non poſſe referri ad Cyrum. 1. Enim non eſt ille, qui nomine *Schiloh* prænunciabatur venturus. Nec enim eſt ille cui repoſitum erat regnum æternum, nec filius Judæ, nec inſignis ille pacificus ab univerſo orbe expectatus, nec ille qui excellenti quadam ratione a Judæis *mittendus* aut *venturus* appellari conſueverat. 2. Non poteſt dici *ſpes gentium*. Ergo &c.

Atque hæc de variis nominis *Schiloh* contortis interpretationibus. Nunc expendenda eſt vox *Schebet*, qua *ſceptrum & imperium* argui demonſtravimus.

OBJICIES itaque 8. cum Maimonide apud Ligfoot *in Joan.* 3. 17. Moſe ben-Nachman, & R. Joel ben-Sueb. *Schebet* apud Hebræos eſt *virga*. Duplex autem virga ſecerni poteſt: altera caſtigationis; altera imperii. Utroque hoc ſenſu in Scripturis uſurpatur. Ac 1. quidem pro *caſtigatione* ſumitur *Exodi* 21. 20. & *pſalm* 22. 4. *Prov.* 10. 13. *Iſaiæ* 10. 5. pro *imperio* autem *pſal.* 2. 9. Atque adeo nihil prohibet quominus priorem hic intellectum habeat; ita ut Jacob prædicet non defuturas Judæis calamitates, donec Meſſias adveniat. Hoornbeek 131. *num.* 13. 136. *num.* 8. & 143. Huetius *prop.* 9. *num.* 16. Helvicus *cap.* 2.

NEGO antecedens. 1. Enim ut ambigua ſit vox *Schebet*, certe ex adjunctis, quam in partem inflectenda ſit, intelligitur. At in vaticinio Jacobi nomen *legiſlatoris*, quod *imperium* ſonat, ei adjungitur. Ergo nullum dubium eſt, quin hoc poſtremo ſenſu ſit accipienda, præſertim cum ea ſit Scripturæ conſuetudo, ut unam eamdemque rem aliis & aliis verbis eodem in verſiculo bis repetat. 2. Falſum eſt, quod Judæi contendunt, ſive populum Judaicum ad Meſſiæ uſque tempora affligendum exiſtiment, ſive poſthac non affligendum. Quot enim a Moſe ad Davidem lucidi ſoles? Quam florens inde imperium ad captivitatem uſque Babylonicam? A captivitate autem Babylonica ad ultimum uſque gentis excidium quot læta & illuſtria temporis intervalla? Jam vero poſt Meſſiam Daniel *cap.* 9. *v.* 26. prænunciat Jeruſalem eſſe evertendam, & ſanctuarium diſſipandum, & nationem exterminandam quod idem Oſee *ſupra* prædicit. Ergo. 3. Tandem fauſta hic, & proſpera Jacobus Judæ præcinit, non triſtia. Ergo virga non pro *afflictione*, ſed pro *imperii inſigni* ſeu *ſceptro* accipienda eſt: Turretinus *num.* 11.

OBJICIES 9. Eſto voces hæ *Schiloh* & *ſchebet* de *Meſſia*, & *ſceptro* intelligantur, ſuperſunt adhuc duæ עד כי *Ad Ki*, quæ in varios ſenſus flecti queunt. Si enim conjunctim capiantur, eæ quidem vulgo ſignificant *donec*. At divelli poſſunt, itaut עד *Ad*, ſignificet *in æternum*,

num , & כי *Ki* , significet *quando* : proinde is sensus exurget : *Non recedet sceptrum e Juda in æternum quando venerit Messias* . Quia nimirum regni Messiæ juxta Daniel, nullus est futurus finis . Ita Rabboth & Schevet Juda. Hoornebek 132. *num.3.*133. Huetius *num.6.* Fagius *ad Genes.* 49. 10. & Tostatus *ibidem*.

Respondeo hanc interpretationem ferri non posse. 1. Enim quamvis concedamus voce עד *Ad* , æternitatem indicari , & voce כי *Ki*, articulum temporis , quo aliquid fit (quod tamen negant viri hebraice doctissimi) nunquam ita accipiuntur , cum simul conjunguntur . Neque vero hic ita divelli possunt , ut prima ad unam orationis sententiam , altera ad alteram pertineat . Grammaticæ enim leges obstant, ut erudite Helvicus demonstrat *cap.* 11. *num.* 9. & *cap.* 2. *num.* 2. 2. Eodem quo nos modo has voces exponunt ex hebraica gente paraphrastæ Chaldæi , 3. Tandem falso obtendunt regnum Judaicum non esse evertendum postquam Messias advenerit : contra enim evertendum prænunciant Daniel & Osee *supra*.

Instabis. In hac Jacobi sententia est quidam accentus nomine *Jetbib*, qui voces illas dirimat. Ergo.

Nego consequentiam. 1. Enim illi accentus recentioris sunt instituti. 2. Non semper ejusmodi accentus vocabula dividit, namque in versiculo consequenti bis reperitur; & tamen id non præstat.

Objicies 10. cum aliis . Nondum ablatum est sceptrum e Juda . Suos enim habent principes & semper habuerunt Judæi. Ac 1. quidem veteres Judæi sceptrum post excisam Hierosolymam in suis e tribu Juda patriarchis perseverasse jactabant apud Origenem *lib.* 4. *de principiis cap.* 1. Epiphanium *in hæresi Ebionitarum* ; Theodoretum *in dialogo* 1. qui dicitur ἀτρεπτός. 2. Suos venditant recentiores Hebræi αἰχμαλωτάρχας seu captivitatis in Assyria duces ex eadem tribu , qui etiamnum numeroso Hebræorum populo imperent . Ita Chronicon minus Hebræorum , Abraham Zacutus *in Juchasin fol.* 17. auctor libri *schebet Juda* , Moses Maimonides *libro ultimo*, *Iad Kazacha* , *cap.* 4. Gemara *ad tractatum Thalmudicum sanhedrin*, R.Salomo *ad caput* 49. *Genes.* Aben Ezra & Abravanel apud Manasse *in conciliatore* (Hoornebek *pag.*138.) sed præsertim Benjaminus Tudelensis *in Itinerario* , qui de hoc imperio mira narrat, quibus alia multo mirabiliora alii addiderunt. De quo consuli possunt Josephus Scaliger *lib.* 3. *canonum*, *in animad. Euseb.pag.*188. Casaubonus *exercit.* 1. *in Baron. cap.* 2. *pag.* 17. Helvicus *membro* 3. *pag.* 74. Salmasius *ad Vopiscum* ; Samuel Petitus *lib.* 3. *observat. cap.* 3. Seldenus *in origines Eutychii pag.* 9. Petavius *lib.* 16. *de Incarn. cap.* 7. *num* 5. Hoornebek *supra* ; Turretinus *quæst.* 1. *de Christo* ; Pearsonius *in vindiciis Ignatii cap.* 11. *pag.* 328. sed præcipue illustrissimus Huetius *in demonst. evang. prop.* 9. *num.* 12. & 14.

Respondeo has esse meras ac putidas Rabbinorum fabulas . Ut enim a portentoso illo Hebræorum in Assyria imperio incipiamus . 1. Cer-

1. Certum est lustratam esse ac omni ex parte cognitam non Assyriam modo, sed etiam omnem fere terram habitabilem variis mercatorum aut viatorum peregrinationibus; nec tamen unquam fando auditum est locum esse quempiam ubi Judæi imperent, & ubi contra sub miserabili jugo omnibus odiosi non gemant. Quod Severus Sulpitius *lib. 2. hist. cap. 13.* dudum observavit, & *supra* confitentes audivimus R.Davidem Kimchi, & Manassem, quibus addi potest Abravanel *in cap.53. Isaiæ.* 2. Maimonides etiam fatetur hos principes jure gladii non potiri: Manasse autem addit omnem, qua gaudent, potestatem a Mahumetanorum principibus precario esse acceptam. 3. Commenti hujus vanitatem ingenue agnoscunt R. Bechai, & R. David Ganz: Rabbi vero Akrisch candide insuper notat hoc ad solandos popularium animos a suis doctoribus esse confictum. Neque vero remorari debet itinerarium Benjamini Tudelensis, quem Constantinus Lempereur mendacii, imperitiæ ac nugarum non semel arguit. 4. Ut demus tales fuisse captivitatis principes, necessario non fuerunt illi e tribu Juda, cum Hircanus pontifex ejusmodi dignitatem olim habuisse videatur ex Josepho *lib. 15. cap. 11.* & aliunde ita permixtæ sint tribus, ut internosci nequeant. Jam vero quod pertinet ad patriarchas, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 12.* & Theodoretus, merito negant eos e tribu Juda fuisse oriundos. Ex historia autem ac codice juris Romani constat illos perinde ac cæteros Judæos Romano imperio subditos fuisse, nec ullo condendarum legum aut necis ac vitæ jure potitos, licet illi inter populares suos, quin etiam inter Romanos dignitate quadam fulgerent. Quod idem statuendum est de aicmalotarchis, qui ut honore apud suos, & aliqua auctoritate eminerent, Persarum tamen, ac Parthorum, ac deinde Mahumetanorum principibus obnoxii semper fuerunt; adeo ut in ejusmodi patriarchis, & aicmalotarchis Judæ sceptrum mansisse immerito plane Judæi comminiscantur. Sed esto fuerint id genus apud Judæos principes: jam dudum profecto illi extincti sunt, ut ipsimet non inficiantur. Ergo jamdudum venit Christus: quod unum hic demonstrandum habemus.

Objicies ii. Si hoc vaticinium tam insigne foret adventus Messiæ argumentum, eo haud dubie usi essent Christus & Apostoli. Atqui illud nunquam attulerunt. Ergo.

Nego majorem. Pluribus enim de causis ab hoc vaticinio allegando abstinere potuerunt Christus & Apostoli. 1. Enim ipsis propositum non fuit unquam omnia quæ spectarent ad Messiam vaticinia sigillatim adducere, cum pauca admodum protulerint, & satis habuerint Judæos ad Scripturas evolvendas, & præsertim ad Moysen remittere, *Joannis 5. vers. 39. 45. 46.* 2. Necesse non fuit hoc vaticinium tunc afferri, quia non ad Messiæ personam, sed ad ejus adventus figendum duntaxat tempus pertinebat. Porro nulla tunc erat de tempore quo Messias advenire deberet controversia. Omnes enim Judæi tunc persuasum habebant

bebant tempus illud jam advenisse, ideoque Christum sollicite, & anxie expectabant, ut *infra* probabimus. 3. Denique non potuisset ea ætate afferri, quia nondum poterat plene probari hujus vaticinii tempus advenisse, cum staret adhuc respublica Judæorum, adeoque sceptrum apud Judæos tunc adhuc manere credi posset. De quo Casaubonus & Huetius *supra*.

Sed hæc sufficiant de Judæorum tricis, quæ si quibusdam delicatioris palati hominibus insipidæ ac spinosiores, aut a nobis justo prolixius expensæ videantur, ut æqui bonique consulere velint, obtestamur, atque id argumenti naturæ ac necessitati condonare. Illud autem saltem theologiæ candidatis operæ pretium erit, quod ex hoc veluti specimine, qualia sint Rabbinorum ingenia ac somnia, quam vana sint & ridicula commenta, quam futiles argutiæ, quibus fidem nostram concutere nituntur, facile discere jam queant.

CAPUT II.

De exitu & explicatione Jacobæi vaticinii.

QUAM clarum est & evidens adversus Judæos Jacobi patriarchæ vaticinium, tam intricatum ex altera parte apparet cum de ipsius exitu sigillatim ac enucleate agendum est: adeo Scripturæ interpretes ac theologi in varias super eo sententias scinduntur, quæ jam excutiendæ sunt.

Verum ut de iis certius judicium ferri possit, multiplicem Judaicæ reipublicæ statum ante oculos habere oportet, ac memoria recolere quænam ejus ab edito vaticinio ad ultimum usque Jerusalem excidium conditio fuerit.

Ac 1. quidem a Jacobo ad Moysen, Hebræos gravissima in Ægypto servitute indesinenter fere afflictos fuisse.

2. Sub Moyse e tribu Levi, in solitudine Ægyptum inter & terram Chanaan per quadraginta annos errasse.

3. Judicibus, qui modo ex hac, modo ex illa tribu fuerint, eos exinde per quadringentos circiter annos paruisse.

4. Cum Israelitæ regem postulassent, primum omnium esse constitutum Saulem e tribu Benjamin, cui successit David e tribu Juda, ut Davidi Salomon ejus filius.

5. Post mortem Salomonis Hebræum imperium in duas partes esse scissum, quarum altera e tribubus Juda, Benjamin & Levi conflata, *regnum Juda* dicebatur, cui Roboamus Salomonis filius, ejusque posteri ad eversam usque Jerusalem a Nabucodonosore, præfuerunt; altera ex aliis decem tribubus constans *regnum Israel* appellabatur, cujus primus princeps fuit Jeroboamus.

6. Babylonicam captivitatem, quæ Jerusalem excidium consecuta est, septua-

feptuaginta annos duraffe ad Cyrum ufque primum Perfarum regem, qui Judæis in patriam remeandi poteftatem fecit.

7. Ab eo tempore rempublicam Judaicam a ducibus fuiffe adminiftratam, qui omnes fere e tribu Levi facerdotes extiterunt, ex quibus Affamonæi, qui & Machabæi, paulo ante Chriftum regium nomen affectarunt. Sed cum Hircanus & Ariftobulus fratres de imperio diffiderent, vocatum ab Hircano Pompeium Romanorum imperatorem cepiffe Jerufalem, eique tributa indixiffe, relicto tamen rege Hircano.

8. Herodem Idumæum poft Hircani mortem a Romanis Judæorum regem effe factum, cui filius Archelaus fucceffit; quo relegato Judæa in provinciam redacta ac Syriæ attributa, præfides habuit Romani imperii procuratores, fervata tamen Judæis facultate propriis utendi legibus, fed ablato gladii vitæque ac necis jure, donec a Vefpafiano tandem ac Tito ipfius filio funditus excifa eft urbs Jerufalem, omneque gentis imperium extinctum.

Atque hi fuerunt varii Judæorum ftatus, quibus fi congruum nomen ex regiminis forma tribuere quis velit, dicemus a Mofe ad Saulem floruiffe *theocratiam*, quod omnia per fefe Deus eo temporis intervallo moderari vifus fuerit; a Saule autem ad captivitatem Babylonicam fuiffe *monarchiam*; denique a captivitate Babylonica ad Chriftum fere *ariftocratiam* viguiffe.

His notatis jam fingulæ vaticinii partes breviter exponendæ funt. Ac primo quidem aperiendum venit quid nomine *Judæ* fit intelligendum: Secundo quid voce *fceptri*: Tertio quandonam fceptrum ibi memoratum penes Judam effe cœperit: Quarto qua ratione penes ipfum ad Chrifti ufque ætatem manferit: Quinto quo pacto apud eum effe defierit: Sexto an Herodes in quem tanslatum eft, alienigena fuerit: Septimo tandem quid fibi velit particula *donec* in hoc vaticinio.

Quid nomine JUDÆ *in oraculo Jacobi fit intelligendum.*

DUÆ funt ea de re theologorum opiniones, quarum unam per fe ac fponte vaticinii perfpicuitas parit: alteram vero induxit vaticinii cum hiftoria Judaica conciliandi non fpernenda difficultas.

Prima itaque eft Petavii *lib. de Incarnat.* 16. *cap.* 6. *num.* 4. illuftriffimi Huetii *in demonft. evang. prop.* 9. *num.* 7. &c. & aliorum qui exiftimant nomine *Judæ* hic intelligi peculiarem tribum Judæ, quem illic nominatim alloquebatur Jacob.

Secunda eft Pererii ad hunc Genefis locum, & aliorum non infimæ notæ theologorum, qui contra ftatuunt nomine *Judæ* hic defignari totam Ifraeliticam gentem, quæ poft captivitatem Babylonicam, Judaica dici cœpit: qua in fententia verfatur etiam ex heterodoxis Cafaubonus *exercit.* 1. *in Baronium cap.* 2.

AS-

A S S E R T I O.

Nomine *Judæ* Jacobus designare voluit peculiarem tribum Judæ, ejusque posteros.

Probatur 1. ex vaticinii ipsius verbis ac scopo. 1. Enim Jacob singulos e filiis sigillatim ac seorsim alloquebatur. Cum ergo in hoc vaticinio ad Judam nominatim verba dirigeret, in eum distincte cadere debuit oraculum. 2. Diserte Judas illic a fratribus suis distinguitur *versu* 8. paulo ante vaticinii verba, *Juda*, inquit Jacob, *te laudabunt fratres tui* &c. cum ergo continenter adjiciat : *Non auferetur sceptrum de Juda*, profecto is intelligendus est, quatenus a fratribus suis separabatur. 3. *Ibidem versu* 28. testatur Moses Jacobum illic *benedixisse singulis* filiis *benedictionibus propriis*. Ergo benedictio Judæ ipsi propria est, non vero cum tota gente communis. 4. Denique antecedentia & consequentia, ut omnes confitentur, ad tribum Juda specialiter pertinent. Ergo & intermedia. Quid enim absurdius quam ista ab aliis divellere?

Probatur 2. ex Patribus.

Sanctus enim Justinus martyr *apol.* 2. *pro Christianis* illud de Judæ posteris intelligit : " Vestrum est, igitur, inquit, accurate disquirere ac di-
„ scere quo usque princeps fuerit & rex apud Judæos ipsorum proprius,
„ nempe quoad apparuit Jesus-Christus magister noster, quemadmodum
„ prædictum est a divino .... spiritu per Moysen, non defore principem
„ e Judæis, donec veniat is quem regia dignitas manet. Judas enim Ju-
„ dæorum progenitor fuit, a quo & Judæorum nomen habuerunt.

Origenes similiter genus ac progeniem Judæ speciatim nominat : *homilia* enim 17. *in Genesim*; " Constat, inquit, usque ad nativitatem Chri-
„ sti non defecisse principes ex genere Judæ, nec duces de femoribus ejus
„ usque ad Herodem regem &c.

Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 12. pariter Judæ genus ac Davidis e Juda prognati posteros commemorat. " Si habent, inquit, Judæi prin-
„ cipem e genere Judæ & Davidis, nondum venit, qui expectabatur &c."
quo evidenter significat Messiam debuisse advenire, cum sceptrum in Juda, ac duces de femore ejus desiissent apud Hebræos.

Epiphanius *in hæresi Ebionitarum*, " Continua serie, inquit (ad Chri-
„ stum usque) perseveravit a Juda & David regnum, & qui e Juda
„ oriundi erant principes ac patriarchæ.

Augustinus *libro* 12. *contra Faustum cap.* 47. " Sunt litteræ certissi-
„ mæ, inquit, ... quibus ostenditur primum alienigenam regem fuisse
„ in gente Judæorum, quo tempore natus Christus est. Ita non defuit
„ rex de semine Judæ, donec venirent, quæ reposita erant.

Cyrillus Alexandrinus *lib.* 8. *contra Julianum*, " Quomodo inquit,
„ cessasse dicit (Julianus) regnum David in Sedekia, cum Zorobabel,
„ ut dixi, post captivitatis tempus in regni solio consederit, fueritque

„ e tri-

„ e tribu Juda & David, transmissumque sit per posteros illius sceptrum „ usque ad regnum Herodis, qui ex matre quidem fuit Judæa, sed ex „ patre alienigena.

Adde Hieronymum *in cap.* 1. *Sophoniæ ;* Ruffinum *de benedictionibus patriarcharum ;* Theodoretum *in Genes. & hebdomad. Danielis*; Isidorum Hispalensem, Bedam & alios, qui eodem modo locuti sunt.

PROBATUR 3. duplici ratione.

Prima est, Quod ex hoc sancti Patres ac theologi passim colligant Christum esse debuisse e tribu Juda. Atqui nulla est hujus argumenti vis, si vaticinium illud non de sola tribu Juda, sed de tota gente accipiatur.

Secunda est, Quod verba illa *de femore ejus*, naturalem ex Juda propagationem sonent, ut alibi vulgo, v. g. *Deut.* 28. *v.* 58. *Isaiæ* 7. 20. & 36. 12. At tota gens Hebræa ex Juda originem non duxit.

PROBATUR 4. consensione Judæorum : de qua legi potest Helvicus in sua de hoc vaticinio dissertatione *num.* 7.

PROBATUR 5. ipsa adversariorum confessione. Qui enim eos legerit, illico deprehendet eos non nisi invitos ad contrariam opinionem esse delapsos, & in nostram sæpe relabi tanquam Scripturæ magis congruentem. Ita Pererius cum in explicanda ac tuenda alia parte diu æstuavit, tandem fateri cogitur nostram " Non minus (esse) .... probabi„ lem : quin imo planiorem ad intelligendum , & ad credendum pro„ cliviorem, totam nempe hanc prophetiam ad tribum Juda pertinere. " Petavius *cap.* 7. *num.* 3. Huetius *supra*.

OBJICIES 1. S. Justinus *in dial. cum Tryphone ;* Eusebius *lib.* 3. & 8. *demonst. evang. & hist. lib.* 1. *cap.* 5. 6. & 7. Athanasius *de Incarn. Verbi*; Ambrosius *de bened. patriarch. cap.* 4. Chrysostomus *homil.* 67. *in Genesim*; Augustinus *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 45. Theodoretus *quæst.* 110. *in Genesim ;* Rupertus *lib.* 9. *in Genesim cap.* 49. & alii passim, docent sceptrum non defecisse in Juda usque ad Christum, eo quod gens Judaica suos semper ad illud usque tempus principes habuerit ; defecisse autem postea, eo quod excisum sit totius gentis imperium. Ergo nomine *Judæ* totam Hebræorum nationem intelligebant.

RESPONDEO 1. reipsa nonnullos ex antiquis videri in aliam a nobis sententiam propendisse, quod de Eusebio præsertim non inficiamur; sed ei opponimus qui *supra* a nobis allegati sunt.

RESPONDEO 2. ipsos ita loqui potuisse, etiamsi nomine *Judæ* peculiarem ipsius tribum intelligerent. Ac 1. quidem quia reipsa, ut *infra* ostendemus, ex eo quod staret imperium gentis Hebrææ ad Christum usque, inde consequens erat sceptrum in Juda ad illud usque tempus mansisse : tandiu enim sceptrum penes aliquos manet, quandiu illud gestant aut alteri sponte deferunt electionis via, præsertim si supremæ interim auctoritatis participes sint. 2. Quia ex eo quod excisum esset totius gentis imperium, longe adhuc magis consequens erat defecisse reipsa sce-

fa ſceptrum in Juda : cum enim tribus Juda totius gentis pars eſſet, ſi ablatum eſt ſceptrum e tota gente, certe & ablatum neceſſario dici debet e tribu Juda.

Objicies 2. Hiſtoria docet poſt captivitatem Babylonicam nullos fuiſſe e tribu Juda reges ; qui vero præfuerunt, duces fuiſſe pleroſque e tribu Levi. Ergo non poteſt nomine *Judæ* intelligi tribus Juda, quin multo ante Jeſum tempore, dicatur in Juda defeciſſe ſceptrum.

Nego conſequentiam. Eo enim ipſo tempore, ut mox dicemus, quo duces erant e tribu Levi, ſceptrum Judaicum adhuc erat ſuperſtes.

Objicies 3. Nemo ſaltem negaverit aliam opinionem longe eſſe faciliorem ac commodiorem. Ergo.

Respondeo theologum nec opinionum commoditate moveri debere, nec terreri difficultate : ſed id unum conſectari, ut veritatem, quam quærit, inveniat, & repertæ tenaciter adhæreſcat. Præterea vero non ita difficile eſt ſententiam noſtram cum hiſtoria conciliare, ut mox patebit.

Quid nomine Sceptri *deſignetur.*

ASSERTIO.

Nomine *ſceptri* intelligitur non modo regia dignitas, ſed etiam quælibet reipublicæ forma ac ſuprema auctoritas.

Probatur 1. ex Scripturis. Certum enim eſt ante Saulem nullam fuiſſe apud Iſraelitas regiam dignitatem : atqui ante Saulem erat apud eos ſceptrum, penes judices nimirum. *Libro* enim 2. *Regum cap.* 7. *verſ.* 7. de templo verba faciens Deus ; ubi latine ſic legimus, *Nunquid loquens locutus ſum ad unam de tribubus Iſrael, cui præcepi ut paſceret populum meum Iſrael, dicens. Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam* : hebraice ſic inſit, *Nunquid loquens locutus ſum ad unum e ſceptris Iſrael, cui præcepi* &c. Quod de judicibus eſt intelligendum; ut patet ex libro 1. *paral. cap.* 17. *v.* 6. ubi judices diſerte nominantur, *Nunquid locutus ſum ſaltem*, inquit, *uni judicum Iſrael, quibus præceperam ut paſcerent populum meum.*

Probatur 2. ex ipſo vaticinio. Idem enim intelligitur nomine *ſceptri*, quod nomine *ducis*, ſeu, ut hebraice eſt, *Legem condentis, & dicentis.* Atqui non ſoli reges leges condunt aut jus dicunt ſed etiam quilibet reipublicæ magiſtratus, præſertim vero ſupremi. Ergo.

Probatur 3. ex Patribus, qui aiunt ſceptrum a Jacobo memoratum poſt extinctos reges in ducibus ac ſummis magiſtratibus, qui poſt captivitatem Babylonicam Judaicæ reipublicæ præfuerunt, perſeveraſſe. Ita Juſtinus, Origenes, Euſebius &c. qui mox in utramque partem allegati ſunt. In hoc enim omnes ſecum conſentiunt. Vide Caſaubonum id ex Juſtino præſertim obſervantem, & Huetium *prop.* 9. *num.* 4.

Probatur 4. ex conſenſione Judæorum. 1. Enim Onkelos generatim

tim sic vertit: *Non deficiet exercens dominatum*. 2. Jonathan distincte; *Non cessabunt reges & principes*. 3. Talmud in Sanhedrin explicans quid „ nomine *sceptri* sit intelligendum, “ Isti sunt, inquit, principes exulum in Babylonia. “ 4. Ita Rabbini præstantiores *in glossis Talmudicis & Brescbith Rabba*, R. Maimonides, R. Bechai, R. D. Kimchi &c. De quibus consule Helvicum *in dissert. memb. 1. num. 4. memb. 2. num. 1. & 6. memb. 3. num. 4.* necnon & Huetium *prop. 9. num. 3.* qui ex Judæorum monimentis refert a soluta captivitate semper medio in senatu Hierosolymitano sceptrum tanquam supremæ illius potestatis signum appensum fuisse. De quo insuper legendus est Grotius *ad Math. cap. 5. pag. 83.* Seldenus *de synedriis*; Ferrandus *in reflex. Christ.*

Probatur 5. ratione duplici. 1, est, Quod sceptrum sit insigne supremæ potestatis. Ergo ubicunque est suprema auctoritas, sive reges sint, sive alterius generis principes, ibi sceptrum esse censendum est. 2. est, Quod omnes in eo concordes esse debeant theologi, quidquid aliunde sentiant de nomine *Judæ*. Sive enim contendas illud ad universam gentem esse extendendum, sive restringendum ad solam Judæ tribum, certe confitendum est sceptrum regium utraque ex parte defecisse longe ante Jesum natum. Quocirca si hoc nomine regium duntaxat sceptrum intelligi posset; Messias non esset Jesus beatæ Mariæ virginis filius, sed longe ante, hoc est tempore captivitatis Babylonicæ, venire debuisset. Et vero nulla est in scholis hac de re disputatio. Vide Casaubonum, Pererium, Helvicum, Petavium *lib. 16. num. 5.* Huetium *prop. 9. num. 4.*

Quotuplici ratione sceptrum esse possit penes aliquos.

ASSERTIO.

Tandiu sceptrum & imperium penes aliquos stare dicitur, quamdiu ipsi suprema gaudent in republica auctoritate, aut eam sponte alteri deferunt libera electionis via, ad se postea reversuram: multo autem magis, si cum eo, quem elegere ducem, in istius ejusdem auctoritatis consortium veniant. Uno verbo quamdiu reipublicæ corpus subsistit, & liberam suis legibus utendi facultatem retinet. Ita Justinus *dial. cum Tryphone pag. 5.* Eusebius *lib. 8. demost. evang.* idque ex professo; Casaubonus *supra*; Petavius *lib. 16. num. 5.* Huetius *num. 4. 5. 11.* Turretinus *quæst. 1. num. 15. 16.* &c. Dupin *in Scripturæ prolegomenis*.

Probatur exemplis. 1. Enim imperium Romanum tandiu stetisse dicimus, quandiu fuerunt Romæ imperatores vel Roma oriundi vel a Romanis creati. 2. Quotidie affirmamus sceptrum Polonicum adhuc esse florentissimum, licet modo reges natione Poloni sint, modo extranei, quia nempe a Polonis eliguntur, qui imperent juxta proprias eorum

rum leges, ut ipsi simul cum rege auctoritatis participes fiant. Uno verbo juxta communem judicandi ac loquendi rationem, ut sceptrum ac imperium penes aliquos esse existimetur, nihil interest an sceptrum suis ipsi manibus gestent, an alii cuipiam credant illius gestandi facultatem, quam ille in propria eorum ditione secundum proprias eorumdem leges, eorumque nomine, suffragiis ac consiliis exerceat.

Quandonam sceptrum penes Judam esse cœperit.

Respondeo 1. in vaticinio Jacobi finem quidem imperii Judaici memorari, non vero initium: quod proinde ex historia quærendum est. Qui enim regnum auferendum, & exscindendum esse prænunciat, is quidem futurum aut præsens imperium ostendit; quando autem futurum sit non indicat.

Respondeo 2. citra omnem controversiam non statim ab edito vaticinio sceptri exordia capienda esse. Quandiu enim Israelitæ in Ægypto manserunt, non modo tribus Juda sceptro potita non est, sed etiam eo omni fere temporis intervallo una cum aliis omnibus gravissima servitute oppressa est. Neque vero necesse erat, ut illud penes Judam sceptrum esse inciperet statim. Ut enim jam monuimus, Jacob prænunciabat filiis ea, quæ ipsis eventura essent novissimis demum diebus, hoc est postquam in terram Chanaan essent ingressi.

Respondeo 3. tribum Juda ab egressionis ex Ægypto tempore, supra cæteras honore ac dignitate eminere cœpisse. Primas enim habuit in castris metandis, *Num.* 2. 23. in iisdem mutandis, *Num.* 10. 14. in offerendis muneribus Deo, *Num.* 7. 11. in recensione tribuum, *Num.* 34. 19. in terræ Chanaan divisione, *Josue* 15. 1. in assignandis Leviticis urbibus, *ibidem cap.* 21. 4. denique in bellis adversus Chananæos gerendis, *Jud.* 1. *v.* 2. & 19.

Respondeo 4. tribum Juda proprie tamen non habuisse tunc ad Davidem usque sceptrum. 1. Enim tunc temporis theocratia erat, ut notat Josephus *lib.* 2 *contra Appionem*, & Deus ipse per sese præerat; ita ut judices legatorum duntaxat vices agerent. Unde Gedeon, *Jud.* 8. 2. cum Israelitæ eum rogarent in regem, *Non dominabor vestri*, ... inquit, *sed dominabitur vobis Dominus*. Hinc etiam cum Israelitæ regem a Samuele postulassent 1. Reg. 8. 7. *Non te abjecerunt*, inquit Deus, *sed me, ne regnem super eos*. 2. Illa non secus ac aliæ per illud temporis spatium Moysi e tribu Ephraim; judicibus, qui omnes, duobus exceptis, e Juda oriundi non erant; ac deinde Sauli e tribu Benjamin, primo nationis Hebrææ regi paruit.

Ex quo consequens est, ut Judaici sceptri principium proprie in Davide figendum esse videatur. Huetius *num.* 10. & 22. Helvicus *memb.* 2. *num.* 4. Turretinus *num.* 10. Hoornebek *pag.* 137.

Quo pacto a Davide ad captivitatem Babylonicam & inde ad reditum usque, penes Judam sceptrum steterit.

Respondeo 1. a Davide ad captivitatem usque Babylonicam nihil prorsus esse difficultatis. Davidis enim ex tribu Juda posteri per illud omne temporis intervallum sceptro regio potiti sunt.

Respondeo 2. ne in captivitate quidem Babylonica penitus sceptrum defecisse. 1. Enim ad summum dici posset ad aliquod breve tempus fuisse intermissum per annos videlicet septuaginta, cum spe non dubia de illo statim recuperando juxta illud Jerem. 29. v. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos & suscitabo super vos verbum meum bonum ut reducam vos ad locum istum*. Cui consonat quod habetur ejusdem *Jerem. cap.* 25. 9. *Daniel* 9. 2. & 2. *Par.* 36. 2. 2. Ne quidem intermissum est toto illo temporis spatio. Ut enim narratur 4. *Reg.* 25. *v.* 27. Joachim rex Judæorum, qui captivus abductus fuerat a Nabuchodonosore in Assyria, ab Evilmerodack e carcere liberatus est, & ibidem in regiam dignitatem restitutus. Deinde Judæorum constans opinio est etiam tum temporis sceptrum Judaicum penes quosdam e tribu Juda captivitatis principes resedisse, de quo Casaubonus *pag.*17. Helvicus *memb.* 3. *num.* 2. fuse; Hoornebeck *pag.* 149. Turretinus *num.*10. Et vero ex Danielis *cap.*13. & historia Susannæ, necnon Targumin *in cap.* 6. *v.* 1. Canticorum, patet Judæos ea etiam ætate jus vitæ ac necis in suos populares habuisse.

Qua ratione sceptrum in Juda a captivitate Babylonica usque ad Jesum perseveraverit.

Hoc in capite præcipuus controversiæ cardo vertitur, quod videlicet ista ætate plerique Hebrææ reipublicæ principes, ac præsertim Assamonæi seu Machabæi, non ex tribu Juda, sed ex tribu Levi oriundi fuisse videantur. Itaque theologi, ut nodum hunc sane implexum expedirent, in quatuor opiniones abiere.

Prima est eorum qui arbitrantur omnes Hebræorum duces, atque etiam Machabæos revera Juda fuisse satos: qua in sententia versati fuisse videntur aliquibus prisci illi Ecclesiæ doctores quos *supra* allegavimus, ut ostenderemus nomine *Judæ* intelligendam esse tribum Juda. Ita vero diserte statuit Genebrardus *in chronologia pag.* 99. quem aliquando secutus est Baronius in suo ad annales ecclesiasticos apparatu: quod si ita esset, ne umbra quidem superesset difficultatis.

Secunda est aliorum qui decernunt Machabæos e tribu quidem Levi originem duxisse; sed maternum genus simul duxisse e tribu Juda, quod satis esse putant, ut eo etiam tempore sceptrum penes Judam mansisse dicatur. Ita Galatinus, Lyranus & Abulensis, & Baronius relicta

priore

priore ſententia, Martinonus &c. Caſaubonus *pag.* 11. *col.* 1. Petavius *lib.* 16. *cap.* 7. *num.* 1. Torniellus *ad annum mundi* 40. 18. *num.* 5, *&* 6.

Tertia eſt virorum quorumdam eruditorum, qui licet fateantur hos Judæorum principes tribu Levi prognatos fuiſſe, nec maternum e Juda genus probari poſſe exiſtiment, nec ullo habeant loco, contendunt tamen ſceptrum per illud tempus in tribu Juda perſeveraſſe, quia nempe ſuprema reipublicæ auctoritas tunc erat penes majorem ſenatum, quem *Sanhedrin* vocant, cujus principes erant e tribu Juda, ex eaque potiſſimum conſtabant: ſic Helvicus in peculiari hac de re diſſertatione. In eodem ſenatu ſceptri continuationem quærunt etiam Grotius *de jure belli & pacis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. apud Seldenum *lib.* 2. *pag.* 698. & *ad Matth. cap.* 5. nec non & Ligfootus *in Harmonia evang. ſect.* 3. *pag.* 257. quamvis illi non ſentiant ſenatus iſtius principes neceſſario e tribu Juda extitiſſe.

Quarta denique eſt vulgaris, quæ ſtatuit merito tunc penes Judam ſceptrum manſiſſe dici: idque multis de cauſis. Ac 1. quidem eo quod reſpublica Hebræa ex illa duntaxat tribu proprie per id temporis conflata fuit, adeo ut ei nomen e ſuo fecerit. Cum ergo non tam in privatis, quam in toto reipublicæ corpore vigeat imperii auctoritas, idcirco penes Judam recte cenſeri tunc ſceptrum perſeveraſſe. 2. Quia eadem illa tribus continua ſerie multos e ſinu ſuo duces habuit fere uſque ad Alexandrum magnum. 3. Quia etſi exinde non paucos habuerit ex tribu Levi, eos tamen ipſa pro ſuo jure ſponte elegerat, iiſque adeo ſuam auctoritatem crediderat ad ſe poſt uniuſcujuſque obitum reverſuram: ita ut penes ipſam, veluti fontem ac fundum, ſuprema poteſtas eſſe cenſeretur. 4. Quia tribus Juda cum his ipſis principibus principatum ac communem habebat interim auctoritatem in omnibus reipublicæ negotiis; præſertim autem ſenatus major, qui cum e tribu Juda maxima ex parte coaleſceret, ſumma inter Judæos auctoritate eminebat: quæ omnia ſi conjungantur ac vera eſſe demonſtrentur, non minori profecto jure tunc penes Judam ſceptrum fuiſſe dici poteſt, quam ſceptrum ac imperium Polonicum ſtare etiamnum exiſtimatur.

ASSERTIO I.

NON omnes Hebrææ reipublicæ duces e tribu Juda per iſtam ætatem oriundi fuere, ſed plerique e tribu Levi ac potiſſimum Machabæi.

PROBATUR 1. ex Scriptura, quæ id de Nehemia & Machabæis luculenter ſignificat.

1. Enim Nehemias 2. *lib. Machab.* 1. 21. conceptis verbis *ſacerdos* appellatur.

2. Mathathias Machabæorum parens 1. *Machab.* 2. 1. dicitur fuiſſe

sacerdos ex filiis Joarib, cujus familia inter Leviticas prima sorte exiit ad ministrandum Domino 1. *paral.* 24. *v.* 7. Deinde idem *ibidem versu* 54. Phineem Eleazari filium, Aaronis nepotem, appellat *patrem suum:* quod tamen ex Eusebio, & Cedreno negant Scaliger *in chronico pag.* 96. Helvicus *pag.* 73. *membro* 3. Turretinus *num.* 16. sed immerito. Uno verbo, ut ex eadem historia constat, pontifices egerunt ea omni ætate Machabæi. Atqui juxta Paulum *epist. ad Hebræos cap.* 7. *v.* 13. de tribu Juda, *nullus* unquam *altari præsto fuit*: & Num. cap. 16. vers. 39. & 40. sub gravis pœnæ exemplo prohibetur *ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino*. Ergo.

PROBATUR 2. ex Josepho, qui id multifariam docet. 1. Enim *antiq. lib.* 11. *cap.* 4. asserit post solutam captivitatem Babylonicam, Hierosolymis institutam eam fuisse reipublicæ formam, quæ per optimates administratur. " Penes pontifices enim, inquit, fuit summa auctoritas ,, &c. " Brevem historiæ Judaicæ summam retexens *lib.* 20. *cap.* 8. pontifices sigillatim enumerat, qui a Cyro ad regem Antiochum Eupatora statum reipublicæ popularem rexerunt per annos 413. 3. *Ibidem. lib.* 11. *cap. ult.* Jaddum pontificem simul ac principem memorat, qui Alexandro obviam ierit. 4. Idem deinceps *lib.* 12. eos fuse pontifices ac potissimum Machabæos refert, qui reipublicæ Judaicæ præfuerint.

PROBATUR 3. ex Patribus. 1. Enim Eusebius *lib.* 8. *demonst. evang.* id ex professo demonstrat. 2. Sanctus Ambrosius *lib.* 3. *in Lucam*, " Populus, inquit, de captivitate dimissus sub sacerdotibus, & tetrarchis fuit.

PROBATUR 4. Rabbinorum consensione. 1. Enim Machabæos e tribu Levi sacerdotes extitisse confitetur author chronici minoris Hebræorum. 2. Idem non dissimulat R. Abraham *in historia Cabbala*. 3. R. Moyses Ben-Nachman, R. Bechai, & R. Salomo Alcabos agnoscunt pariter Assamonæos ad Judam nihil pertinuisse, adduntque eos miserabiliter ideo periisse, quod sceptrum ad tribum Juda pertinens invasissent. Hoornebeck *pag.* 135. Huetius *prop.* 9. *num.* 2.

Denique id adeo clarum ac evidens est ut Baronius cum antea sensisset aliter, pro animi candore opinionem illam exuerit: quod notat Huetius *prop.* 9. *cap.* 4. *num.* 2.

OBJICIES. Scriptura de Machabæis loquens, eos appellat *viros Juda*. Libro enim 1. Machab. 5. 63. *Et viri Juda*, inquit, *magnificati sunt valde.* Ergo erant e tribu Juda.

NEGO consequentiam. Viri enim Juda sunt ii qui Judam Machabæum sequebantur; non vero qui Judæ tribu prognati erant: seu potius, ut in græco codice est, *Judas & fratres ejus*.

AS-

ASSERTIO II.

NULLO argumento potest demonstrari Machabæos maternum genus e tribu Juda duxisse, neque hoc si probaretur, quidquam ad sceptri continuationem in tribu Juda conduceret.

PROBATUR prima pars. 1. Enim id certum non esse vulgo pronunciant eruditi, Petavius *lib.16. de Incarn. cap.7. num.* 2. Casaubonus *exerc.* 1. *num.*3. deinde altum est ea de re apud antiquos ac probatos scriptores silentium: tandem probabile non est Assamonæos despecto proprio genere ex aliena tribu conjuges sibi semper delegisse. Vide Torniellum *ad annum* 4018. *n. 6.*

PROBATUR 2. pars, quod nempe origo materna nihil quidquam faceret ut sceptrum penes Judam mansisse censeatur. 1. Enim vulgatissimum est apud Judæos effatum, matris familiam non esse familiam, hoc est, nullo loco haberi, ut videre est apud Thalmud, auctorem Juchasim, Helvicum *memb.* 3. *pag.*74. Casaubonum *supra*; Huetium *num.* 2. Petavium *lib.* 16. *cap.* 7. *num.* 2. Præterea vero si maternum genus satis esset, eadem ratione dici quoque posset sceptrum penes Judam in Herodis filiis perstitisse, qui ex Mariamne Assamonæorum filia & Herode nati reges extiterunt, quod nunquam illi confessi fuerint, quos hic oppugnamus.

OBJICIES 1. Quidam Rabbini testantur Assamonæos maternum genus e tribu Juda traxisse, de quo vide Galatinum, Baronium & Helvicum *supra*. Ergo.

NEGO consequentiam. Præterquam quod enim hoc clare non pronunciant, nemo nescit quam leve sit vel in propria historia Rabbinorum testimonium.

OBJICIES 2. Isthæc consuetudo fuit apud Hebræos, ut Levitæ uxores e Judæ tribu sibi assumerent. *Accepit enim Aaron uxorem Elizabeth filiam Aminadab, filii Juda*, Exod.6.23. *& Josabeth. . . . filia regis Joram*, e genere Davidis ac Judæ, fuit *uxor Jojadæ pontificis* 4.Reg.11.1.& 2.par.22. 11. Ergo.

RESPONDEO ex uno aut altero exemplo non posse consuetudinem astrui, nedum ullam necessitatem.

ASSERTIO III.

PRINCEPS majoris Hebræorum senatus, seu synedrii aut sanhedrin non erat semper, & necessario e tribu Juda, nedum ex solis Judæ tribulibus constaret illud concilium.

PROBATUR 1. ex Scripturis. 1. Enim ejusmodi senatus institutio legitur *Exodi* 18. *& Num.* 11. At ibi non solum Moyses e tribu Levi, tanquam ipsius principes assignatur, sed etiam senatores dicuntur esse

de omni plebe & de cuncto Ifrael electi. 2. Apud Mofen cum de hoc fenatu fermo fit, facerdotes ac judices promifcue memorantur, *Deut.* 17. 9. *&* 12. *ibidem cap.* 19. *v.* 17. &c. 3. Jofaphat ad veterem normam fenatum reftituens, 2.Par.19. 8. *In Jerufalem quoque conftituit Jofaphat*, inquit Scriptura, *Levitas & facerdotes & principes familiarum ex Ifrael, ut judicium & caufam Domini judicarent habitatoribus ejus; præcepitque eis dicens... Amarias... facerdos & pontifex vefter in iis, quæ ad Deum pertinent præfidebit. Porro Zabadias filius Ifmael, qui eft dux in domo Juda, fuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent.* 4. Denique nihil frequentius in evangelio & in Actis Apoftolorum legitur, quam a fummis pontificibus, utpote principibus convocatum effe iftud concilium.

Probatur 2. ex Philone & Jofepho, qui Judæi erant, & cum ftante adhuc republica vixerint, non potuerunt hoc ignorare. Sacerdotes enim vulgo iftius concilii principes extitiffe affirmat Philo cum in opere *de vita Moyfis*, tum in libro de principe conftituendo, quod etiam generatim pronunciat Jofephus *lib.* 2. *adverfus Appionem*, cujus quidem confuetudinis multa ipfemet exempla fuppeditat tum in libro *de bello Judaico*, tum *in originibus*.

Probatur 3. confenfione præcipuorum Hebrææ gentis doctorum. Maimonides enim *in Sanhedrin* & Abraham Zacuth *in Juchafin*, teftantur in fenatus iftius principem eligi confueviffe ex omni gente, qui præ cæteris fapientia antecelleret. Imo Maimonides affeverat *perek* 2. hocce concilium e facerdotibus ac Levitis maxime conflatum fuiffe, nec alios nifi his deficientibus fuiffe adlectos. Cafaubonus *exerc.* 9. *ad annum* 31. *nu.* 10. *pag.* 217.

Probatur 4. omnium fere, qui de ifto fenatu fcripferunt, teftimonio, v. g. Cafauboni *exerc.* 9. *in Baronium ad annum* 31. *nu.*10. Grotii *ad caput* 5. *Matthæi*, *verfu* 22. Coccei *in Sanhedrin cap.* 4. *fect.* 3. Reizii *in notis fuis ad Goduinum lib.* 5. *cap.* 1. *de Mofe & Aaron*; Seldeni *lib.* 2. *de Sanhedrin cap.* 8. Ligfooti *ad Matth.* 5. 22. *& cap.* 26. *in harmon. evang. fect.* 8. *pag.* 300. *cap.* 2. *in defcript. templi Hierofolymitani cap.*22. *pag.* 608. *cap.*1. Huetii *prop.* 9. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 334. *&* 335.

Objicies. Juxta Judæos in chronicis femper in fenatu fuit princeps e familia David: ita enim definiunt R. Abraham *in Chronico*, quod Cabbala dicitur, & R. David Ganz *in Tfemach David*. Helvicus *memb.* 3. *pag.* 75. Ergo.

Distinguo antecedens: una cum fummo pontifice, qui dignitate anteiret; concedo: princeps e familia David, nec ullus alius; nego. Adde quod hæc non ita certa fint, ut iis certo inniti poffimus.

ASSERTIO IV.

Cæteris eft anteponenda opinio vulgaris, quæ ftatuit eo omni temporis intervallo penes Judæ tribum fceptrum non defeciffe, quia

aut

aut supremam auctoritatem habuit, aut eam aliis sponte credidit suo nomine administrandam: seu quia 1. ex ea sola proprie respublica erat conflata, cui idcirco nomen dedit: 2. quia ex se multos serie continua duces habuit; aut si alios habuit, eosdem libera electionis via elegit: 3. quia cum utrisque suprema rerum omnium potestate potita est; ita ut nihil sine populi Judaici ejusque senatus auctoritate in republica geri posset.

PROBATUR. Quia si hæc omnia vera sunt, non potest dubitari, quin merito sceptrum apud Judæos perseverasse existimetur. Atqui hæc omnia sunt certissima.

Ac primo quidem constat ex sola Judæ tribu proprie tunc rempublicam coaluisse. Narrat enim Josephus *lib.* 11. *antiq. cap.* 5. cum Esdras accepta a Rege Persarum in patriam remeandi potestate, scripsisset ad omnes Israelitas, ut qui reverti vellent, ad se venirent, Judæ quidem ac Benjamin tribus sese ei adjunxisse; cæteros autem assuetum domicilium relinquere noluisse. " At omnis populus Israeliticus, inquit, „ commovere se noluit. Hinc accidit ut duæ solum tribus in Asia, & „ Europa sub imperio Romano habitent. At decem tribus trans Eu- „ phratem in hodiernum usque tempus incolunt infinita multitudine, „ quæ numero comprehendi non potest. " Equidem statim addit Josephus non mediocrem sacerdotum ac levitarum turbam cum eodem in Palæstinam migrasse: sed cum illi essent ex officio rebus sacris mancipati, & Benjamitæ pauci numero forent, id non impedit quominus ex sola tribu Juda coaluisse respublica proprie dici queat: quemadmodum Scriptura ipsa, cum decem tribus fuissent in Assyriam deportatæ, non dubitat affirmare solam Judæ tribum in terra sancta remansisse, 4. Reg. 17. 18. *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummodo*. At certe remanserant Benjamitæ, remanserant Levitæ. Cur ergo dicitur remansisse tantum tribus Juda? Quia ipsa nimirum robore, & numero ita præstabat, ut duæ aliæ tribus præ ipsa nullæ haberentur. Quo factum est ut tribus Juda toti reipublicæ, ipsique adeo religioni, imo, & omnibus exinde per orbem sparsis Hebræis nomen e suo fecerit. Josephus *lib.* 11. *antiq. cap.* 5. " Judæi, inquit, appellati sunt, „ & regio Judæa, ab eo tempore, quo populus Babylone reversus est, „ nomine ex tribu Juda derivato, quod illa in hæc loca prima e Babylo- „ ne venisset " Quod etiam advertit Eusebius *lib.*8. *demonstr. evang.* qui in eo vim quoque non mediocrem facit. Ita in universum Israelitæ JUDÆI vocantur, *Esther* 8. *v.* 3, & 17. *act.* 2. 5. quod apud Philonem, Josephum & exoticos Scriptores est usitatissimum.

Secundo. Tribus Juda plurimos ex se reipublicæ duces habuit usque ad Alexandrum magnum: ac 1. quidem Zorobabelem Jechoniæ regis Juda filium, quem non pauci afferunt per 110. annos reipublicæ præfuisse: 2. duces alios innominatos, sed memoratos a Nehemia 2.

Esd. 5. *v.* 15. qui *in Sederolam* seu *chronico Hebræorum* apud Genebrardum & Helvicum appellantur *Mesullam*, *Ananias*, *Barachias* &c.

Tertio. Si quos habuit postea e tribu Levi, quod non diffitemur, eos certe sponte elegit, iisque libera electionis via, suam auctoritatem commisit tribus Juda. 1. Enim Josephus *lib.* 20. *orig. cap.* 8. diserte " „ Assamonæis principatum gentis suisse creditum tradit. 2. Ut ex nonnullis judicium feramus de reliquis, Mathathias Machabæorum pater ab eodem *lib.* 1. *de bello Judaico cap.* 1. dicitur. " A Judæis ob præclara „ facinora electus eis bene volentibus præfuisse. " Jonathas pariter 1. *Machab.* 9. *v.* 30. libera electione in principem est assumptus, *Nunc*, inquiunt Judæi, *te hodie elegimus esse .... nobis in principem*. Quod Josephus idem testatur *lib.* 13. *orig. cap.* 1. " Jonathas, inquit, communi- „ bus Judæorum suffragiis administrandæ militiæ præfectus est. " Sic & Simon 1. *Machab.* 13. 8. communibus omnium votis creatus est, *Tu es dux noster loco Judæ*, inquiunt, *& Jonathæ fratris tui*. Cum ergo hi non alia ratione reipublicæ Judaicæ præfuerint, quam reliqui e tribu Levi, jam patet eos omnes non nisi Judæorum suffragiis suprema auctoritate fuisse potitos.

Quarto. Dubium esse non potest quin senatus seu sanhedrin maxima ex parte ex tribu Juda conflatus esset, cum ea propemodum sola in patriam rediisset. Benjamin enim tribus, alterius duntaxat fuit quædam accessio. Jam vero senatus ille major ex Judæis conflatus suprema in republica auctoritate gaudebat una cum principibus mox memoratis, qui militiæ potius duces erant ac imperatores, quam summi reipublicæ moderatores. Quin & parem ipsis regibus fere potestatem habebat. 1. Enim thronus regius ipsis tribuitur, *psal.* 121. 3. (Helvicus *memb.* 1. *nu.* 5. Turretinus *num.* 16.) Jeremiæ autem 38. 5. Sedecias senatores alloquens testatur regem nihil iis denegare posse; *Et dixit rex Sedecias, ecce ipse in manibus vestris est : nec enim fas est regem vobis quidquam negare*. (Grotius 81.) Hinc etiam est quod 2. *Machab.* 11. 27. rex Antiochus ad eos scribens, qui apud Judæos suprema auctoritate potiebantur, sic loquatur, *Rex Antiochus senatui Judæorum &c.* 2. Reipsa Assamonæi *supra* dicuntur electi, ut militiæ præfecti, ut belli duces. 3. Josephus *lib.* 11. *cap.* 4. testatur reipublicæ Judaicæ formam post reditum ex Assyria fuisse aristocraticam, quod per optimates certo numero delectos administraretur. 4. Idem narrat *lib.* 14. *cap.* 17. tantæ fuisse senatum illum auctoritatis, etiam sub Hircano rege, ut Herodem ab eo Galilææ præfectum & cædis reum in jus, principe quadantenus invito, vocaverit, haud dubie morte damnaturus, nisi ille, auctore rege, fugam unicum ad salutem remedium arripuisset. Baronius *anno* 31. & Turretinus *supra*; Casaubonus itidem *supra*; Helvicus *pag.* 75. 5. Hoc ipsum testimonio suo confirmant Judæi doctores R. Abraham *in chronico cabbala*, " „ In templo secundo hæc fuit consuetudo, inquit, ut rex e familia Assamonæorum & servis eorum, filiis Herodis, educeret ac reduceret

„ exer-

„ exercitum, curaretque omnia quæ ad regnum pertinerent. Verum quæ „ ad legem ſpectabant ſtatuta & judicia, ad os (ſeu mandatum) prin- „ cipis de domo David fuere facta, & juxta mandatum pontificis ac „ ſynedrii. “ Rabbi autem David Ganz *in Tſemat David* “ Is mos e- „ rat Hieroſolymis, inquit, quandiu eſſet regnum e familia Aſſamonæ- „ orum, & poſt eos ex familia Herodis : ecce ſemper fuit princeps de „ domo David. Nam rex curabat exercitum & res bellicas. Verum „ quæ ad legem pertinebant ſtatutaque ac judicia ad nutum pontificis „ & principis e familia David adminiſtrabantur. “ Imo juxta ſanhedrin *cap.* 1. bella non ſuſcipiebantur niſi pro nutu & arbitrio ſynedrii. Helvicus *num.* 75. Quin & teſte Maimonide *in ſanhedrin pire*ꝗ. 2. de regibus ipſis judicare poterat. 6. In eo conſentiunt, qui rem iſtam accuratius expenderunt, præſertim vero Grotius, cujus, ut pote inter omnes eminentis, verba aſcribemus. Is itaque *in cap.* 5. *Matth. v.* 22. poſt multa de eo argumento diſputata, “ Ex his quæ diximus, inquit, „ apparet etiam regno conſtituto, magnam fuiſſe ſenatus auctoritatem & regiæ velut parem. “ Et *paulo poſt*, *pag.* 82. “ Summa rerum, in- „ quit, penes hunc ſenatum fuit : unde & ſceptrum regium in curia „ aſſervabatur. “ Quod & nos *ſupra* notavimus.

Quinto. Populus ipſe Judaicus in illius ſupremæ auctoritatis communionem veniebat, ita ut nihil citra plebiſcita fieri poſſet. 1. Enim Joſephus *lib.* 28. *orig. cap.* 8. *ſupra*, monet reipublicæ formam eo temporis intervallo fuiſſe democratia temperatam. Jam vero notum eſt, ubi democratia viget, populi ſuffragia ac conſenſum in gerendis negotiis eſſe non tantum magni ponderis, ſed etiam ſummæ neceſſitatis. 2. Hoc idem ex hiſtoria ſacra perſpicue colligitur, ac præcipue Machabæorum libris, ubi ſi quid in republica fit, ſtatim Judæorum populus appellatur; & quidem aliquando ſolus, aliquando una cum ſenatu citra principis mentionem, aut contra una cum principe ſine ſenatus mentione, non ſemel autem cum utriſque. Ac 1. quidem populus ſolus nominatur in litteris Romanorum 1. *Machab.* 8. *v.* 23. *&* 29. & in litteris Lyſiæ ac legatorum Romanorum 2. *Machab.* 11. *v.* 16. *&* 34. 2. Populus & ſenatus principe non memorato conſociantur in epiſtola regis Antiochi, 2. *Machab.* 11. 27. 3. Populus ac princeps ſenatu prætermiſſo in legatione Judæ Machabæi ad Romanos, 1. *Machab.* 8. 20. & in alia Jonathæ *ibidem* 12. 3. in epiſtola conſulis Lucii, *ibid.* 15. *v.* 17. *&* 24. 4. Denique princeps, ſenatus & populus conjunguntur 1. *Machab.* 14. 20. in litteris Spartianorum; *ibidem verſ.* 27. in epiſtola Judæorum ad Romanos; & 2. *Machab.* 1. 10. in epiſtola Judæorum ad Ariſtobulum.

Atque hæc profecto ſatis ſuperque ſunt ut ſceptrum & imperium Judaicum ea ætate conſtitiſſe pronunciemus. Cæterum etſi hæc nos deficerent, non deberet tamen id negari, cum aperte nec ſemel prædixiſſet Deus non defuturos e Juda ac David, qui ad Judaicæ reipublicæ clavum ſederent, 2. *Reg.* 7. 16. 3. *Reg.* 11. 36. 4. *Reg.* 8. 19. 2. *par.* 21. 7. & pau-

& paulo ante deportationem Babylonicam, Jerem. 33. 17. *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel :* & versu 20. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno ejus.* Hac enim locutione nihil aliud designare voluit Deus, quam non defuturos aliquos e Juda & familia David, qui suprema in republica auctoritate potirentur. Neque enim *regis* ac *solii* nomen de iis semper in Scriptura intelligitur, qui *reges* proprie apud nos appellantur : sic enim solium senatui tribuitur *supra*, & sacerdoti Zachar. *6.* 13. sic etiam judices olim persæpe *regum* nomine insigniti reperiuntur, *Jud. cap.* 17. *v.* 8. 18. *v.* 1. *&* 31. 21. *v.* 29. Itaque quoquo modo illud explices, pro certo habendum est ne ea quidem ætate sceptrum penes tribum Juda & Davidis familiam defecisse. Nos autem viam illam elegimus quæ vero propior nobis visa est.

Objicies 1. Nulla post captivitatem Babylonicam apud Judæos veri nominis ac libera respublica fuit. Sub imperio enim Persarum principes suos accipiebat a regibus Persis, ut Nehemiam accepit ab Artaxerxe, *Nehem.* 2. 2. iisque tributa solvebat, *Nehem.* *9. 36. &* 37. & Josephi *lib.* 11. *cap.* 7. Sub imperio autem Græcorum pariter vectigalis fuit, Josephus *lib.* 11. *cap.* 8. *lib.* 12. *cap.* 4. & 1. *Machab. v.* 29. Quin etiam modo Syriæ, modo Ægypto contributa est, horumque regnorum pars fuit : Josephus *lib.* 12. *orig. cap.* 3. Atqui veri nominis ac libera respublica nec suos ab extraneis regibus principes accipit, nec iis tributa solvit. Ubi autem non est saltem respublica, ibi profecto sceptrum non est. Ergo per illud temporis intervallum penes Judam sceptrum non fuit.

Respondeo rempublicam certo tunc extitisse, sed eam identidem non fuisse omni ex parte liberam & immunem ab extraneorum potentiorumque regum injuriis. Ac 1. quidem respublica veri nominis tunc fuit. Cum enim Judæi in patriam rediissent, novam reipublicæ formam condiderunt quæ aristocratica dicitur, teste Josepho *lib.* 11. *antiq. cap.* 4. ita tamen ut democratia temperaretur, idem *lib.* 20. *cap.* 8. quæ *supra* jam retulimus. Ejus autem reipublicæ principes omne potestatis genus in suos jusque vitæ ac necis habuere, ut liquet ex libro 1. Esdræ cap. 7. v. 25. & 26. *Tu autem, Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices & præsides ut judicent omni populo, qui est trans flumen: & omnis qui non fecerit legem Dei & legem regis diligenter, judicium de eo erit, sive in mortem sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.* Hinc Hieronymus
„ *lib.* 1. *in Isaiam cap.* 1. Post Babylonicam captivitatem, inquit,
„ sub Zorobabele & Esdra & Nehemia, Israel reversus est in Ju-
„ dæam, & antiquum recepit statum. " Ibidem ad illud Isaiæ,
„ *Restituam judices tuos ut fuerunt prius* &c. " Restituet ergo, in-
„ quit, judicum similitudinem post captivitatem Babylonicam, ut Judæi

„ vo-

„ volunt, Zorobabelem, Esdram, & Nehemiam, & cæteros principes „ qui usque ad Hircanum populo præfuerunt. " Inde etiam fluxit illud apud Thalmudicos pronunciatum, videlicet Esdram & viros synagogæ magnæ coronam in statum pristinum restituisse. Gemata Hierosol. ad titulum *Megilla*, *cap.* 3. *fol.* 74. *col.* 3. Seldenus *lib.* 2. *de synedriis cap.* 16. *num.* 6. *pag.* 675. Quam autem illi rempublicam condiderant, eamdem confirmavit Alexander magnus, apud Josephum *lib.* 11. *orig. cap. ut.* Eamdem denique, cum aliquandiu & per certa temporum intervalla ab Ægiptiis Syrisque regibus fuisset vexata, in pristinum decus & antiquam libertatem Machabæi fratres revocarunt jugo gentium penitus excusso, 1. *Machab.* 6. 59. 8. 18. 11. 26. & *cap.* 13. *v.* 41. 2. Ea tamen respublica non semper fuit immunis a vicinorum ac potentiorum regum injuriis. Quod mirum esse non debet, tum quia id esse ac fieri consuevit; tum quia cum a regibus Persarum potestatem Judæi accepissent in patriam remeandi, & omnibus auxiliis essent destituti, necessitate ipsa cogebantur ut ab iisdem, saltem inter hæc exordia, penderent. Cæterum præter Nehemiam & Zorobabelem & Esdram, nullos videmus principes, quos a regibus Persarum acciperent. Si quando autem tributa solverint, id insolens non videbitur iis, qui in historia versati animadverterint eidem conditioni obnoxias fuisse non semel & etiamnum esse alias respublicas ac monarchias, quæ idcirco sane dici non possunt omni libertate ac imperio excidisse.

Objicies 2. Prædixerat Jeremias post captivitatem Babylonicam nullum fore e tribu Juda principem. Capite enim 22. v. 30. de Jechonia loquens Deus, *Scribe*, inquit, *virum istum sterilem*, *virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir*, *qui sedeat super solium David*, *& potestatem habeat ultra in Juda*. Ergo.

Respondeo 1. non posse colligi sceptrum penes Judam defecisse ex eo quod deficere deberet in familia Jechoniæ, quæ una erat ex familiis tribus Juda. Ex uno enim singulari non potest legitima educi consecutio generalis.

Respondeo 2. Jeremiæ vaticinium intelligi oportere de sceptro regio, quod videlicet nulli e Jechoniæ genere futuri essent post captivitatem reges; non vero quasi omnino sterilis futurus esset Jechonias, aut nullus ex ejus posteris potestatem in Judæos habiturus foret. Jechoniæ enim filii memorantur 1. *par.* 3. 17. *& alibi*: Zerobabel autem ejus nepos Judæorum primus dux fuit post reditum in patriam. Casaubonus *exercit.* 1. *pag.* 9. Helvicus *memb.* 3. *pag.* 73. Huetius *num.* 7. *pag.* 345.

Objicies 3. Juxta Jacobi vaticinium duces non modo debebant esse in Juda, sed etiam *e femore*, hoc est e genere *Judæ* ad Christum usque. Atqui ex antedictis plerique Judæorum principes post Babylonicam captivitatem ad Christum usque e tribu Levi fuerunt. Ergo post captivitatem Babylonicam sceptrum Judæ defecit.

Res-

RESPONDEO hebraice esse *de inter pedes ejus*: quod quidem duplicem habere potest intellectum: ac primum quidem ita ut honesto vocabulo *originem*, *stirpem ac genus* significet, quomodo accipitur *Deut.* 28. 57. *Isaiæ* 7. 20. 36. 12. atque ita Jacobi verba intellexere LXX. interpretes: vulgatus noster, tres Chaldæi paraphrastæ, R. David Kimki, & alii vulgo: secundum, ita ut hoc non sonet, sed allusio fiat ad leonem, cui paulo ante comparatus fuerat Judas, quique prædam a se captam ungulis sic constringit ac tenet, ut eam e medio pedum suorum ac crurum extorqueri sibi non patiatur. Ita Aben-Ezra, & post eum Petavius *lib.* 16. *de Incarn. cap.* 6. *n.* 14.

Si secundo modo accipiatur, nulla est difficultas. Nihil enim aliud hoc posito significare voluerit Jacob, quam fore ut Judas sceptrum, ubi semel eo potiri cœperit, constanter servet ad Messiam usque, qua ratione leo prædam quam cepit firmiter retinet.

Si autem primo, duæ sunt eruditorum sententiæ. Alii enim sceptrum a ducibus sejungunt, ita ut sceptrum ad solos reges pertineat; *ducum* autem seu *legislatorum* nomine, quilibet legum conditor aut interpres intelligatur: quo posito confitentur a captivitate quidem Babylonica defecisse sceptrum, sed ajunt non idcirco defecisse duces, sive legislatores e Juda; quia nempe in majori Judæorum senatu, multi e tribu Juda semper fuerunt. Ita Petavius, Helvicus & Huetius *supra*. Alii vero utrumque conjungunt, & utrumque perseverasse asseverant: nomine enim *sceptri* intelligi reipublicæ cujuslibet liberam formam ac supremam auctoritatem; *ducum* autem vocabulo designari quotquot ejusmodi supremæ potestatis participes sunt: non defecisse itaque sceptrum, quia non defecit respublica Judaica: ac nec defecisse duces e posteris Judæ; quia licet primi ac præcipui illius reipublicæ principes forent aliquando e tribu Levi; alios tamen habebant e tribu Juda sibi adjunctos, qui in supremæ potestatis communionem cum ipsis venirent, ac rempublicam Judaicam una cum ipsis, & tribus Judaicæ nomine administrarent, qualis erat juxta Judæos scriptores secundus saltem synedrii majoris princeps, qui e tribu Juda semper originem trahebat.

Nos posteriori opinioni adhærescimus: quæ sibi constat magis, & omnes nodos expedit.

Quandonam & quomodo sceptrum defecerit in Juda.

QUÆSTIONIS ipse titulus arguit id a nobis pro certo haberi, quod videlicet juxta Jacobi mentem, sceptrum aliquando penes Judam esset defiturum.

Sed nobis resistit ac moram injicit illustrissimus Huetius *demonst. evang. propos.* 9. *cap.* 4. *num.* 7. & 8. cujus opinio, ne frustra laborare videamur, in antecessum exponenda & resellenda est.

Putat ergo eruditus ille scriptor in Jacobi vaticinio sermonem non haberi

beri de sceptri fine, sed contra de continuatione & ejus in Messia perennitate. Nempe duas in hoc oraculo partes secernit, *sceptrum*, & *duces e femore Judæ*. Cum itaque dicitur, *non auferetur sceptrum e Juda*, hacce locutione denotari contendit istius ejusdem sceptri æternitatem; cum autem additur, *& dux de femore ejus*, his verbis designari aliud ejusdem Judæ imperium caducum, quod desiturum erat, cum Messias adveniret. Porro vocem hanc *donec*, quæ subnectitur, cum in Scripturis modo finem, modo continuationem rei, de qua agitur, significet, hoc utroque sensu ibi pro duplici prophetiæ parte accipi. Ac sumi quidem pro continuatione, quatenus refertur ad sceptrum: pro fine autem, quatenus spectat ad duces e femore Judæ oriundos, quæ quidem ex Cajetano & nonnullis Rabbinis interpolata sunt.

Sed hæc (quod tanti viri pace dixerimus) gratis excogitata, nec probanda videntur. 1. Enim cum idem sit verbum *auferendi*, & illud pariter de *sceptro* ac *ducibus* dicatur, non potest ullatenus de his contrario sensu accipi, ita ut ducum finem, sceptri vero continuationem sonet. 2. Eadem est desultoria levitas in particula *donec* admittenda, quod mens simplex aversatur. 3. Denique tota obluctatur traditio, quæ ex hoc sceptri defectu insigne semper adventus Christi argumentum eruit.

His itaque missis ut ad propositum nostrum accedamus, duæ sunt de sceptri & imperii Judaici fine in scholis opiniones.

Alii enim simul ac semel tunc defecisse autumant, cum regnum Judaicum ad Herodem alienigenam ab extraneis, hoc est a Romanis, paulo ante Domini nostri ortum translatum est: ita Galatinus *lib.* 4. *cap.* 6. Pererius *in Genes. cap.* 4. *v.* 9. *num.* 10. Baronius *in apparatu*, quibus non pauci Patres videntur suffragari. In eadem sententia versatur ex heterodoxis Helvicus *memb.* 1. *num.* 12. & *memb.* 3. *num. ult. pag.* 76. & Goduinus *de Mose & Aaron lib.* 1. *cap.* 1.

Alii autem contra non simul ac semel, sed gradatim ac per partes sceptrum illud concidisse definiunt; ita ut casus initium ante Herodem constituatur, finis vero in ultimo duntaxat gentis excidio collocetur. Ita S. Justinus martyr ex communi Christianorum doctrina *in dial. cum Tryphone*; Casaubonus *exercit.* 1. *in Baronium pag.* 18. 19. 20. *&c.* Grotius *ad caput* 5. *Matth. v.* 22. *pag.* 82. *&* 83. Hoornebek *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 129. Petavius *lib.* 16. *cap.* 6. *num.* 15. Turretinus *quæst.* 1. *pag.* 300. *&* 302. Huetius *prop.* 9. *num.* 5. *&* 8.

A S S E R T I O.

Sceptrum ac imperium Judaicum videtur gradatim ita concidisse, ut in ultimo tandem gentis excidio penitus extinctum sit.

Probatur. Omnis enim respublica libera & omni ex parte absoluta quinque necessario postulat; 1. Ut a nullo extraneo pendeat, & vectigalia, si quæ sint, in proprios insumat usus, non vero alienis solvat:

vat : 2. Ut principes suos vel hereditario jure vel electione spontanea habeat, nec ab extraneis alienigenam invita accipiat : 3. Ut viros habeat ex se delectos, qui suprema auctoritate omnia administrent, majoremque senatum, quo omnia negotia referantur : 4. Ut jus vitæ ac necis in suos habeat, nec majori regno contribuatur, aut ipsius pars sit : 5. Ut suis vivens legibus apud se proprios magistratus, propria sacra, cæteraque id genus illibata servet. At 1. abstulit Pompeius; 2. senatus Romanus; 3. Herodes; 4. Augustus; 5. Vespesianus.

Ac primum quidem abstulit Pompeius, qui ab Hircano rege cum Aristobulo fratre bellum gerente accitus, Jerosolymam cepit tributaque imperavit, ditionisque parte erepta, sacrisque violatis, Judæos Romanis subdere cœpit. De quo vide Josephum *lib.* 14. *cap.* 8. *antiq.* & *de bello Judaico lib.* 1. *cap.* 5. ubi hancce calamitatem flebiliter deplorat, tuncque libertatem Judaicæ gentis accisam fuisse docet : cui Hebræi *in Juchasin* consentiunt, inde *captivitatis Edom* (seu Romanæ) initia repetentes. Casaubonus *exercit.* 1. *pag.* 20. ad finem; Grotius *pag.* 82.

Secundum, hoc est proprios principes, sustulit senatus Romanus, cum Judæis invitis regem dedit alienigenam Herodem. Quod narrat idem Josephus *lib.* 14. *cap.* 26. de quo etiam Gemaristæ Babylonici apud Ligfootum *in cap.* 2. *Matth.* *v.* 4. & *in Sanhedrin* apud Helvicum *memb.* 3. *pag.* 76.

Tertium Herodes ipse, cum majorem Judæorum senatum, hoc est, Rabbinorum judicio, mundi solem extinxit, interemptis præter unum Sameam eximiæ integritatis ac severitatis virum, omnibus senatoribus, e quorum manibus olim cædis postulatus vix effugerat, & aliis e fæce plebis in eorum locum substitutis. Quam historiam habes *in Josephi libro* 14. *cap.* 17. *in Sanhedrin*, *& Juchasin*, *& apud Gemaristas Babylonicos* : de quo Helvicus *memb.* 3. *pag.* 76. Grotius *pag.* 82. Ligfoot *tom.* 1. *in harmon. evang. sect.* 3. *cap.* 1. *pag.* 258. *& sect.* 16. *pag.* 470. *col.* 2. *in descriptione templi cap.* 11. *tom.* 2. *in harm. evang. sect.* 3. *pag.* 1. *& in Matth. v.* 4. *pag.* 259. Ferrandus de hoc argumento &c.

Quartum Augustus; cum videlicet Archelao Herodis filio, Viennam in exilium relegato, Judæam in provinciæ Romanæ formam redegit, jusque gladii Hebræis ademptum in missum a se Judææ procuratorem transtulit sexaginta circiter ante versam Hierosolymam annis. Archelai exilium & Judæam in provinciæ morem redactam videre est apud Josephum *lib.* 18. *cap.* 1. Jus gladii Judæis ademptum apud eumdem *lib.* 2. *de bello Judaico*, *cap.* 11. quod ipsimet Judæi in evangelio testantur, *Joan.* 18 31. cum ajunt, *Nobis non licet interficere quemquam*. Quod etiam perhibent Thalmudici titulis *de sanhedrin & sabbato*, R. Maimonides &c. nisi quod fallantur, cum monent id accidisse quadraginta ante urbis excidium annis : de quo Grotius *pag.* 83. Ligfootus *in cap.* 26. *Matthæi v.* 3. *tom.* 2. *pag.* 369. Ferrandus *supra* &c.

Quintum denique Vespasianus eversa per Titum urbe, templo exusto, sacris

facris abolitis, totaque gente exterminata : quod fuſe Joſephus deſcribit, & omnes norunt. Quo factum eſt ut in Meſſiæ necis pœnam Judæi deinceps juxta oraculum Oſeæ 3. 4. *ſederint ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphin.*

OBJICIES. At Judæi Herodem ſub finem vitæ in regem elegerunt, eique fidem ſuam ſacramento obſtrinxerunt. Joſephus *lib.* 17. *cap.* 3. Ergo.

DISTINGUO antecedens : inviti, per metum, ac vim ; concedo : ſponte & libere; nego. Omnis enim libertas tunc adempta fuerat. Deinde ut Herodi, ſic etiam Auguſto Cæſari fideles ſe futuros promiſere. At nemo dixerit e Juda fuiſſe Auguſtum Cæſarem. Ergo nec Herodem : cum uterque alienigena eſſet.

An Herodes alienigena fuerit.

CUM Patres antiqui unanimi conſenſu doceant Herodem fuiſſe alienigenam, novitatis amor fecit, ut hac de re jam tres opiniones extent.

Prima eſt Joſephi Scaligeri *lib. 6. emend. temporum, & in notis ad Euſebii chronicon pag.* 149. & 159. Caſauboni *exercit.* 1. *in Baron. num.* 3. Druſii in Sulpit. *lib.* 2. *pag.* 250. Tornielli *ad annum* 418. *tomo* 2. *num.* 7. Henrici Valeſii *ad lib.* 1. *hiſt. Euſebii cap.* 6. Huetii *prop.* 9. *num.* 4. qui exiſtimant Herodem non fuiſſe nec dici debere alienigenam.

Secunda eſt omnium veterum ſive Patrum ſive theologorum, & inter recentiores Galatini *lib.* 4. *cap.* 6. Baronii *in apparatu*; Pererii *in Geneſ. cap.* 49. Ferrarii *in libro* cui titulus eſt, *Herodes*; Petavii *lib.* 16. *cap.* 6. *num.* 15. Seldeni *de jure Hebr. lib.* 5. *cap.* 19. Tremellii *in Danielem* ; Ligſooti *in harm. evang. ſect.* 7. *pag.* 298. *tom.* 1. qui contra alienigenam fuiſſe definiunt.

Tertia denique eſt Joannis Hoornebek *lib.* 2. *contra Judæos, cap.* 1. *pag.* 162. qui duas iſtas opiniones ita conciliat, ut Herodem gente quidem, non vero religione fuiſſe extraneum judicet. Quam ad partem revocari etiam facile poſſent Scaliger & Caſaubonus, quippe qui ipſum origine Idumæum fuiſſe fateantur.

Sed nos hic Herodis gentem inveſtigamus, non religionem : tum quia is proprie alienigena dicitur, qui ex alia natione eſt, quamlibet ille religionem colat; tum quia Jacobi vaticinium excutimus, quo ſceptrum in Juda futurum eſſe pronunciatur, nec ad extraneos eſſe deferendum, donec veniat Meſſias. Is itaque juxta propoſitum noſtrum vere alienigena eſt ac cenſetur, qui nec eſt e tribu Juda, nec e tota gente Judaica ab Abrahamo per Iſaac & Jacob propagata : atque adeo alienigena merito habebitur Herodes, ſive fuerit Aſcalonita, hoc eſt Philiſtæus e genere Chanaan, ſive Idumæus ex familia Eſau fratris Jacob : duo enim illi fratres duas gentes condidere.

A S-

ASSERTIO.

Herodes fuit alienigena.

Probatur 1. veterum Judæorum teſtimonio qui cum eadem ætate aut circiter, & iiſdem in locis, in quibus Herodes, viverent, ejus genus ignorare non poterant. 1. Enim Antigonus e familia Aſſamonæorum, qui de regno cum Herode contendit, apud Joſephum *lib.* 14. *cap.* 27. Herodem vocat *hominem privatum*, *& Idumæum*, *hoc eſt Semi Judæum* : quia nempe cum genere Idumæus foret, Judaicæ tamen religioni innutritus fuerat. 2. Idem ille Joſephus Herodi ſuppar, quique præterea ex ſuſceptæ hiſtoriæ officio harum rerum diligens eſſe debuit, *lib.* 14. *cap.* 2. Herodis originem deſcribens, ejus patrem fuiſſe Antipatrum aſſerit "Idumæum, „ virum pecunioſum, natura factioſum, & induſtrium; avum autem fuiſ„ ſe Antipam qui ab Alexandro rege & ejus uxore conſtitutus fuerat dux „ totius Idumeæ, quique Arabum & Gazæorum atque Aſcalonitarum a„ micitiam ſibi conciliaverat magnis muneribus. *Libro* autem 1. *de bello* „ *Judaico cap.* 5. de eodem Antipatro Herodis parente loquens, " Erat „ autem, inquit, genere Idumæus, & nobilitate ac opibus gentis ſuæ „ princeps. " quo nihil expreſſius eſſe poteſt. 3. Judæi II. ſeculo apud Juſtinum *in dialogo cum Tryphone* affirmant Herodem fuiſſe Aſcalonitam. Herodem, inquit, . . . Aſcalonitam fuiſſe dicitis.

Probatur 2. perpetua Patrum traditione. 1. Enim Origenes *hom.* 17. „ *in Gen.* " Conſtat, inquit, uſque ad nativitatem Chriſti non defeciſſe „ principes ex genere Judæ ..... uſque ad Herodem regem, qui ſecundum „ hiſtoriæ fidem, quam Joſephus ſcribit, alienigena fuiſſe, & per ambi„ tionem in regnum Judaicum dicitur irrepſiſſe. " 2. Julius Africanus Origeni coætatenus ex quadam cognatorum Domini noſtri Jeſu-Chriſti relatione narrat *in epiſtola ad Ariſtidem*, apud Euſebium *lib.* 1. *hiſt. cap.* 7. Herodi quidem fuiſſe avum nomine Herodem Aſcalonitam, Apollinis templi ſervum, (atque adeo gentilem); patrem vero Antipatrum, quia latronibus Idumæis in ſervitutem abductus, eamdem cum ipſis, hoc eſt Judaicam, religionem, amplexus eſſet. 3. Euſebius *lib.* 1. *hiſt. cap.* 6. ex Joſephi & Africani ſcriptis colligit Herodem primum ex alienigenis Judaicæ gentis regnum obtinuiſſe: ſic & eum Idumæum appellat *lib.* 8. *demonſt. evang.* 4. Ambroſius *lib.* 3. *in Lucam*, *num.* 41. Africani hiſtoriam exſcribit. 5. Hegeſippus junior *lib.* 1. *hiſt. cap.* 14. alienigenam fuiſſe definit. 6. Epiphanius *in hæreſi Ebionæorum* Herodem alienigenam nuncupat: *hæreſi* autem 20. quæ eſt Herodianorum, & *Idumæum* dici poſſe, & *Aſcalonitam* decernit, quod ex avo Aſcalonita oriundus in Idumæa natus fuerit. 7. Hieronymus *in cap.* 3. *Oſee* ipſum *alienigenam* generatim appellat: vide & *ad cap.* 22. *Matthæi*. 8. Ruffinus *in lib. de benedictionibus Patriarcharum* Origenis verba tranſcripſit. 9. Auguſtinus *lib.* 12. *contra Fau*„ *ſtum cap.* 4. " Sunt litteræ certiſſimæ, inquit, hiſtoriæ ipſorum quo-

„ que

„ que Judæorum, quibus oſtenditur primum alienigenam regem fuiſſe in „ gente Judæorum: quo tempore Chriſtus natus eſt. " Adde *lib.* 8. *de civit. Dei cap.* 45. 10. Theodoretus *quæſt.* 110, *in Gen.* eumdem alienigenam fuiſſe ſtatuit. *Dialogo* autem 1. *tomo* 4. *pag.* 22. patre quidem Aſcalonitam fuiſſe, matre vero Idumæum. 11. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 8. *contra Julianum* diſerte pronunciat " Herodem fuiſſe .... ex patre alienigena. " 12. Iſidorus & Beda Origenem exſcripſere. 13. Photius *cod.* 238. „ Herodes, inquit, ... ſibi .... parandi quoquomodo regni, nullam „ omnino ſpem habebat, ut pote qui eſſet alienigena. " 14. Rupertus *lib.* „ 9. *in Geneſ. cap.* 29. " Quando, inquit, ablatum eſt ſceptrum de Juda? „ ex tunc videlicet, quando regnum Judæorum Romanis tradentibus „ adeptus eſt Herodes alienigena, patre Idumæo, matre ortus Hebraica. „ 15. Aſtipulatur Euthymius *ad cap.* 22. *Matth.* 22. Denique Eutychius Alexandrinus a Pokokio editus Herodem *Aſcolonitam* nominat.

Cum itaque in hoc capite adeo concordent antiqui, nullum eſſe debet dubium quin reipſa Herodes alienigena fuerit.

Equidem tria ſunt, in quibus illi Domini Jeſu cognati quos Africanus commemorat, a Joſepho diſſidere videantur: ac 1. quidem, cum ajunt Antipatrum Herodis patrem fuiſſe genere Aſcalonitam, quem genere Idumæum fuiſſe notat Joſephus: 2. cum addunt eum fuiſſe apud Idumæos ſervum, quem ab ortu potentiſſimum fuiſſe idem prædicat: 3. tandem, cum referunt Herodis avum fuiſſe vocatum Herodem, & eum fuiſſe apud Aſcalonitas Apollinis fani ſervum, quem ille ipſe Joſephus narrat extitiſſe totius Idumææ præfectum.

Sed hæc ita levia ſunt, ut hiſtoriæ veritati officere nequeant: aut nullo negotio conciliari poſſunt. 1. enim, quod aiunt Antipatrum fuiſſe Aſcalonitam, idem & perhibebant veteres Judæi apud Juſtinum; potuit autem eſſe ſimul Aſcalonita & Idumæus; Aſcalonita quidem antiqua origine, Idumæus autem ortu: ut omittam quod hac de re ſupra Epiphanius & Theodoretus dixerunt. 2. Herodis avus potuit Antipater ſimul & Herodes nominari, ut poſt Herodem unus hoc duplici nomine inſignitus occurrit. 3. Quod ad cætera pertinet, ea ſunt minoris momenti, quam ut moram faciant. Certe Africanus ſatis indicat nonnulla fuiſſe in iſta relatione, quæ ſibi uſquequaque non placerent: id etiam innuit Ambroſius. Hinc Valeſius *ad Euſebium*, & monachi Benedictini *ad Ambroſium*, narratiunculam hanc non magni faciunt, & Joſephum, qui tabulas legerat, & ex profeſſo hiſtoriam illius ætatis ſcribebat, nec Herodi profecto favebat, anteponendum eſſe judicant. Sed quidquid ſit de modo, ſumma ſaltem certa eſt, & conſtat ex omnium veterum unanimi teſtimonio Herodem alienigenam fuiſſe.

Probatur 3. recentiorum Judæorum conſenſione. Omnes enim Hebræi doctores ad unum in hoc conſpirant, ut Herodem alienigenam Idumæum & proſelytum ſeu advenam fuiſſe aſſeverent. Hinc impotens Herodis ira, totiuſque majoris ſenatus cædes conſecuta: hinc Agrippæ

lacrymæ; cum audiſſent nimirum e genere Iſraelitico eſſe oportere qui apud Judæos rex foret: de quibus ſingulis conſulendi ſunt Galatinus *lib.* 4. *cap.* 6. Helvicus *memb.* 3. *pag.* 76. Ligfoot *in chronicis temp. ad cap.* 25. *Apoſtolorum pag.* 102. & *in cap.* 2. *Matth. v.* 4. *pag.* 259. *tom.* 2. Serarius *in Herode*: adde *Sederollam rabba*; auctorem libri *Juchaſin* &c. ubi regnum Herodiadum appellatur *regnum Proſelitarum*; Caſaubonum *pag.* 26.

Objicies 1. Jacob ex quo Judæi, & Eſau ex quo Idumæi, erant fratres & ambo filii Iſaac, Ergo non erant illi ſibi invicem alieni.

Distinguo antecedens: erant fratres qui in duas diverſas gentes excreverunt; concedo: qui in eamdem coaluerunt; nego. Scilicet Deus Gen. 25. v. 23. dixerat Rebeccæ eorum matri: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur*. Hinc a Davide Idumæi vocantur *alienigenæ*, pſal. 107. v. 10.

Instabis. Idumæi centum circiter annis ante Herodem ab Hircano Simonis Machabæi filio ſubacti fuerant & ad ſacra Judæorum ſuſcipienda adacti: unde & *Judæi* deinceps appellati ſunt, juxta Joſephum *lib.* 13. *orig. cap.* 17. Ergo Idumæi tum, cum Herodes regnum adeptus eſt, Judæi reipſa erant.

Distinguo conſequens: Judæi nomine ac religione; concedo: genere ac gente; nego. Porro genus ac gentem hic quærimus.

Objicies 2. Nicolaus Damaſcenus Herodis familiaris qui ipſius hiſtoriam ſcripſit, & quo nemo melius Herodis genus noſcere potuit, apud Joſephum *lib.* 14. *orig. c.* 2. diſerte affirmat Herodem genus ſuum duxiſſe e primoribus Judæorum qui e Babylonia in Judæam redierunt.

Nego conſequentiem. Dudum enim ad id Joſephus repoſuit Nicolaum Damaſcenum Herodis, ut amicum, ſic etiam adulatorem iſta ſcripſiſſe ut ei gratificaretur. Vide Joſephum *ibidem*. Hoc ergo in ejus gratiam dixit, quomodo in ejus gratiam multa ſiluit, in hoc unum videlicet incumbens, ut regi viventi grata, non vera ſcriberet, quod Joſephus idem animadvertit *lib.* 16. *antiq. cap.* 11.

Objicies 3. Judæi in quadam adverſus Syros apud Cæſaream contentione de juribus civitatis, cum vellent aliis anteponi, illud inter cætera momenta cauſæ ſuæ afferebant; teſte Joſepho *lib.*20. *cap.*7. quod conditor Cæſareæ rex Herodes fuiſſet genere *Judæus*.

Distinguo antecedens: genere Judæus improprie; concedo: proprie; nego. Ille proprie Judæus eſt, qui ex una duodecim tribuum originem ducit: is autem improprie ita appellatur, qui ex ea duntaxat gente eſt oriundus, quæ ob reipublicæ ac religionis ejuſdem communionem Judaica vocatur. Talis autem Herodes fuit, tales Idumæi. Ut enim notat antiquus grammaticus Ammonius, " Judæi & Idu„ mæi differunt. Judæi enim vocantur, qui tales ab initio procrea„ ti ſunt, „ Idumæi vero origine non Judæi ſunt ſed Phænices „ ac Syri; victi autem a Judæis, & ad circumciſionem com-

„ pul-

„ pulsi, & eidem regno contributi eademque sacra amplexi, Judæi „ quoque cognominati sunt. " Quod diligenter est observandum, ut qua ratione Judæi dicantur, aut ab iis secernantur apud veteres dilucidius innotescat. Certe Stephanus *in lib. de Urbibus*, " Idumæi, in-, quit, gens Hebræorum. " Ac Strabo *lib. 16. geographiæ*. Idumæam a Judæa distinguit: & quo pacto Judaicæ reipublicæ accessio facti fuerint, describit. Hinc Josephus ipse, qui Idumæorum, & Judæorum gentes ubique passim tam enucleate distinguit, v. gr. *lib. 1. orig. cap.* 18. *& lib.* 2. *cap.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *& lib.* 4. *de bello Jud. cap.* 6. idem, inquam, Josephus alibi de Idumæis loquitur, quasi Judæi reipsa fuerint: sic *lib.* 13. *cap.* 17. postquam narravit qua ratione Idumæi coacti sint ab Hircano circumcisionem suscipere; " Ita, in-„ quit, deinceps Judæi effecti sunt. " Quod adeo verum est, ut exinde Idumæi Judæam velut patriam suam spectarint & Judæi ipsi illam ut sibi iisque communem habuerint. Eundem Josephum consule *lib.* 14. *cap.*19. *lib.* 4. *bell. Jud. cap.* 6. *latine*, 16. *græce*.

OBJICIES 4. Josephus *lib.* 14. *antiq. cap.* 14. scribit Antipatrum Herodis patrem, cum in Ægyptum ad Cæsarem properasset, facile sibi conciliasse Judæos illic degentes, ac in Cæsarianas partes nullo negotio traxisse, " Quod ex eadem gente esset: " *κατὰ τὸ ὁμόφυλον*. Herodes vero ipse apud eumdem *lib.* 15. *cap.*14. sic Judæos affatur: Veri contribules: „ *ἄνδρες ὁμόφυλοι*.

DISTINGUO antecedens: ex eadem gente, hoc nomine latius sumpto, quemadmodum jamjam exposuimus; concedo: proprie accepto; nego.

OBJICIES 5. Strabo *lib.*16. *Grographiæ*, Herodem vocat *virum indigenam*. Ergo non erat alienigena.

DISTINGUO antecedens: id est, ex eadem Judaica republica, cujus rex erat, & iisdem regionibus, quibus imperabat, oriundum; concedo, quasi ex Jacob originem duceret; nego. Cæterum ibidem fallitur Strabo, cum adjicit summum pontificatum fuisse Herodi commissum: nunquam enim Herodes pontifex fuit. Falli autem auctorem exoticum nemini mirum videbitur.

OBJICIES 6. Herodes a plurimis Judæis (qui idcirco *Herodiani* appellantur Matth. 21. v. 16. Marc. 3. v. 6. 12. vers. 13.) pro Messia habitus est. At illi nunquam in eam opinionem abiissent, nisi Herodes Juda satus fuisset: cum ignorare non possent Messiam e Juda, & Davide oriundum fore.

ESTO major propositio. Cur enim *Herodiani* dicti sint, variant cum veterum, tum recentiorum sententiæ: duodecim enumerat Serarius *in Herode*: de quo etiam alii legi possunt ac inprimis Ligfootus.

NEGO minorem. Quid enim mirum aut insolens, si id adulatores nonnulli in gratiam Herodis confinxissent, quod alii postmodum stulte secuti sunt? An non reperti sunt plures, qui Simonem magum ac Do-

 sithæum,

fithæum, utrumque Samaritanum pro Christis susceperint? An non Josephus sacerdos e regia Assamonæorum familia oriundus, & eruditione insignis, insigne Jacobi vaticinium per adulationem ad Vespasianum detorsit? Nempe imbutus prava religione animus nihil non facit ut opinioni serviat: si quæ favorabilia sint, ea statim arripit; si quæ vero repugnent, ad ea mentem non advertit, aut ad præjudicatam sententiam refert. Lege Epiphanium *hæresi* 20. ubi de hac re ex professo disserit.

Quid significet vox DONEC.

AMBIGUUM esse potest an juxta Jacobi mentem prius auferri deberet sceptrum e Juda, quam Messias adveniret; an contra prius Messias venturus esset, quam sceptrum a Juda auferretur: utrumque dicere potest particula *Donec*, quæ hic adhibetur.

Jam vero qui sentiunt sceptrum e Juda fuisse penitus ablatum, cum regnum adeptus est Herodes, ii primam partem amplectantur necesse est. Constat enim Herodem fuisse prius regem creatum, quam Christus nasceretur.

Sed qui contra opinantur sceptrum Judaicum non nisi in ultimo gentis excidio funditus periisse, iidem necessario statuere debent prius venisse Messiam, quam sceptrum recessisset. Atque id omnino tenendum esse censemus, & quidem multis de causis. 1. Enim hoc ipsa per se arguit loquendi ratio. Qui enim asserit non auferendum esse sceptrum e Juda, donec veniat Messias is eo ipso evidenter denotat prius esse venturum Messiam, quam sceptrum auferatur. 2. Eadem particula alibi non semel ita accipitur, v. g. *Num.* 20. *v.* 17. cum Moses ab Idumæis peteret liberam, per eorum regionem transeundi facultatem: *Gradiemur via publica*, inquit, *donec transeamus terminos tuos*: id est, donec transierimus, & prætergressi fuerimus. 3. Ita intellexit Justinus *in dialogo cum Tryphone*, aliique: de quo consuli possunt Casaubonus *pag.* 18. *cap.* 2. Petavius *lib.* 16. *cap.* 6. *num.* 6. & Reizius *in lib.* 1. *Goduini de Mose & Aaron cap.* 1.

SECTIO II.

De Danielis vaticinio, cap. 9.

CUM propheta Daniel anno primo Darii Medi, quo jamjam absolvendi erant septuaginta servitutis Babylonicæ anni, orasset Deum, ut benigne tandem ad Jerusalem & populum Judaicum respiceret, Angelus Gabriel jussu Dei ad illum accessit, eique venturum Christum, & adventus futurum tempus annunciavit his verbis cap. 9. v. 24. &c. *septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt* (hebraice *definitæ sunt*) *super*

per

per populum tuum & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum , & deleatur iniquitas , & adducatur justitia sempiterna , & impleatur visio & prophetia , & ungatur sanctus sanctorum (hebraice *sanctitas sanctitatum* .) *Scito ergo, & animadverte : ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem , usque ad Christum ducem , hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum; & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, (hebraice *exscindetur*) *; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est*, (hebraice brevius , *& non ei* seu *non sibi* , id est , *non propter se occidetur:*) *& civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas , & post finem belli statuta desolatio . Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis* (hebraice , *& per expansionem alas abominationis desolabit*) *; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Atque hoc est Danielis de Messia venturo vaticinium, quo haud scio an ullum aliud luculentius esse possit.

Sed quoniam , ut in Danielem monet B. Hieronymus, ad ipsius intelligentiam non mediocris quatuor præcipuarum orbis monarchiarum historiæ notitia necessaria est, juvat impræsentiarum quæ huc pertinent ex Assyriorum, Persarum, Græcorum ac Romanorum historiis, in breve compendium missa, & suis quæque annis illigata sub oculos ponere , ut theologiæ candidati omnia subsidia ad manum habeant, nec quidquam eis desit.

Observandum itaque est 1. duos esse Assyriorum reges imprimis memorandos , nempe Nabuchodonozorem , qui Judæam cepit , Jerusalem evertit , templum incendit , populumque Judaicum in Babylonicam servitutem abduxit, & Darium e Medorum genere oriundum qui Balthassare interempto Babylonicum imperium occupavit , illudque per duos annos tenuit.

Observandum est 2. tredecim Persarum reges extitisse, Cyrum imperii conditorem , qui post Darium Medum totius orientis imperio potitus , Judæos e servitute Babylonica liberavit , Cambysem , Smerdim Magum, Darium Hystaspis , Xerxem, Artaxersem Longimanum, a quo Jerusalem iterum extrui jussa est, Xerxem II. Sogdianum, Ochum seu Darium Nothum, Artaxerxem Mnemona seu Memorem, Artaxerxem Ochum; Arsen, & Darium, qui ab Alexandro magno victus est: Cyrum autem toti orienti imperasse septem annis; Cambysen totidem , Smerdim uno tantum, Darium 36. Xerxem 12. Artaxerxem Longimanum 48. Xersem II. aliquot tantum mensibus , Sogdianum tantumdem, Darium Nothum 19. annis, Mnemona 43. Artaxerxem Ochum 23. Arsem 3. Darium omnium postremum 6.

Observandum est 3. Alexandrum imperii Græcorum auctorem post devictos Persas regnasse annos sex.

Observandum est 4. Antiochum Epiphanem, e Syriæ regibus, qui Alexandro ea in regione successerunt, unum crudeliter vexasse Judaicam gentem tempore Judæ Machabæi.

Observandum est 5. Hircanum ultimum e Machabæis principibus seu Assamonæis fuisse, quem Herodes excepit.

Observandum est 6. post Jesum a Judæis cruci suffixum Jerusalem a Tito & Vespasiano fuisse eversam, & templum exustum.

Observandum 7. non multo post eamdem urbem ab Adriano imperatore fuisse instauratam.

Observandum ultimo, cum Judæi hac occasione adversus Romanos bellum movissent duce Barchocheba, ab eodem fuisse totam Hebræorum gentem exterminatam.

Ut autem innotescat omnibus, quandonam hæc singula contigerint, brevem istius historiæ summam hic exhibebimus, juxta Usserii, & Lancelloti probatissimos ac communiores calculos.

Tabula chronologica.	Per. Jul.	Mundi.	Olympiad.	Ante Chr. æra.
1. Itaque Nabuchodonosor Babylonicæ captivitatis initium dedit anno	4108	3398	42. 3	606.
2. Idem Jerusalem evertit, & templum incendit, anno	4126	3416	48. 1	588.
3. Cyrus in Perside regnum init.	4155	3445	55. 1	559.
4. Darius Medus Babylone imperare cœpit, anno	4176	3466	60. 3	538.
5. Cyrus Babylonicam captivitatem solvit, anno	4178	3468	61. 1	536.
6. Cambyses regnum auspicatus est, anno	4185	3475	[illegible]. 4	529.
7. Smerdis Magus ei successit, anno	4192	34[illegible]	64. 3	522.
8. Darius Hystaspis Smerdim excipit, anno	4193	34[illegible]	64. 4	521.
9. Xerxes imperium adiit, anno	4229	3519	76. 4	485.
10. Artaxerxes Longimanus regnare incipit, anno	4241	353[illegible]	78. 2	473.
11. Idem Esdram in Judæam mittit, anno imperii 7. hoc est	4247	3537	81. 3	467.
12. Idem Nehemiam mittit ad ædificandam iterum Jerusalem, anno regni 20. id est	4260	3550	88. 3	454.
13. Xerxes secundus ei succedit, anno	4289	3579	88. 4	425.

Ta-

Tabula chronologica.	Per. Jul.	Mundi.	Olympiad.	Ante Chr. æra.
14. Sogdianus post ipsius mortem regnum iniit, anno	4290	3580	88. 4	424.
15. Darius Nothus seu Ochus imperare incipit, anno	4291	3581	89. 1	423.
16. Artaxerxes Mnemon regnum auspicatus est, anno	4310	3600	94. 1	404.
17. Idem annum imperii 7. agebat, anno	4317	3607	95. 4	397.
18. Idem annum Imperii 20. agebat, anno	4330	3620	99. 1	384.
19. Artaxerxes Ochus eum excepit anno	4354	3644	105.1	360.
20. Arses ejus locum occupavit, anno	4376	3666	110.3	338.
21. Darius Codomanus solium conscendit, anno	4378	3668	111.1	336.
22. Alexander Magnus Græcorum monarchiæ fundamenta jacit, anno	4384	3674	112.3	330.
23. Antiochus Epiphanes Syriæ rex esse cœpit, anno	4539	3829	151.2	175.
24. Idem vexare Judæos incipit, anno	4544	3834	152.3	170.
25. Onias summus Sacerdos vir pius occiditur, anno	4545	3835	152.4	169.
26. Antiochus idem in templo idolum desolationis collocat,	4547	3837	153.2	167.
27. Judas Machabæus repurgat templum	4550	3840	154.1	164.
28. Hircanus Assamonæorum ultimus regno & sacerdotio dejicitur, anno	4674	3964	185.1	40.
29. Christus servator noster nascitur, anno	4710	4000	193.4	4.
	Per. Jul.	Mundi.	Olympiad.	Æra Chr.
30. Christus baptizatur, anno	4743	4033	202.2	30.
31. Christus moritur, anno	4746	4036	203.1	33.
32. Jerusalem a Tito sub Imperatore Vespasiano evertitur, anno	4783	4073	212.2	70.
33. Jerusalem ab Imperatore Adriano instauratur, anno	4843	4133	227.2	130.
34. Judæi Barchocheba duce tumultuantes exterminantur, anno	4848	4138	228.3	135.

Quæ cum ita ſint, jam nobile illud aggrediamur oraculum, de quo plures cum inter noſtros, tum apud heterodoxos ſcripſere, præſertim B. Hieronymus *in cap. 9. Danielis*, Paulus Burgenſis, & Hieronymus a ſancta fide *contra Judæos*, Galatinus *lib. 4. cap.* 14. Pererius *in iſtum Danielis locum*, Joſephus Scaliger *lib. 6. de emendatione temporum*, & *in prolegomenis*, Petavius *lib.* 12. *de doctrina temporum cap.* 29. *& ſeq.* & *lib.* 16. *de Incarn. cap.* 8. Jacobus Capellus *in hiſtoria ſacra*, Ludovicus Capellus *in tabulis & notis ad Chronologiam ſacram*, Hoornebek *contra Judæos lib.* 2. *pag.* 168. Marshamus *in chronico ægyptiaco, hebræo & græco*. Vangeſeilus *adverſus eumdem*, auctor *Synopſeos criticorum*, Lancellotus *in chronologia ſacra cap.* 30. *&* 31. illuſtriſſimus Huetius, *in demonſtr. evangel. propoſ.* 9. & R. P. Harduinus, quos adibit, qui hoc argumentum fuſius pertractatum habere voluerit. Nos enim breviter quæ noſtri ſunt inſtituti, perſequemur. Duo autem expendemus: Primum, an ex iſto vaticinio demonſtrari queat Chriſtum ſeu Meſſiam adveniſſe: Secundum, qua ratione vaticinium iſtud impletum ſit, & exitum habuerit.

CAPUT I.

An ex iſto vaticinio demonſtrari poſſit Meſſiam veniſſe.

A Nobis hic expugnandi ſunt non Judæi modo qui Meſſiam adveniſſe inficiantur, ſed etiam nonnulli Chriſtiani ſcriptores, qui vaticinium hoc de Chriſto proprie intelligi negant, & illud, (quod referre pudet) alio detorquent, hoc eſt ad Antiochi Epiphanis ætatem qua illud impletum eſſe contendunt. Ita Marshamus, Harduinus, Eſtius *in locis ſelectioribus ad Matth* 24.

ASSERTIO.

Ex hac Danielis prophetia demonſtrari poteſt Meſſiam jam dudum adveniſſe.

ARGUMENTA.

Probatur 1. Quod apud Danielem futurum prædicitur, id jam pridem impletum eſt, ac evenit. Atqui Danielis vaticinium eſt de Meſſia, ejuſque futuro adventu. Ergo.

Major evincitur. Quod enim futurum illic prænunciatur, id evenire debuit 1. intra ſeptuaginta hebdomadas, ordiendas ab edicto paulo poſt captivitatem Babylonicam ferendo, ut iterum extrueretur Jeruſalem: ſic enim Angelus loquitur: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem* &c. 2. ante ejuſdem civitatis inſtauratæ everſionem, & templi diſſipationem: ſic enim Angelus addit. *Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo*: 3. ante ſacrificiorum Moſaicorum abrogationem: ita enim ait idem Angelus, *Deficiet hoſtia & ſacrificium*:

ficium : uno verbo ante reipublicæ Judaicæ mox restituendæ extinctionem, & Judaicæ gentis exterminationem : id enim aperte arguit oraculi series. Atqui hæc singula jamdudum acciderunt.

Ac 1. quidem ab edicto quod latum est post captivitatem Babylonicam ut iterum extrueretur Jerusalem, septuaginta hebdomades jamdudum effluxerunt : duplex enim duntaxat hebdomadum genus distingui potest, dierum videlicet & annorum : quod utrumque non in Scripturis modo, sed etiam apud Judæos, & profanos scriptores usitatum est. 1. Enim hebdomades dierum Moses nominat *Levit.* 12. *v.* 5. &c. 2. hebdomades annorum *Levit.* 25. *v.* 8. ubi ad jubilæum sic edicit: *Numerabis septem hebdomadas annorum*. Et vero postremum hoc hebdomadum genus, id est, annorum etiamnum extat apud Thalmudicos teste Lancelloto *in chronologia Vitreana c.* 30. & a Græcis Latinisque authoribus usurpatum est, v. g. Aristotele *lib.* 7. *polit.* ubi ætatum hominis per hebdomadas dividendarum meminit, & Varrone apud Gellium *lib.* 3. *noctium atticarum cap.* 10. Atqui sive dierum, sive annorum hebdomades intelligantur, diu est ex quo septuaginta illæ effluxerunt. Ergo.

2. Civitas & templum post captivitatem Babylonicam extructa jamdudum pariter eversa sunt a Tito.

3. Sacrificia Mosaica, ut constat, penitus abrogata & abolita sunt nec a mille sexcentis & amplius annis celebrata sunt. Ergo.

Uno verbo quod hic prænunciatur, debuit eo temporis intervallo contingere, quod inter Hierosolymorum instaurationem mox faciendam, & ejusdem urbis eversionem postea futuram, interjectum fuit. Atqui intervallum illud jampridem elapsum est. Ergo.

Minor autem propositio, quod nempe hoc vaticinium de Messia ejusque futuro adventu sit intelligendum multis momentis astrui potest.

Ac 1. quidem ex eo quod hic nominatim appelletur. Quis enim alius antonomastice ac simpliciter ita appelletur? Quis alius dici queat Messias dux seu princeps? Certe nullibi ita diserte in Scripturis exprimitur. Quocirca si is locus de Messia possit non accipi, nullus erit in Scripturis locus, de quo id affirmari queat. Observandum est enim nomen *Christi*, nulli præter Messiam simpliciter & citra ullum additamentum tribui : hunc autem esse unicum locum; in quo idem nomen simpliciter usurpetur.

2. Ex adjunctis notis & characteribus. Octo enim hic recensentur insignia illius qui prædicitur : primum est *ducis* seu *principis* nomen : secundum *sancti sanctorum* titulus : tertium, quod per ipsum expiandum esset peccatum : quartum, quod justitia sempiterna foret, eamque adduceret : quintum, quod novi fœderis auctor esset futurus : sextum, quod aboleret antiqua sacrificia : septimum, quod occidendus esset & non propter se : octavum denique, quod post ipsius necem templum esset evertendum. Atqui hæc totidem sunt Messiæ insignia, 1. Enim *dux* ac *princeps* passim vocatur, Isaiæ 55. v. 4. *Ecce testem populis dedi eum*,

di eum, ducem ac præceptorem gentibus. Sic Micheæ 5. v. 2.&c. 2. *Sanctus* excellenti ratione nuncupatur, psal. 15. v. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Adde Isaiæ 12. v. 6. &c. 3. Expiaturus erat hominum peccata, Isaiæ 6v. v. 1. *Spiritus Domini super me, ... ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam* &c. 4. Futurus erat ipse justissimus, justitia nostra, & sempiternam justitiam allaturus erat. Isaiæ 45. v. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*. Jeremiæ 23. v. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*: (hebraice, Dominus justitia nostra) Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur luna*. 6. Fœdus novum ab eo sanciri oportebat, Jerem. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, &c.* 7. Sacrificia Judaica tempore Messiæ erant abroganda. Malach. 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. 8. Occidendus erat Messias, propter homines, non propter se. Isaiæ 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Adde Lament. 4. v. 2. 9. Denique propter hanc Christi necem templum ac civitatem solo esse æquanda cecinerant prophetæ. David Psal. 68. v. 26. & 27. *Fiat habitatio eorum deserta*. Zachariæ cap. 13. v. 6. &c. & cap. 14. v. 2. *Congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur domus*. Adde Osee 3. v. 4.

3. Præcipuorum e Judaica gente doctorum consensione. 1. Enim sub Apostolorum ætatem, omnes Hebræorum magistri in eam sententiam conspirabant, quod juxta Danielis vaticinium post septuaginta hebdomadas venturus esset Messias. Hac spe freti, Barchocheba duce, Judæi adversus Romanos arma sumpserunt: Quod testatur R. Manasse *in termino vitæ*. 2. Veteres Rabbini quorum meminit Hieronymus *in Danielis cap. 9.* de Messia pariter hoc oraculum interpretabantur. 3. Eodem modo illud exponit R. Samuel, cujus epistolam ad R. Isaac exhibet Dionysius Carthusianus. 4. Denique ita sentiunt R. Barachias *in Breschit Rabba*, Moses ben-Nachman *in Danielem*, Thalmudistæ & alii a Galatino *lib. 4. cap. 18.* Hoornebek *lib. 2. cap. 1.* & Huetio *prop. 9.* memorati.

PROBATUR 2. contra Christianos illos scriptores, qui prophetiam hanc alio, id est, ad Antiochum Epiphanem, detorquere non dubitarunt. 1. Enim eorum temeritas coarguitur Christi ipsius auctoritate, qui *Matthæi cap. 24. v. 15.* abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, testatur ætate sua nondum fuisse visam, illamque ad excidium Jerusalem futurum refert. 2. Omnium Christianorum concordi hactenus consensione, cui obluctari nefas est. Testatur enim Africanus, vir apostolicorum fere temporum, apud Hieronymum, *ad cap.*

„ *9. Da-*

„ *9. Danielis*, hoc fuisse apud omnes indubitatum: " Nulli dubium,
„ inquit, quin de adventu Christi prædictio sit, qui post septuaginta
„ hebdomadas mundo apparuit. " &c. quod & consequentium ætatum
unanimis sententia confirmavit.

O B J E C T I O N E S.

Objicies 1. cum R. Salomone, Judæorum omnium hac in parte acutissimo. Apud Danielem hebdomades in tres partes dividuntur: 1. enim septem, deinde sexaginta duæ, denique una postrema numerantur: præterea Christus bis memoratur. Quod cum ita sit, potest distingui duplex Christus, quorum prior venturus foret post septem priores habdomadas; posterior autem post alias sexaginta duas, & in medio septuagesimæ esset exscindendus. Prior autem est Cyrus, qui Judæos liberavit: posterior autem rex Agrippa, qui in ultimo Jerosolymorum excidio periit. Sic ergo Danielis vaticinium & Angeli verba possunt non incommode exponi, & paraphrasi quadam illustrari. *Septuaginta hebdomades definitæ sunt* (o Daniel) .... *super urbem sanctam tuam* (a prima ipsius per Nabuchodonosorem eversione ad secundum usque ejusdem per Titum excidium, & durissimam ac diuturnam servitutem, quæ hoc ipsum excidium consecutura est, quaque ita atterentur & vexabuntur Hebræi,) *ut* (tot Dei flagellis castigati & eruditi ad meliorem frugem se recipiant,) *consummetur prævaricatio*, *& finem accipiat peccatum* (eorum) *& deleatur* (gentis) *iniquitas*; *&* (propter præclaras eorumdem virtutes exinde futuras) *adducatur justitia sempiterna*, *& impleatur visio & prophetia*, *& ungatur Sanctus sanctorum*, (arca, aliaque sanctuarii vasa per Messiam tunc venturum, & omnia Judæorum sacra in pristinam gloriam restituturum.) *Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis* (seu potius) *de exitu sermonis* (hoc est sermonem qui exit a me) *ut ædificetur Jerusalem*, *usque ad Christum ducem* (Cyrum nempe) *hebdomades septem* (erunt.) *Et hebdomadas sexaginta duæ* (insuper) *erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum*; *& post hebdomadas* (illas) *sexaginta duas* (a Cyro) *exscindetur Christus* (rex Agrippa) *& non ei* (erit vita, aut regnum): *& civitatem & sanctuarium dissipabit populus*) exercitus Romanus) *cum duce venturo* (Tito) .... *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una* (id est fœdus sanciet cum Judæis hebdomada septuagesima:) *& in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium* (id est in medio tamen ejusdem hebdomadæ fœdus illud franget & templo incenso sacrificia abolebit) .... *& usque ad consummationem & finem*, (id est usque ad Messiam venturum) *permanebit desolatio*. Ita etiam R. Manasse &c. apud Galatinum *lib.* 4. *cap.* 17. Hoornebek *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 170. Petavium *lib.* 16. *cap.* 8. *num.* 2. Huetium *prop.* 9. *cap.* 8. *num.* 13. *&* 19. Ergo ex hoc vaticinio colligi non potest Messiam jam advenisse,

ſe, cum de eo nulla ibi mentio, ſed de aliis duobus Chriſtis, id eſt unctis ſeu regibus facta fuerit.

Eadem eſt expoſitio Rabbinorum Saadiæ Aggaon, Levi, ben-Gerſon, Abravanel, & Joſephi ben-Jachiæ; niſi quod in priori, aut poſteriori, aut utroque Chriſto aſſignando diſſideant.

Rabbi enim Saadias, primum quidem Chriſtum cum R. Salomone, Cyrum eſſe ſtatuit; ſed poſteriori de ſacerdotio quod in ultima Hieroſolymorum clade extinctum eſt, interpretatur. Huetius *prop. 9. cap.* 8. *num.* 18. Petavius *lib. 16. cap.* 8: *num.* 3.

Rabbi Levi ben-Gerſon priorem Chriſtum eſſe exiſtimat Joſue ſeu Jeſum filium Joſedek ſacerdotem magnum, qui una cum Zorobabele in Judæam permittente Cyro, rediit: de quo 1. *Eſdræ cap. 3. v.* 4. 5. *Zachariæ c. 3. v.* 1. & 4. *v.* 14. &c. poſteriorem autem de ſacerdotio non ſecus ac Saadias exponit; quibus favent. LXX. interpretes, qui ita verterunt, *delebitur unctio*, quod de ſacerdotio Euſebius *lib.* 1. *hiſt. cap.* 6. & *lib.* 8. *demonſt. evang. pag.* 391. Theodoretus & plerique antiqui explicuerunt. Harduinus *in chronol. veteris teſtamenti pag.* 184. Marshamus *in illud vaticinum*.

Rabbi Abravanel priorem Chriſtum eſſe Zorobabelem arbitratur; poſteriorem autem eſſe Agrippam cum Salomone pronunciat. Hoornebek *pag.* 170 Galatinus *cap.* 17. 238.

Rabbi Joſeph ben-Jachiæ priorem contra Cyrum eſſe contendit, non ſecus ac R. Salomo; ſed poſterioris nomine non Agrippam, at templum Hieroſolymitanum intelligit.

Respondeo hiſce Judæorum interpretationibus non tam Scripturas exponi, quam torqueri, ac perverti.

Ut enim ab iis convellendis ordiamur, quæ omnibus iſtis Judæorum ſententiis communia ſunt; 1. certum eſt & indubitatum ſeptuaginta illas hebdomadas, de quibus Angelus loquitur, non poſſe a prima Hieroſolymorum everſione per Nabuchodonoſorem, ad ſecundam uſque ſub Tito pertingere. Septuaginta enim hebdomades ſunt tantum 490. anni. At, ut patet ex laterculo *ſupra* exhibito, ab una clade ad alteram 657. anni intercedunt: quod quidem adeo evidens eſt, ut ipſe Aben-Ezra vitioſitatem hanc deprehenderit ac notaverit. 2. Bis quidem in hoc vaticinio Chriſtus memoratur: ſed unus idemque eſt, qui utrobique exhibetur. 3. Inepte prorſus ita hebdomades illæ dividuntur, ut ſeptem priores in unum Chriſtum, & conſequentes in alterum deſinant. Ad Chriſtum enim qui primo memoratur, nec alius eſt ab eo qui poſtea iterum legitur, dicuntur ab Angelo futuræ hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ, uno eodemque ſermonis tenore: proinde non ſeptem tantum. Et vero, ſi hæ hebdomades ſepararentur, ſuſpenſa & inſulſa oratio evaderet. Neque vero divelli cogit accentus athnach qui ibi extat: præterquam quod enim accentus Hebraici ſunt recentioris inventi; certe non neceſſario ille commata ſejungit, ut contra Marshamum

hamum Vangeseilus ostendit. 4. Falso Angelus septem duntaxat hebdomadas, hoc est, quadraginta novem annos ad primum illum Christum numeraret: ab incenso enim per Nabuchodonosorem templo, ad Cyrum vel Zorobabelem vel Josue sacerdotem magnum, uno verbo ad captivitatem usque solutam quinquaginta duo anni interjacent. 5. Absurde hebdomadum illarum initium repetitur ab hac templi & civitatis destructione. Diserte enim terminos figit Angelus; primum *a quo*, secundum *ad quem* ducendæ forent, cum ait: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum* &c. At quo tempore eversa est a Nabuchodonosore Jerusalem, eo sane nullum exiit, seu latum est edictum de instauranda eadem urbe. Ergo non est inde exordium capiendum: & immerito prorsus terminos illos duos expungit R. Salomo. 6. Consummatio prævaricationis, peccati finis, iniquitatis deletio, justitiæ sempiternæ adductio, ut sic loquamur, contra Scripturæ mentem ab illis doctoribus, post septuaginta hebdomadas differuntur, ut & alia omnia: cum Angelus contra perspicue doceat, ista omnia intra septuaginta hebdomadum intervallum a Deo definitum eventura esse. 7. Hæc eadem perperam ascribuntur futuræ posthac captivitati, quæ apud Danielem Messiæ ipsi attribuuntur. Is enim describitur qui peccato finem & justitiam sempiternam allaturus esset. Adde quod falsum sit Judæos nunc esse sanctiores, quam post captivitatem Babylonicam fuerint, ut jam mereri queant, quod antea promeriti non sunt: quod demonstrat adversus Judæos suos populares Hieronymus a sancta fide. 8. Sanctus sanctorum non potest esse arca fœderis, sed debet esse persona quæpiam, cum dicatur esse ungenda. 9. Denique missus est Gabriel angelus ad Danielem, ut eum gementem solaretur, & tanquam viro desideriorum optata ac grata nunciaret. At si audimus Judæos, nihil contra nisi triste ac luctuosum toto illo septuaginta hebdomadum spatio, ipsi portendit. Ergo non sunt illi audiendi. Vide Galatinum *lib.* 4. *cap.* 17. Petavium *lib.* 16. *cap.* 8. Hoornebek *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 170. &c. Huetium *num.* 18.

Jam vero ut speciatim ea refellamus quæ de utroque Christo disputant.

Prior certe Christus non est Cyrus. 1. Enim, quamvis Deus *Isaiæ* 45. *v.* 1. Cyrum appellet *Christum suum*; attamen nunquam ita vocavit Cyrum simpliciter. Qui autem hic Messias memoratur, is simpliciter ita dicitur. 2. Etsi Cyrus aliquatenus Messias, seu Christus nominari possit, non tamen is erat Messias Judæorum princeps, & ab iis tantopere exoptatus. Porro hic sermo fit de *Messia duce*, seu ut hebraice est, de *Messia principe*.

Deinde is Christus nec Zorobabel, nec Josue sacerdos esse potest, cum iisdem de causis, tum eo quod post captivitatem, nec duces, nec sacerdotes uncti seu Christi fuerint. Ut enim e Thalmudicis notant Martinus Raymundi *in pugione fidei*, & ex eo Galatinus *lib.* 4. & Huetius

tius *num.* 18. quinque res secundo templo defuerunt ; ignis videlicet , arca, urim & tummin, oleum unctionis, & Spiritus-sanctus. Unde & Abravanel *in caput 30. Exodi*, asserit nullum in templo secundo extitisse sacerdotem inunctum.

Posterior autem Christus non potest esse rex Agrippa. 1. Enim nunquam Judæorum rex fuit, sed Chalcidis, & aliarum extra Judæam regionum , ut discimus ex Josepho *lib. 2. orig. cap. 3.* tantum abest ut Judæorum *Messias* appellari potuerit . 2. Nedum in excidio Hierosolymitano a Romanis interfectus sit, eorum semper, ac præsertim Vespasiani, amicus ac socius fuit; ex Josephi *libro 2. de bello Jud. cap. 16.* & *de vita sua*. Quin & Hierosolymitanæ cladi superstes fuit ex Tacito *lib. 5. historiarum*, eique revera posthac suos *de bello Judaico* libros Josephus obtulit *lib. 1. contra Appionem*. Ergo.

At nec potest sacerdotium nomine *Christi* esse designatum , cum ea ætate, ut jam monuimus, sacerdotum unctio non viguerit . Multo minus potest esse templum. Quis enim unquam audiit templum nomine *Messiæ* seu *Christi* designari ? Ergo omni ex parte corruit hæc Judæorum interpretatio.

Objicies 2. cum Aben-Ezra. Possunt hebdomades dividi in duas partes ; nimirum priores septem , & alias consequentes : potest etiam Christus duplex secerni . His autem positis poterunt hebdomades illæ iniri a primo anno Darii Medi, quo hanc orationem fudit Daniel, & in ultima Hierosolymorum clade terminari ; ita ut Christus prior sit Nehemias anno 20. Artaxerxis in Judæam missus , ad quem usque fluxerint septem priores hebdomades : posterior autem Christus sit regia dignitas in postremo gentis Judaicæ per Titum excidio prorsus extinctæ. Galatinus *cap. 17. pag.* 238. Petavius *lib. 16. cap.* 8. *nu.* 31. Hoornebek *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 170. Huetius *num. ult.* Ergo nihil inde erui potest in favorem Messiæ a Judæis expectati.

Nego antecedens. Ut enim omittamus quæ modo dicta sunt , ut ostenderemus hebdomadas non posse dividi , nec posse duplicem Christum distingui, nec ullum, sive sacerdotem, sive regem potuisse tota illa temporis intercapedine *Messiam*, id est *unctum* , appellari , & cætera quæ in hanc quoque interpratationem militant . 1. Constat a primo anno Darii Medi ad Vespasianum usque, interesse non modo hebdomadas septuaginta , id est 490. annos, sed 600. & amplius. 2. Non minus constat a primo Darii Medi anno ad vigesimum Artaxerxis plures esse quam septem hebdomadas, hoc est quadraginta novem annos : sunt enim plures quam 80. 3. Falsum est regiam dignitatem fuisse tunc apud Judæos extinctam, cum Jerusalem a Tito capta est : ei enim cladi superfuit Agrippa, ut antea monuimus. Ergo.

Objicies 3. Nomine *Christi* posset hic intelligi Hircanus Assamonæorum ultimus , qui post septuaginta a Cyro hebdomadas , regno ac sacerdotio exturbatus est . (Harduinus *in chronologia veteri testamenti* , *pag.* 184.) Ergo. Nego

Nego antecedens. Præter illa enim quæ *supra* observavimus, & huc referri possunt, certe plures sunt Cyrum inter & Hircanum quam septuaginta hebdomades.

Objicies 4. Nihil vetat quominus hic hebdomades intelligantur decenniorum aut jubilæorum, ac seculorum : quo posito nondum completæ forent septuaginta hebdomades, sicque nondum advenisset Christus. (Galatinus *lib.* 4. *cap.* 14. Hoornbeck *pag.* 168. Huetius *num.* 14. Lancellotus *cap.*30.) Ergo.

Nego antecedens. Hæ enim hebdomades non dierum sunt, sed annorum; & annorum quidem simplicium, non decenniorum, jubilæorum, aut seculorum.

Ac 1. quidem non sunt dierum : brevius enim foret intervallum, quam ut omnia, quæ hic prædicuntur, intra hos angustos limites transigi potuerint, & certum est ea non esse tantillo spatio transacta. 2. Sunt annorum : quod ex priori capite consequens est : cum duplex sit tantum apud sacros, Judæos, profanosve scriptores hebdomadum genus. Certe is est stylus propheticus *Ezech.* 4. *v.* 6. *Apoc.* 12. *v.* 6. & 13. *v.* 5. atque ita sentiunt Judæi ipsi doctores. Et quidem præter eos qui *supra* allegati sunt, sic statuunt auctor libri, qui *domus Israel* inscribitur, & *Sederolam*. Denique *capite sequenti*, *n.* 3. memorari videntur hebdomades dierum de industria, ut secernantur ab hebdomadibus annorum *capite præcedenti* descriptis. 3. Denique non sunt hebdomades decenniorum, jubilæorum aut seculorum. Ejus enim generis esse debent hebdomades, ut ante Jerusalem. & templi secundi eversionem elapsæ sint. Post illas enim elapsas prædicitur civitas illa solo æquanda, & sanctuarium dissipandum : atque adeo necesse est, ut jampridem effluxerint. At si hebdomades decenniorum, aut jubilæorum, aut seculorum forent, eæ nondum essent completæ, cum tamen diu sit, ex quo Jerusalem & templum eversa sunt. Ergo in hoc Danielis vaticinium fictitiæ illæ hebdomades non sunt obtrudendæ.

Objicies 5. Potest dici tempus certum hic esse positum pro incerto : atque adeo ex illa prophetia colligi non posse, quod Messias jamdudum advenerit.

Nego antecedens. 1. Enim hæc repugnant cum Angeli verbis, tum Dei consilio : ac verbis quidem Angeli, cum Angelus pronunciet septuaginta hebdomadas esse definitas, & quod ultima, hoc est septuagesima hebdomada eventurum esset, sigillatim exponat, nempe fœdus novum esse sanciendum, Christum in medio ejusdem occidendum, & post hæc templum ac civitatem esse subruenda : deinde vero consilio Dei, qui lugentem Danielem Messiæ brevi ac certo venturi prædictione consolari voluerit. 2. Duo hic fixi immotique termini, hinc & inde constituuntur, extra quos vagari non liceat, Jerusalem nempe reparatio & ejusdem eversio. Cum ergo utrumque jam evenerit, Messias jam venit.

Objicies 6. Cum Marshamo Anglo, *in chronico Ægyptiaco ad seculum*

culum 18. Vaticinium Danielis referendum est ad tempora Antiochi Epiphanis, qua ætate impletum est. Omnia enim mirifice congruent, si quædam concedantur, quæ negari non possunt. Primum est, Angelum Danieli apparuisse, & cum eo sermonem habuisse anno 1. Darii Medi: id enim diserte extat *cap.* 9. *v.* 1. Secundum est, hunc annum primum Darii fuisse 21. captivitatis Babylonicæ; quia nempe Daniel *cap.* 10. *v.* 3. testatur se luxisse per tres hebdomades, annorum scilicet, seu ab initio captivitatis ad hoc usque colloquium: tres autem annorum hebdomades sunt anni 21. Tertium est; apud Danielem memorari septem hebdomades & sexaginta duas, & præterea unam, & insuper mediam hebdomadem, idest omnino septuaginta hebdomades cum dimidia. Quartum est, posse septem priores separari a consequentibus. Quintum est, septem priores esse ducendas ab exitu sermonis angelici, hoc est ab anno 21. captivitatis. Sextum est, consequentes contra esse ordiendas ab ipso captivitatis initio. Septimum est, duplicem hic distingui Christum.

His autem positis, omnia conciliantur & cohærent.

Septem enim priores hebdomades aperte desinent in Cyrum, qui prior est Christus, Cyrus enim anno 70. captivitatis regnum Babylonicum iniit, & Judæos liberavit. At ab anno 21. captivitatis, usque ad 70. præcise sunt quadraginta novem anni, hoc est septem hebdomades.

Deinde sexaginta duæ desinent in Antiochi Epiphanis exordia. Sexaginta enim & duæ hebdomades sunt anni 434. At ab initio captivitatis, id est ab anno periodi Julianæ 4108. (seu potius 4107. ut ipse statuit) ad annum 4539. (seu potius, ut idem numerat, 4540) quo regnare cœpit Antiochus Epiphanes, sunt anni 434.

Tum septuagesima sequetur hebdomada, hoc est primum Antiochi septennium, per quod temporis intervallum rex ille confirmabit pactum, id est fœdus servabit cum Judæis.

Denique media accedet septimana, per cujus spatium exscindetur Christus, id est sacerdotes amovebuntur, deficiet hostia ac sacrificium, abolitis per eumdem Antiochum Epiphanem omnibus sacris & abominando desolationis idolo in templo collocato, arisque profanatis, quod per tres circiter annos duravit, donec templum a Juda Machabæo purgatum est. 1. *Machab.* 1. *v.* 62. & 4. *v.* 52.

Respondeo hanc inter pretationem in homine Christiano ferri non posse, cum Christi ipsius verbis repugnet, asseverantis Danielis prophetiam ætate sua nondum exitum suum habuisse, sed habituram demum in ultimo gentis excidio, & præterea validissimum totiusque antiquitatis usu consecratum adversus Judæos argumentum nobis temere extorqueat; imo & in omnibus fere capitibus peccare.

1. Enim licet Angelus apparuerit 1. Darii anno, falsum est hunc primum ipsius annum fuisse 21. captivitatis Babylonicæ: fuit enim 68. cum duobus tantum annis regnaverit in Assyria Darius Medus, eique succes-

serit

ſerit Cyrus, qui anno primo imperii captivitatem ſolvit : quod etiam colligitur *ex capite* 25. *Jeremiæ v.* 11. *&* 12. Ridiculum autem eſt Marſhami argumentum : ait enim quidem *capite* 10, Daniel ſe luxiſſe per tres hebdomades : ſed diſerte ibi exprimit hebdomades dierum, non annorum, idque ad diſcrimen earum hebdomadum, quæ *præcedenti capite* deſcriptæ fuerant, ut notant Judæi & Chriſtiani ſcriptores. Adde quod tres illas hebdomades immerito Marshamus referat ad Angeli colloquium anno primo Darii habitum, cum ad aliam omnino viſionem & ad annum tertium Cyri pertineat, ut *cap.* 10. *v.* 3. cernere eſt.

2. Gratis poſt ſeptuaginta hebdomades dimidia altera accenſetur. Medietas enim illa eſt ſeptuageſimæ, hoc eſt ultimæ hebdomadis.

3. Non debent priores hebdomades a conſequentibus divelli, ut *ſupra* declaravimus.

4. Exitus ſermonis, a quo hebdomades duci debent non eſt tempus colloquii angelici, ſed exitus ſermonis, ſeu edicti ut iterum ædificetur Jeruſalem, ut diſertis verbis habet Scriptura.

5. Abſurdum eſt ſeptuaginta hebdomades ita explicare, ut ſeptem priores intra aliarum ſpatium concludantur : ſed multo adhuc abſurdius eſt, ſeptem priores ducere ab anno 21. captivitatis; reliquas autem conſequentes ab ejuſdem captivitatis exordio : ſic enim poſteriores hebdomades prius incipiunt quam priores : quod pugnat.

6. Non eſt duplex Chriſtus diſtinguendus, ut *antea* oſtendimus.

7. Cyrus non poteſt eſſe Chriſtus ſeu Meſſias princeps, de quo ibi mentio fit, quod etiam evicimus.

8. Sacerdotium tempore Antiochi Epiphanis pollutum non potuit deſignari nomine Chriſti, ſeu Meſſiæ exſcindendi.

9. Tandem reliqua non congruunt. Quid enim ? An tempore Antiochi Epiphanis peccato finis eſt impoſitus, & adducta juſtitia ſempiterna ? An unctus eſt ſanctus ſanctorum ? An civitas Jeruſalem everſa eſt ? An deſolatio permanens fuit ? Nequaquam. Ea tamen omnia Danieli prænunciantur. Deinde non tantum Chriſtus ipſe jubet ut ea referamus ad ultimam gentis cladem, quæ etiamnum perſeverat; ſed & Angelus id ſatis aperte arguit, cum ait cladem hanc eſſe inferendam per alas abominabiles, quibus aquilæ & vexilla Romanorum ſignificabantur. Ergo.

OBJICIES 7. cum Harduino *in chron. veteris teſtament.* Equidem hoc Danielis vaticinium de ſolo Chriſto poteſt ac debet intelligi: ſolus enim ille eſt, qui ut ibi nominatur ὁ Χριϛὸς, antonomaſtice Chriſtus appellari queat. Sed tamen impletum dici poteſt non in ipſo Chriſto, ſed in duplici ejus typo, videlicet Cyro rege Perſarum, qui Judæos liberavit, & Onia ſummo Judæorum pontifice, qui ſub Antiocho Epiphane interfectus eſt : quod ſi admittatur, & hebdomades in duas partes diſtribuantur, & utraque pars incipiat ab exitu ſermonis Jeremiæ, quo prædixit *cap.* 25. *&* 29. fore ut poſt ſeptuaginta captivitatis an-

nos ædificaretur iterum Jerusalem, hoc est ab ipso captivitatis anno primo, omnia quadrabunt: septem enim priores hebdomadæ desinent in Cyrum, quando in Media regnare cœpit viginti duo circiter annis antequam Babylonicum imperium iniret, & Judæos liberaret; 63. autem posteriores in Juda Machabæo & templi repurgatione terminabuntur; ita ut in medio postremæ hebdomadis occidatur alter veri Messiæ typus, Onias summus Judæorum pontifex.

RESPONDEO hanc Danielis expositionem merito fuisse ab ipso auctore suppressam, quod in viro catholico, multo minus quam in heterodoxo tolerari posset, cum omnibus Ecclesiæ Patribus, totique adeo Ecclesiæ traditioni adversetur, ejusque adversus Judæos causam firmet, præterea vero secum ipsa pugnare videatur & multiplici incommodo laborare.

1. Enim non satis apparet quo pacto duo hæc cohæreant, quod nempe ista prophetia de solo vero Messia intelligatur, & in aliis tamen quam in ipso impleta sit. Impleri enim debuit in eo ipso de quo sermo erat; alias enim Angelus falsum dixisset, nec quid sibi prænunciabatur intelligere potuisset Daniel, nec cum vaticinio eventus congrueret.

2. Si a Judæis & heterodoxis hebdomades in duas partes dividi nequeant, nec possit ab iis duplex Christus distingui, multo minus ab eo, qui vulgatæ nostræ versioni adhæret, cum illa diserte asserat ad Christum ducem (qui primo nominatur) fore hebdomades septem, & sexaginta duas, non itaque septem duntaxat.

3. Exitus sermonis, de quo verba facit Angelus, non est sermonis præteriti, & a Jeremia prolati, sed aliquando proferendi, seu edicti ut instauraretur Jerusalem.

4. Absurdum videtur septem priores hebdomades & posteriores sexaginta tres ab eodem initio eodemque temporis puncto repetere.

5. Ab Angelo non debuit spectari aut memorari initium regni Persici in Cyro, sed Babylonici duntaxat, cum hoc solum, non vero illud, ad Angeli propositum & Danielis solatium faceret. Neque enim Judæos solvit Cyrus cum Persis imperare cœpit, sed viginti & amplius annis posthac, cum nempe Babylonicum regnum est auspicatus.

6. Oniæ mors, Antiochi furor, templi repurgatio, an tanti momenti erant ut propterea angelum mitti oporteret, & tam nobile vaticinium condi? An in iis Danielis, totiusque Judaicæ gentis afflictæ spes ac promissa reposita erant?

7. Denique an quispiam catholicus affirmare audeat tunc finem accepisse peccatum, deletam fuisse orbis iniquitatem, adductam esse justitiam sempiternam, & unctum fuisse sanctum sanctorum? quis dicat Oniam extitisse illum Christum, quia Judæis negandus ac reprobandus toties in Scripturis prædicitur? aut post Oniæ necem ac propter illam exterminatam fuisse Judaicam gentem, Jerusalem eversam, & templum solo æquatum? An desolatio quæ tunc illata est perpetua fuit, & ad mun-

mundi usque finem perseveratura est? An omnes tunc figuræ, visiones & prophetiæ impletæ sunt? quæ tamen omnia apud vulgatum interpretem extant.

CAPUT II.

De initio & exitu septuaginta hebdomadum Danielis.

Tot sunt in hoc initio ac fine constituendo nodi, tantaque est & semper fuit opinionum ea de re varietas, ut S. Hieronymus *in cap. 9. Danielis* aliorum sententias referre maluerit, quam de iis ferre judicium, aut suam ipse mentem aperire. Atque hoc sane tam eruditi Ecclesiæ doctoris exemplum libenter sequeremur. Sed quoniam obstat scholæ consuetudo, juvat paucis quid de hoc argumento sentiamus, exponere; si prius tamen nonnulla observaverimus.

Ac primo quidem hoc Christianorum dissidio nullatenus sublevari Judæorum causam. Undecumque enim hebdomadum exordia ducantur, certum est eas jampridem esse elapsas; atque adeo Messiam dudum advenisse.

2. Has hebdomades ab Angelo in partes distribui. 1. Enim septem memorat: deinde sexaginta duas, tum ultimam, quam etiam in duo partitur; idque pro more Judæorum, qui perfectum ac totum numerum in particulas scindere consueverant; ut cum *Ezech* 45. *v.* 12. dicitur: *Porro viginiti sicli, & vignti quinque, sicli, & quindecim sicli mnam faciunt*. Atque adeo licet hac in partitione, cum veteres nonnulli, tum multi recentiores mysterium quæsierint, nullum tamen videri. De quo videndus est Eusebius *lib. 7. demonstr. evang. pag.* 391. Hieronymus *in cap. 9. Danielis*; Scaliger *in proleg. de emend. temp.* & *lib. 6.* Grotius *in cap. 9. Danielis*; Petavius *lib. 16. cap.* 8. *num.* 2. Huetius *num.9.* Marshamus *pag.* 611. Lancellotus *cap.* 30. Hoornebek *pag.169.* & Harduinus *pag.* 194.

3. Has hebdomadas esse annorum, ut *supra* probavimus.

4. Hebdomades septem esse annos quadraginta novem; hebdomadas sexaginta duas esse annos 434. hebdomadas sexaginta tres esse annos 441. & septuaginta hebdomadas esse omnino 490. annos.

5. Acrem esse inter theologos controversiam de his annis: an nempe lunares sint, hoc est 354. dierum duntaxat, an vero solares: de qua consuli possunt Pererius *in Danielem*; Galatinus *lib.* 4. *cap.* 14. Scaliger *lib.6. de emend. temp.* Petavius *De doctrina temp.* Huetius *prop.* 9. & 10. aliique harum rerum periti: nos autem rationem dumtaxat habituros esse solarium: quia ut ut statuamus de antiquo Judæorum circa utrumque anni genus usu, certum est vel solares fuisse annos, vel si lunares fuerint, eos ope quorumdam intercalarium mensium ad solarium annorum normam fuisse redactos, ne videlicet anni caput per quatuor anni tempestates vagaretur.

6. Harum hebdomadum initium esse ducendum ab aliquo edicto lato ut iterum ædificetur Jerusalem, quod perspicue ex verbis Angeli colligitur: quatuor autem regum Persarum edicta in Judæorum favorem distingui posse. Primum est Cyri anno regni primo, *Esdræ* 1. *v.* 1. Secundum Darii anno imperii secundo, *Esdræ* 4. *v.* 5. *&* 24. 6. *v.* 1. Tertium Artaxerxis anno imperii septimo, quo misit Esdram; *Esdræ cap.* 7. *v.* 1. 7. *&* 8. Quartum ejusdem Artaxerxis anno regni vigesimo, quo Nehemiam misit, *Nehem.* 1. *vers.* 1. *& cap.* 2. 1

7. Has hebdomades ita ab hoc initio esse ordinandas, ut sexaginta novem priores desinant in tempus baptismatis Christi, septuagesima autem ineunte evangelium regni cœperit prædicare, fœdusque novum annunciare Christus; ac tandem in medio ejusdem hebdomadis mortem pro humano genere oppetierit.

Quibus annotatis, jam variæ opiniones recensendæ sunt.

Prima est Judæorum vulgaris, qui septuaginta hebdomadum exordia repetunt ab eo anno quo Jerusalem a Nabuchodonosore eversa est, aut ab anno primo captivitatis Babylonicæ: ita R. Salomo, R. Levi ben-Gerson, R. Saadias Haggaon, Abravanel, Seder-Olam Rabba, & ipsum Thalmud *in Avodah Zara*. Vide *supra* Galatinum *lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 229. 240. 243. Petavium *lib.* 16. *de Incarnat. cap.* 8. *num.* 3. Hoornebeck *pag.* 172. Huetium *num.*16. ita etiam ex antiquis Patribus Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat. pag.*330.

Secunda est Hippolyti Portuensis qui eas inchoabat ab anno vigesimo primo captivitatis Babylonicæ, & septem hebdomadas ante reditum populi supputabat, teste Hieronymo *in cap.* 9. *Danielis*: cui aliquatenus accessit Marshamus Anglus.

Tertia est aliorum, qui illarum initia ascribunt anno primo Darii Medi, quo Danieli Angelus apparuit, hoc est ab ipso colloquii angelici tempore: ita Origenes *lib.* 10. *Stromatum*, Tertullianus *contra Judæos cap.* 8. & vetus auctor *quæstionum*, apud Augustinum; nisi quod uterque postremus Darium hunc pro Dario Notho rege Persarum habuisse videatur: ita denique prisci Hebræorum doctores apud Hieronymum *in cap.* 6. *Danielis*, & ex recentioribus Aben-Ezra. Rigaltius *in notis* ad librum Tertulliani *contra Judæos*; Huetius *num.* 15. *&* 19. Marshamus *pag.*161.

Quarta est Calvini, Beroaldi, Ligfooti, ac quorumdam ex Judæis qui asserunt earum principium figendum esse in anno primo Cyri, cum nempe captivitatem solvit.

Quinta hebdomades incipit ab anno secundo Darii Hystaspide, quo in gratiam Judæorum edictum tulit, aut potius a Cyro latum confirmavit.

Sexta ab anno septimo Artaxerxis: ita Helvicus; Jacobus Capellus *in historia sacra*; Bullingerus; Turretinus *num.* 22. Ludovicus Capellus *in sacra chronologia not. ad tabulam* 11.

Se-

Septima ab anno ejusdem vigesimo : ita Julius Africanus , antiquissimus & harum rerum peritissimus auctor , cum aliis bene multis veteribus , & inter recentiores Joannes Lucidus ; Pererius *in Danielem* ; Torniellus *ad annum* 35. 16. *num.* 6. Petavius *lib.* 10. *de doctrina temporum* , *cap.* 25. *lib.* 12. *numer.* 32. Usserius , Lancellottus , aliique vulgo .

Octava quæ a Dario Notho , ejusdemque regni anno secundo hebdomadum illarum initia repetit : ita Severus Sulpitius *hist. lib.* 2. Scaliger *in proleg. de emendat. temp. & lib. 6.* Drusius *in Sulpitium ;* Constantinus L'Empereur , Calvisius Junius . Putant enim Darium , qui anno secundo regni edictum Cyri renovavit , esse Darium Nothum , & Artaxerxem, a quo missi sunt Esdras, & Nehemias , esse Artaxerxem Memoriosum.

A S S E R T I O I.

Septuaginta hebdomadum initia nec ab anno primo captivitatis Babylonicæ , nec a Jerusalem prima eversione , nec ab anno vigesimo primo ejusdem captivitatis , nec ab anno primo Darii Medi repetenda sunt.

Probatur duobus invictis momentis . Primum est , quod ad solutam usque captivitatem Babylonicam , hoc est ad Cyrum ejusque regni Babylonici primum annum, non legatur ullum a quoquam exiisse ac latum esse edictum de instauranda Jerusalem . Atqui Angelus prænunciarat primum illius intervalli terminum esse capiendum ab exitu sermonis, seu edicti, ut iterum ædificetur Jerusalem. Ergo. Secundum est , quod tempora non congruant. Quodcunque enim intra captivitatem Babylonicam punctum figas ac fingas, longe plures erunt inde ad Christum , quam septuaginta hebdomades.

Objicies cum veteribus Judæis apud Sanctum Hieronymum . Possunt ita componi septuaginta hebdomades , ut sexaginta duæ ab anno primo Darii Medi ad Vespasianum usque numerentur ; deinde septem a Vespasiano ad Adrianum usque : ita ut septuagesima inter utrumque postea dividatur , & unicuique media illius pars ad Judæos profligandos assignetur.

Respondeo hæc commenta plena esse absurditatis , & inscitiæ . 1. Enim insulse sexaginta duæ hebdomades aliis septem anteponuntur. 2. Non minus stulte septuagesima inter Vespasianum , & Adrianum dividitur. 3. Longe sunt plures a Dario Medo ad Vespasianum usque quam sexaginta duæ hebdomades. 4. Plures etiam sunt ab excidio Hierosolymitano ad ultimam usque gentis sub Adriano cladem, quam septem hebdomades seu quadraginta novem anni.

ASSERTIO II.

HEBDOMADES non sunt ab edicto Cyri aut Darii, aut ab anno septimo Artaxerxis ordiendæ.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Illud enim edictum, de quo loquitur Angelus debuit esse de instauranda ac mœnibus cingenda Jerusalem: sunt enim hæc ipsius verba, *Ut iterum ædificetur Jerusalem: & rursus ædificabuntur plateæ & muri in angustia temporum*. Atqui triplex hoc Cyri, Darii, & Artaxerxis anno septimo edictum de solo templo fuit, non de urbe ac muris excitandis. 1. Enim Cyrus *Esdræ* 1. *v.* 3. sic habet: *Quis est in vobis? .... ascendat in Jerusalem quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israel* &c. 2. Darius edictum Cyri duntaxat renovavit, & perinde ac ipse, de solo templo ac domo Dei verba facit *cap.* 6. *v.* 3. 5. 7. 12. 3. Artaxerxes cum absoluta esset jam domus Dei anno 6. Darii regis *cap.* 6. *v.* 15. nihil aliud concessit Esdræ ac Judæis anno imperii sui septimo, quam quæ ad templi ornamenta & sacrificia pertinebant: *ibidem*, *cap.* 7. *v.* 12. &c. Et vero Esdras *cap.* 3. narrans quid ex Cyri facultate egerint Judæi, solius templi mentionem injicit; *capite* autem 4. *v.* 24. ubi conqueritur, quod id adversariorum malitia intermissum esset opus a Cyro fieri permissum, solam quoque Domimini domum memorat: *Tunc intermissum est*, inquit, *opus domus Domini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum*. Non *opus urbis* ait, sed *opus domus Domini*. Certe Aggæus propheta, *cap.* 1. *v.* 4. Judæorum desidiam arguens, de solo pariter templo sermonem habet: *Nunquid tempus vobis est*, inquit, *ut habitetis in domibus laqueatis; & domus ista deserta?* Denique id perspicuum est ex historia Nehemiæ. Anno enim vigesimo Artaxerxis accepit a Judæis e patria reducibus, murum Jerusalem adhuc fuisse dissipatum, & portas ejus combustas igni, ut ipsemet *cap.* 1. *v.* 3. refert. 2. Idem describit, quo pacto ipse postmodum suscepto in Judæam itinere, reipsa viderit murum Jerusalem dissipatum, & portas ejus consumptas igni; *cap.* 2. *v.* 13. *versu* autem 17. Judæos sic alloquitur: *Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igni: venite & ædificemus muros Jerusalem*. Ergo ad hunc usque vigesimum Artaxerxis annum nondum Jerusalem extructa fuerat. Sane auctor Ecclesiastici, *cap.* 49. *v.* 15. hanc laudem Nehemiæ, qui isto Artaxerxis regni anno missus est in Judæam, tribuit: *Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras* &c. Ex quo nemo est qui non colligat ad illud usque tempus disjecta penitus jacuisse Hierosolymorum mœnia.

PROBATUR 2. calculis chronologicis. Ab initio enim hebdomadum usque ad Christi mortem debent esse ad summum 490. anni. At a Cyri anno primo sunt anni 568. ab anno autem secundo darii Hystaspidæ

dæ ſunt anni 552. ab anno denique ſeptimo Artaxerxis ſunt anni 550. & amplius.

Probatur 3. auctoritate ſanctorum Patrum. 1. Enim Africanus apud Euſebium *lib.* 8. *demonſtr. evang.* teſtatur ad annum uſque vigeſimum Artaxerxis, murorum Jeruſalem extruendorum poteſtatem non eſſe factam. 2. Hieronymus *in cap.* 45. Iſaiæ idem affirmat.

Objicies 1. Prædixerat Deus apud Iſaiam fore ut a Cyro ædificaretur Jeruſalem. *Capite* enim 44. *v.* 28. ſic ait: *Qui dico Cyro; Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis: qui dico Jeruſalem, Ædificaberis: & templo, Fundaberis.* Capite autem 45. v. 13. *Ipſe ædificabit civitatem meam & captivitatem meam dimittet*: quod quidem reipſa ab ipſo factum eſſe ſcribit Joſephus *lib.* 11. *antiq. cap.* 1. Ergo.

Distinguo antecedens: fore ut ædificaret Jeruſalem, domorum in ea urbe excitandarum facta poteſtate; concedo: mœnium erigendorum facultate conceſſa; nego. Scilicet cum Cyrus Judæis poteſtatem feciſſet in Judæam remeandi & priſtino in loco templi extruendi, conſequens erat, ut iidem ſub dio manere non cogerentur, ſed ædes ſibi moliri ac ædificare ſinerentur. Id quidem permiſit Cyrus, eoque nomine dicitur *civitatem ædificaſſe:* ſed tamen nunquam facultatem conceſſit mœnium erigendorum; quod Angeli verba poſtulant. Unde & Joſephus *ibidem, cap.* 5. notat ad Nehemiæ uſque tempus, hoc eſt annum Artaxerxis vigeſimum, mœnia urbis diruta manſiſſe.

Objicies 2. Judæi ſub Cyro ejuſque filio Cambyſe, ſeu, ut Scriptura loquitur, *Aſſuero*, & ſub tertio Perſarum rege, quem *Artaxerxem* nominat, Hieroſolymorum civitatem ædificabant, & muros ejus inſtaurabant: ita enim renunciarunt Artaxerxi vicinæ gentes, Eſdræ cap. 4. v. 12. *Venerunt in Jeruſalem civitatem rebellem & peſſimam, quam ædificant, extruentes muros ejus* &c. Atqui id non feciſſent Judæi, niſi accepta a Cyro poteſtate. Ergo.

Nego majorem. Ad probationem reſpondeo hanc fuiſſe falſam vicinarum gentium præ invidia ac malitia apud regem Perſarum expoſtulationem.

Objicies 3. Darius votum voverat ædificare Jeruſalem, 3. *Eſdræ cap.* 4. *v.* 43. Ergo.

Distinguo antecedens: ædificare domibus excitatis; concedo: muris inſtauratis; nego. Utroque enim modo urbs condi dicitur.

Objicies 4. Artaxerxes anno ſeptimo imperii dedit Eſdræ omnem petitionem ejus *cap.* 7. *v.* 6. Atqui haud dubie Eſdras petierat mœnium inſtaurandorum facultatem. Ergo.

Nego minorem. Ea enim duntaxat petierat, quæ ad Dei cultum amplificandum ſpectabant, quæque *ibidem* enucleate referuntur, nulla de mœnibus facta mentione, ut legenti patet.

Objicies 5. Ipſemet Eſdras *cap.* 9. *v.* 9. teſtatur ſepem ſibi datam eſſe in Juda & Jeruſalem. Atqui *ſepis* nomine muri intelliguntur. Ergo.

Nego minorem. *Sepis* enim nomine parietes ædium rudi & tumultuario opere constructi intelliguntur, de quo interpretes consule, & Huetium *num.* 7.

Objicies 6. Nehemias cum anno Artaxerxis vigesimo ab Hanani uno e fratribus accepisset murum Jerusalem etiam tunc fuisse dissipatum, miratus est & indoluit *cap.* 1. 1. 2. &c. Atqui nullus fuisset admirationi locus, si hactenus nulla facultas mœnium erigendorum concessa esset. Ergo.

Respondeo indoluisse quidem Nehemiam; sed non miratum esse, ut ex ipso Scripturæ contextu manifestum est.

ASSERTIO III.

Qui in supradictis Scripturæ locis memorantur Darius & Artaxerxes, ii sunt 1. quidem Darius Hystaspis, non vero Darius Nothus; 2. Artaxerxes Longimanus, non vero Artaxerxes Mnemon, seu Memoriosius.

Probatur 1. ex Scripturis. Esdras enim *cap.* 4. *&* 5. describens quo in statu fuerit templum Hierosolymitanum sub regibus Persis ab eo tempore quo ipsius condendi facultas data est, ad illud quo absolutum fuit, quatuor continua serie reges recenset: primum quidem Cyrum, sub quo templi fundamenta jacta sunt: secundum autem Assuerum, & tertium Artaxerxem, sub quibus opus intermissum fuit: quartum Darium, sub quo resumptum est & absolutum. Proinde Darius ille est quartus regum Persarum. Atqui Darius qui quartus rex Persarum fuit, est Darius Hystaspis; Darius vero Nothus inter Persarum reges nonus collocatur. Ergo.

Atque id sane arguit ipsa Scripturæ loquendi ratio. Cum enim Cyro memorato addit opus fuisse intermissum usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum, nemo est profecto qui e vestigio non intelligat Darium hoc nomine primum: id enim statim venit in mentem: solus enim ille simpliciter ita appellari potuit: quivis autem alius, discriminis causa, quodam cognomine insigniretur. At hoc nomine primus, est Darius Hystaspis. Ergo.

Denique si Darius ille est Darius Nothus, Esdras certe in historia narrare omisit, quo in statu templum fuerit sub quinque regibus Persarum consequentibus. Atqui id incredibile & absurdum est. Cur enim alios memorasset, qui opus interturbassent, alios vero siluisset?

Probatur 2. omnium sive veterum sive recentiorum scriptorum consensione (si paucos a nobis memoratos exceperis) imprimis autem Josephi, *lib.* 11. *antiq. cap.* 4. Clementis Alexandrini *Strom. lib.* 1. Hieronymi *proleg. in Aggæum*; Theodoreti *proœmio in minores prophetas* &c.

Probatur 3. ex temporum ratione, quæ non patiuntur, ut Da-

rius

rius sub quo templum est absolutum, & Artaxerxes sub quo Esdras & Nehemias missi sunt, existimentur esse Darius Nothus & Artaxerxes Memoriosus. 1. Enim sub hoc Dario vivebant adhuc & populo præerant Zorobabel & Josue summus pontifex, *Esdræ cap.* 5. *v.* 2. &c. Jam vero iidem sub Cyro remeantium in patriam Judæorum duces fuerant, *cap.* 2. *v.* 2. At inter annum primum Cyri & secundum Darii Nothi intercedunt anni circiter 120. præter illos quibus postea vixerunt, & quibus ante vixerant. Quis autem putet tandiu illos simul imperasse, & tandiu vixisse, ea præsertim ætate, qua hominum vita jampridem imminuta erat? Saltem ambo tunc extremæ senectutis lineam attigissent. Atqui sub illo tamen Dario Zorobabel juvenis adhuc erat & regii corporis custos, ut patet ex libro 3. Esdræ *cap.* 3. *v.* 4. & *cap.* 4. *v.* 13. qui quidem liber, etsi canonicus non sit, antiquissimus tamen est, nec in historia mediocris auctoritatis. Ergo. 2. Quod adhuc est incredibilius, si quis Nehemiæ caput decimum cum duodecimo conferat, reperiet homines plures quam viginti, qui e Babylone una cum Zorobabele redierant, & post annum Artaxerxis vigesimum fœderi sub Nehemia inito subscripserunt. At ab anno primo Cyri ad annum vigesimum Artaxerxis Memoriosi, sunt anni 172. Proinde omnes illi ad 200. circiter annos vitam produxerunt. 3. Cum sub illo Dario templum ædificaretur, ita Judæos alloquebatur Aggæus cap. 2. v. 4. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* Proinde nonnulli tunc erant qui prius templum a Nabuchodonosore incensum conspexissent. Atqui inter prioris templi ruinam, & secundum Darii Nothi annum intercedunt anni circiter 200. Ergo ducentis & amplius annis illi necessario vixissent: quod nemo sibi persuadeat. 4. Esdras natus erat ante eversam a Nabuchodonosore Jerusalem. Esdras enim *cap.* 7. *v.* 1. dicitur filius Saraiæ pontificis. Saraias autem pontifex occisus est in Reblatha, cum Jerusalem capta est, 4. *Regum* 25. *v.* 18. *&* 21. At inter hanc Hierosolymorum cladem & annum septimum Artaxerxis Memoriosi, sunt anni circiter ducenti. Ergo totidem vixisset Esdras, quod fidem omnem superat.

Neque est quod Scaliger reponat nonnullos commemorari, qui tandiu vixerint. Ut enim istud concedamus, profecto hoc rarum est, & pauci hinc & inde intra multa secula tales in historia occurrunt: hic autem non pauci, sed longe plurimi, simul & eodem tempore admittendi sunt, qui ad eamdem vitæ diuturnitatem pervenerint: quod inauditum est, & exemplo caret.

Probatur 4. chronologicis septuaginta hebdomadum calculis. Ab anno enim secundo Darii Nothi ad Christum non intercedunt septuaginta hebdomades, hoc est anni 490. sed tantum anni 454. Multo autem pauciores sunt ab anno septimo aut vigesimo Artaxerxis Memoriosi.

Sed de toto hoc argumento consulendus est adversus Scaligerum Petavius *de doctrina temporum lib.* 12.

Objicies 1. Darius sub quo templum est absolutum, medius est inter

ter duos Artaxerxes; unum sub quo opus intermissum fuit, *Esdræ cap.* 4. *v.* 7. alterum a quo post opus absolutum Esdras est missus *cap.* 7. *v.* 1. Atqui Darius Hystaspis non est medius inter duos Artaxerxes, si quidem prior est Artaxerxe primo. Ergo is Darius non est Darius Hystaspis; sed Darius Nothus.

DISTINGUO majorem : medius est inter geminum Artaxerxem juxta Scripturæ loquendi rationem ; concedo : juxta profanorum scriptorum morem ita nominatos; nego. Aliter itaque Scriptura nominat Persarum reges; aliter profani scriptores. Juxta hos primus est Cyrus, secundus Cambyses, tertius Smerdis, quartus Darius Hystaspis, quintus Xerxes, sextus Artaxerxes Longimanus. At juxta Scripturas primus est Cyrus *Esdræ* 1. *v.* 1. secundus Assuerus *ibidem cap.* 4. *v.* 6. tertius Artaxerxes *ibidem v.* 7. quartus Darius *ibidem v.* 5. & 24. &c. quintus non nominatur; sextus autem dicitur Artaxerxes *cap.* 7. *v.* 1. Proinde Cambyses alio nomine vocabatur *Assuerus*; & Smerdis alio nomine *Artaxerxes* (quod *egregium bellatorem* sonat.) Neque vero id mirum, siquidem Smerdim Trogus *Oropastem* nuncupat, Ctesias vero *Tanioxarten*: quod non admodum ab Artaxerxis nomine distat. Atque adeo Darius Hystaspis juxta Scripturæ loquendi modum est medius inter duos Artaxerxes, licet juxta profanos scriptores quemlibet Artaxerxem antevertat.

OBJICIES 2. Zachariæ *cap.* 7. *v.* 12. ad annum usque secundum hujus Darii septuagesimus annus numeratur : ut & ad annum ejusdem quartum *cap.* 7. *v.* 3. Atqui ad Darium usque Hystaspis non possunt ullatenus numerari septuaginta anni. Vel enim illi ducerentur ab initio captivitatis Babylonicæ, vel a soluta captivitate, vel ab alio quopiam insigni eventu. At ab initio captivitatis sunt plures quam septuaginta anni; a soluta captivitate sunt pauciores : neque ullus est alius eventus a quo duci queant. Ergo is Darius non est Darius Hystaspis, sed Nothus, ad quem usque sunt septuaginta anni a tempore Xerxis, sub quo Judæi accusari & vexari cœperunt.

RESPONDEO septuaginta annos utrobique memoratos, esse septuaginta annos captivitatis Babylonicæ jam præteritos & fixos, (ut ex textu Hebræo liquet, ubi utrobique septuaginta anni leguntur; non autem septuagesimus annus) : non vero septuaginta annos currentes adhuc ab aliquo principio : id enim falsum esse colligitur ex eo quod tam anno quarto Darii, quam secundo, septuaginta anni numerentur. At si essent anni currentes, & secundus annus Darii fuisset septuagesimus annus, profecto quartus ejusdem Darii jam non esset septuagesimus, sed septuagesimus secundus.

ASSERTIO IV.

SEPTUAGINTA hebdomades Danielis ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani inchoandæ sunt.

PROBATUR 1. Danielis enim vaticinium duo postulat : primum ut

ab

ab eo tempore incipiat, quo edictum est latum de instauranda, ac mœnibus cingenda Jerusalem: alterum ut inde ad Christi usque baptismum & prædicationem sint hebdomades sexaginta novem, hoc est anni 483. & ad ipsius usque mortem hebdomades sexaginta novem cum media, id est anni 487. ita ut Christus anno ipso 487. in crucem sit actus. Namque juxta Angeli verba usque ad Christum ducem, id est ad tempus illud quo Christus ducis officio fungi cœperit, debebant esse hebdomades septem & sexaginta duæ. Post hæc vero Christus una hebdomada hoc est septuagesima seu ultima, confirmaturus erat pactum seu evangelium prædicaturus, ita ut in medio ejusdem hebdomadis occidendus foret, & sacrificia vetera abrogaturus. Ab eo itaque anno inchoandæ sunt septuaginta illæ hebdomades, in quem conveniunt duo prædicti characteres. Atqui talis est annus vigesimus Artaxerxis Longimani.

1. Enim Artaxerxes hoc anno edictum tulit de instauranda ac mœnibus cingenda Jerusalem, quemadmodum habetur Nehemiæ *capite* 2. integro; sed præsertim *v.* 8. Ergo.

2. Ab hoc anno ad Christi usque baptismum seu prædicationem sunt anni 483. expleti, & ad Christi usque mortem sunt anni 486. ita ut pactum confirmare cœperit initio septuagesimæ hebdomadis, hoc est anno 484. & mortem oppetierit in medio ejusdem hebdomadis, hoc est anno 487. quod juxta quadruplicem a nobis *supra* adhibitam chronologiæ rationem demonstrari facile potest.

1. Enim annus Artaxerxis vigesimus cadit in annum periodi Julianæ 4260. Christi baptismus in annum ejusdem periodi 4743. mors autem Christi in annum ejusdem 4746. Atqui ab anno 4260. (si ipsum includas, ut fieri debet ac solet) ad finem usque anni 4742. sunt anni 483. expleti, hoc est hebdomades sexaginta novem, & ad finem usque anni 4745. sunt anni 486. pariter expleti. Ergo cum Christus baptizatus est anno 4743. & eodem anno prædicare cœpit, jam effluxerant hebdomades sexaginta novem: ultima autem ineunte, hoc est anno 484. ducis officio fungi & pactum confirmare aggressus est: & in medio ejusdem ultimæ hebdomadis, hoc est anno 487. ineunte, salutarem pro nobis mortem obiit; scilicet mense Nisan, seu Martio, anni vigesimi Artaxerxis, & periodi Julianæ 4260. Artaxerxes edictum tulit de instauranda ac mœnibus cingenda Jerusalem, ut notatur *Nehemiæ cap.* 2. Hebdomades ergo sexaginta novem desierunt in eumdem mensem anni 474. Itaque primus annus prædicationis Christi fuit idem ille annus 4743. periodi Julianæ: secundus annus fuit 4744. tertius fuit 4745. periodi ejusdem. Quarto autem ineunte, hoc est media hebdomade ultima seu septuagesima, id est anno ejusdem periodi 4746. Christus in cruce suffixus est, quod Angeli verbis ac vaticinio Danielis accuratissime respondet.

2. Idem ostendi potest ex annis mundi. Annus enim vigesimus Artaxerxis incidit in annum mundi 3550. baptismus Christi in annum mundi 4033. mors autem in annum 4036. Atqui ab anno 3550. ad annum

num 4033. exclusive, sunt præcise 483. anni, hoc est sexaginta novem hebdomades, & ad annum 4036. pariter exclusive sunt anni 486. ita ut 487. hebdomadum annus seu medius hebdomadis ultimæ cadat in hunc mundi annum 4036. quo mortuus est Christus. Ergo.

3. Nullo negotio idem confici potest ex calculis olympiadum. Olympiades enim singulæ sunt quatuor annorum : proinde 483. anni sunt centum viginti olympiades cum tribus insuper annis; 486. autem anni sunt centum viginti & una olympiades, & insuper duo anni. Jam vero annus Artaxerxis vigesimus cadit in annum tertium olympiadis 81. Ergo anni 483. hinc ducti debent desinere in finem anni primi olympiadis 202. & anni 486. debent desinere in annum quartum olympiadis 202. exeuntem. Porro hæc cum calculis nostris quadrant. Baptismus enim Christi confertur in annum secundum olympiadis 202. & mors ipsius in annum primum olympiadis 203. aut potius quoniam anni olympici ab æstiva tempestate initium ducebant, Artaxerxes autem mense Martio anni vigesimi edictum tulit, & Christus pariter baptizatus & mortuus est ante æstatem, si accurate ratiocinari voluerimus, annus ille vigesimus Artaxerxis cadet proprie in annum secundum olympiadis 81. atque adeo baptismus Christi in annum primum olympiadis 202. & mors ipsius in annum quartum ejusdem olympiadis, quo reipsa Phlegon Adriani imperatoris libertus scripsit olim accidisse insolitam illam & extraordinariam solis eclipsim, quam moriente Christo contigisse referunt Evangelistæ. De quo videndus auctor *chronici Alexandrini*. 4. Denique idem confici potest, si rationes nostras ad æram Christi vulgarem exegerimus. Annus enim vigesimus Artaxerxis est ante hanc æram 454. Christus autem baptizatus est anno 30. ejusdem æræ, hoc est post annos 29. ejusdem æræ expletos; mortuus est vero anno ejusdem æræ 33. hoc est, post expletos annos triginta duos. Atqui si ad annos 454. addas 29. conflent anni 483. si autem addas 32. conflent anni 486. quos quærimus. Ergo.

PROBATUR 2. Patrum veterum testimonio, nempe Julii Africani, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, Bedæ, Ruperti &c. de quo Pererius *in Danielem*, & Torniellus anno 3069. *num.* 4.

OBJICIES 1. Ista sententia falso nititur principio, nempe annum Artaxerxis Longimani vigesimum incidere in annum periodi Julianæ 4260. & in annum tertium olympiadis 81. Id autem verum esse non potest, nisi Artaxerxes regnum inierit anno 4241. periodi Julianæ, & anno quarto olympiadis 76. Atqui Artaxerxes regnare tunc non cœpit. Xerxes enim regnavit viginti & amplius annis, ut scriptores perhibent; regnare autem cœpit anno periodi Julianæ 4229. & anno quarto olympiadis 73. Ergo non potuit regnum inire Artaxerxes, ejus filius & successor, anno periodi Julianæ 4241. & olympiadis 76. anno quarto: alioqui Xerxes regnasset duntaxat duodecim annos.

NEGO minorem. Revera enim Artaxerxes regnare cœpit anno periodi

riodi Julianæ 4241. & anno quarto olympiadis 76. quod facile conficitur. Scribit enim Eusebius *in chronico* Themistoclem ad Persas consugisse anno quarto olympiadis 76. Thucydides autem, auctor coætaneus, asserit Themistoclem consugisse " Ad Artaxerxem re„ gem, qui nuper regnare incœperat. " Ergo in hoc tempus conjiciendum est initium regni Artaxerxis; sive duodecim tantum annos regnaverit Xerxes, eoque mortuo regnum duntaxat inierit Artaxerxes, sive a Xerxe adhuc tum regnante Artaxerxes pro regum Persarum more in imperii consortium ascitus fuisset: de quo legendi sunt Petavius *lib.* 12. *de doctrina temporum*, *cap.* 25. Huetius *propos.* 9. *cap.* 8. Lancellotus *cap.* 21.

Objicies 2. Nehemias vixit ad tempora usque Alexandri Magni. Atqui si Artaxerxes, a quo ipse missus est, Longimanus foret, ad hanc usque ætatem vitam producere non potuisset. Anni enim 120. & amplius intercedunt inter Artaxerxem & Alexandrum Magnum, quibus addendi forent anni quos ad Artaxerxem usque vixisset Nehemias; non enim ab eo missus est, nisi adulta ætate. Ergo vixisset circiter 150. annos; quod incredibile est.

Respondeo tam varia in Scripturis, & in speciem opposita, de Nehemia referri, ut in iis conciliandis mirum in modum eruditi torqueantur.

1. Enim Nehemias inter eos populi duces recensetur, qui sub Cyro cum Zorobabel in Judæam ascenderunt, *Esdræ* 2. *v.* 2. *&* *Nehem.* *v.* 7.

2. Nehemias contrà, velut ignarus earum rerum, quæ sub Cyro tunc contigerant, exquirit quinam eo tempore in Judæam ascendissent, & in libro reperit, *Nehem.* 7. *v.* 5.

3. Nehemias vixisse videtur usque ad tempora Darii Codomani ab Alexandro Magno devicti. 1. Enim ipse *cap.* 12. *v.* 11. mentionem facit Jeddoæ pontificis: is autem est Jaddus qui Alexandro Magno obviam iit ex Josepho *lib.* 11. *antiq. cap.* 8. 2. Idem Nehemias *ibidem* *v.* 22. testatur Jeddoam reipsa pontificem fuisse in regno Darii Persæ, qui non est alius ab ultimo rege Persarum. 3. Idem *ibidem* *v.* 26. de Jeddoa & aliis loquens, *hi*, inquit, *in diebus Nehemiæ ducis & Esdræ sacerdotis scribæque*. 4. Nehemias *cap.* 4. *v.* 1. quemdam commemorat Sanaballetem Judæis infensum. Is autem ex Josepho *ibidem* cum 8000. armatorum hominum suppetias tulit Alexandro Magno Tyrum obsidenti. 5. Nehemias *cap.* 13. *v.* 28. meminit unius e filiis Jojadæ pontificis, qui gener erat ejusdem Sanaballetis. Is autem ex Josepho *ibidem* erat Manasses, Jaddi pontificis frater. Namque Jeddoæ apud Nehemiam & Jaddi apud Josephum iidem sunt parentes ac majores: atque adeo unus idemque est Jaddus & Jeddoa.

4. Sacerdos Nehemias vocatur, *Nehem.* 10. *v.* 6. *&* 2. *Mach.* 1. *v.* 21 juxta vulgatum interpretem.

5. Nehemias contra e tribu Juda fuisse scribitur ab Eusebio & Cedreno. 6. Ne-

6. Nehemias appellatur filius Helchiæ, *Nehem.* 1. *v.* 1. At *cap.* 12. *v.* 1. dicitur filius Hachelai, *capite* autem 3. *v.* 16. appellatur filius Azboch.

Ex his omnibus variæ enatæ sunt opiniones.

Prima est, quæ ait eumdem esse Nehemiam, qui jam grandior sub Cyro in Judæam redierit, & ad tempora usque Alexandri Magni vixerit.

Secunda, eumdem esse, qui sub Cyro & Artaxerxe Longimano vixerit; Darium autem Persam, ad cujus tempora vitam produxit, esse Darium Nothum, non Codomanum: proinde alium fuisse Sanaballetem, de quo Nehemias; alium de quo Josephus: alterum filium Jojadæ, de quo Nehemias; alterum Manassem, de quo Josephus, licet hic ista non distinxerit.

Tertia, eumdem esse Nehemiam, & Darium ibi memoratum esse Darium Codomanum. At quæ apud Nehemiam referuntur de his Darii temporibus, non esse ab ipso Nehemia scripta, sed ab alio post ipsius mortem, ejusque libro inserta.

Quarta duplicem Nehemiam distinguit; unum sub Cyro sacerdotem; alterum sub Artaxerxe filium Helchiæ seu Azboch, & populi ducem, qui ad tempus usque Darii Codomani vixerit.

Quinta triplicem secernit Nehemiam, unum sub Cyro, duos sub Artaxerxe; alterum filium Azboch, alterum filium Helchiæ, & populi ducem.

Jam ut mentem nostram super his aperiamus.

1. Dicimus Nehemiam, qui sub Cyro in Judæam ascendit, esse alium ab eo, qui sub Artaxerxe Hierosolymam instauravit & dux populi Judaici tunc fuit, ac postmodum usque ad tempora Darii Codomani vixit. 1. Enim obstat longius temporis intervallum sic enim ad 220. annos aut amplius Nehemias vitam produxisset. 2. Reipsa Nehemias dux, utpote ab ætate Cyri remotus, ex libro quæsivit ac reperit, qui sub Cyro in Judæam ascenderant, quod ante ignorabat, *Nehem.* 7: *v.* 5.

Nec his officit, quod tempore Cyri fuerit Athersatha *cap.* 2. *v.* 63. quod nomen est Nehemiæ *cap.* 8. *v.* 9. & 10. *v.* 1. & quod isti Athersathæ eadem verba ascribuntur sub Cyro, quæ postea apud ipsum Nehemiam referuntur *cap.* 7. *v.* 65. Nam *Athersatha* nomen est Chaldaicum & commune quod *præfectum* sonat; proinde Athersatha, qui sub Cyro memoratur, est Zorobabel, non Nehemias. Si autem Nehemias foret, duplex nihilominus Nehemias, duplexque variis temporibus Athersatha extitisset. Cæterum verba, quæ Athersathæ sub Cyro tribuuntur, leguntur quidem *Nehem.* 7. *vers.* 65. sed non idcirco Nehemiæ ipsi ascribuntur. *Capite* enim 7. *Nehemiæ* quoad ista mera est repetitio *capitis* 2. *Esdræ.* A Nehemia itaque verba referuntur, sed tanquam ab alio longe ante dicta.

2. Exi-

2. Existimamus Nehemiam qui sub Artaxerxe in Judæam venit, fuisse sacerdotem. 1. Enim id significat Nehemiæ libri series. 2. id asseritur a vulgato interprete 2. *Mach.* 1. *v.* 21. 3. Nehemias qui sacerdos dicitur *cap.* 10. *v.* 8. is erat Nehemias filius Hachelai & Athersathæ. At Nehemias auctor & populi dux erat quoque Athersatha *cap.* 8. *v.* 9. & filius Helchiæ, seu, ut hebraice est, Hachelai, *Nehem.* 1. *v.*1. Ergo unus idemque est Nehemias *cap.* 1. *v.* 1. *&* *cap.* 10. *v.* 1. *&* 8. memoratus. Proinde sacerdos fuit. Eusebium vero & Cedrenum contra disertum Scripturæ testimonium non moramur.

3. Nehemias filius Azboch *cap.* 3. *v.* 16. alius fuisse videtur a Nehemia duce. 1. Enim id satis arguit sermonis tenor. 2. Diversæ sunt utriusque dignitates. 3. Diversi parentes. At iste filius Azboch potuit esse ille Nehemias qui numeratur inter principes sub Cyro; sicque duo tantum essent Nehemiæ.

4. Nihil est incommodi, si Nehemias, qui ab Artaxerse anno vigesimo regni missus est in Judæam, putetur vixisse ad tempora usque Darii Codomani, vel etiam Alexandri Magni. Nam inter annum vigesimum Artaxerxis Longimani, & primum Darii intercedunt tantum 118. anni, & ad Alexandrum Magnum 124. At juvenis admodum missus est ab Artaxerxe. Erat enim ipsius pincerna. Ad illud autem munus juvenes assumuntur. Quidni autem vivere potuerit annos 136. aut 140. Certe non ita multo ante Jojada pontifex 130. annos vixerat: *Paralip.* 24. *v.* 15. Quin etiam posterioribus temporibus non defuere, qui tamdiu vixerint. Vide Plinium *lib.7.* Phlegontem, Trallianum, Scaligerum *lib.6. emendat. temporum*, Usserium *ad calcem annal.* Tillemontium *in Vespasiano* &c.

SECTIO III.

De Aggæi & Malachiæ vaticiniis.

CUM Judæi in patriam reversi templum denuo conderent, quod ipsis pro tenuitate longe infra antiquum, & magnificum Salomonis templum esse videbatur, ideoque animo desponderent, ad eos erigendos, & consolandos Deus iis polliceri dignatus est istud idem templum, quod extruendum susceperant, longe majori quam prius templum gloria donandum fore, eo quod nempe Messias tantopere exoptatus sua illud præsentia brevi condecoraturus esset. Ut autem hoc Judæis declararet, duos ejusdem ætatis prophetas adhibuit.

Primus est Aggæus, apud quem Deus *cap.* 2. *vers.* 7. sic loquitur. *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria; dicit Dominus exercituum, Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit*

gloria

gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus exercituum & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Secundus vero Malachias, apud quem Deus cap. 3. v. 1. *Ecce ego*, inquit, *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis: Ecce venit dicit Dominus exercituum.* Quæ cum ita se habeant, jam quæritur, an ex iis oraculis probari queat adversus Judæos, Messiam jam pridem advenisse.

ASSERTIO.

Ex his vaticiniis efficax colligitur adventus Messiæ jam præteriti argumentum.

PROBATUR. Messias illic promittitur venturus stante adhuc eo templo, quod Judæi tunc excitabant. Atqui jam diu est, ex quo templum illud dirutum est, & solo æquatum. Ergo jam diu est, ex quo Messias venit.

Minor propositio constat: major autem duas habet partes breviter, & sigillatim demonstrandas.

Prima itaque pars, qua asserimus illic de Messia venturo verba fieri, duobus momentis astrui potest.

Ac primo quidem ex ipso vaticinii contextu. 1. Enim exordium Aggæi magnificum indicat ea de re sermonem haberi, quæ omnium maxime in votis esset Judaicæ genti, hoc est de Messia. 2. Hoc ipsum arguunt tres illius, qui ibi prænunciatur, characteres, quod nempe futurus esset expectatio gentium, pacis auctor, & fœderis novi Angelus: hi enim sunt totidem Messiæ tituli. Messiam quippe fore gentium expectationem, clamant Jacob *Genes.* 49. *v.* 10. Isaias *cap.* 2. *vers.* 2. &c. Eumdem futurum esse pacis principem prædixerant Isaias *cap.* 9. & Michæas, *cap.* 2. *v.* 5. novum autem fœdus ab eo sanciendum esse præcinunt Isaias *c.* 42. *v.* 6. Jeremias, Daniel, &c. 3. Denique Messiam ostentant res istis oraculis expressæ. Quis enim alius fingi queat, qui a captivitate Babylonica ad Titum usque fuerit simul & templi secundi decus, & spes cunctarum gentium? Quis alius præter Messiam esse potest Angelus ille testamenti tantopere expetitus, quem brevi in hoc idem templum venire oportebat? Quis alius fingatur, quo adventante cœlum & terra cæteraque elementa concussa sint, nisi Messias, cujus miracula varia his verbis describuntur? Unde nisi ex Messiæ præsentia, major illa quæ futura erat templi secundi præ primo gloria? cum secundum illud longe minus magnificum fuerit, & insuper ei defuerint multa, eaque maxima templi prioris ornamenta, nimirum urim & tummim, arca & tabulæ fœderis, virga Aaron, ignis cœlestis, oleum divinæ unctionis, & Spiritus sanctus, ut Judæi ipsi agnoscunt, & nos *supra* ex parte notavimus, de quo etiam legi pos-

possunt Hoornebeck *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 157. & Huetius *prop.* 9. *cap.* 8. *num.* 2. Tandem quænam erit ista pax hujus templi præ antiquis temporibus futura, quæ splendidis adeo verbis hic promittitur? quænam erit, inquam, ista pax præter Messiam, qui princeps est pacis? Nemo enim ignorat quam sæpe violatum fuerit templum hoc secundum, scilicet a Seleuco, Antiocho, Pompeio & Tito: quam dira regnarint per illud temporis spatium, ortis innumerabilibus sectis schismata: quæ crudelia bella Judæos interea vexarint; ac tandem oppresserint. Cum ergo hæc omnia de alio quam de Messia exponi nequeant, quid restat, nisi ut eum jam pridem advenisse Judæi confiteantur?

2. Ex consensione Judæorum, qui ex hoc Aggæi loco aliisque prophetarum vaticiniis collegerunt Messiam templo secundo stante venire debuisse: ita Achibas eximius eorum secundo seculo doctor, ut habetur *in sanhedrin*, *cap.* 8. Targum *in Canticum Canticorum cap.* 7. & 8. Echa Rabbati, R. Joseph. *in sanhedrin*, Aben Ezra, & Maimonides *in epistola* quam edidit Vorstius. Hoornebeck *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 152. Huetius *propos.* 9. *cap.* 8. *num.* 2. Galatinus *lib.* 4. *cap.* 9. Turretinus *quæst.* 1. *num.* 27.

Jam vero secunda pars, quod nempe illic agatur de secundo templo, manifesta est ex ipsis Aggæi verbis: hoc enim evidenter significat pronomen illud demonstrativum, toties repetitum, *istam*, *istius*, & *isto*: ista quippe postulant, ut de eo templo vaticinium intelligatur, quod ante oculos & prophetæ & Judæi habebant, hoc est de illo quod tum temporis extruebant.

Objicies 1. cum R. Salomone Jarchi, R. David Kimchi, R. Manasse & aliis. Quæ major domus secundæ præ prima juxta prophetam gloria futura erat, ea potest ex triplici alio capite, quam de Messia repeti: ac 1. quidem, quod decem annis prima diutius steterit: 2. quod longe potiori in pretio fuerit apud extraneos principes, & ab iis fuerit splendidioribus donis cumulata: 3. quod longe magnificentior ab Herode facta sit, quam sub Salomone unquam fuisset. Ergo &c.

Nego antecedens: nemo enim non videt quam leve sit, quamque Deo indignum ut in rebus modo memoratis, tam tenuibus, tam caducis, suam ac templi gloriam collocet. Quid enim illud est tantillum temporis spatium, ut idcirco templum secundum primo esse præferendum tam magnifice prædicetur? An non Deus ipse perspicue indicat se in ejusmodi rebus futilibus, auro, argento, donisque gloriam istam non constituere: sed in uno Messia qui Israelitarum decus foret? ait enim, *Meum est argentum*, *meum est aurum* &c. quasi diceret; hæc quidem omnia mea sunt, hisque pro arbitrio ornamentis templum hoc secundum illustrare ac ditare possem; sed aliud longe illustrius meditor ejusmodi templi ornamentum: veniet enim brevi desideratus cunctis gentibus, qui templum hoc præsentia sua condecoraturus est. Jam vero falsum est, quod ajunt, Herodis templum fuisse Salomonico magnificentius. Quale enim oportuit esse templum illud, quod a Salomo-

ne regum omnium sapientissimo ac ditissimo constructum fuit? An Herodis templum ei comparari potest, cujus pars interior tota erat auro obducta, & omnis supellex aurea, 3. *Reg.* 6. *v.* 7. Certe cum hæc singula consideraſſet Abravanel *in Aggæum*, candide simul & erudite confeſſus est templum secundum priori non posse æquiparari. Sed ista omnia quæ Judæi hic fingunt, concedantur; an vero qualiacunque ornamenta hæc antecellunt arcæ, Dei præsentiæ, Spiritus-sancti majestati, aliisque mox recensitis, quæ cum templo Salomonico adeſſent, secundo defuerunt? An ista talia sunt, ut propterea Deus declararet se commoturum cœlum & terram, & mirabilia facturum? Denique adhuc supereſſet inquirendum, quisnam ille desideratus cunctis gentibus, qui in templum hoc, tanquam suum, & quidem ut Dominus, ut Angelus fœderis eſſet venturus, qui præcursorem habiturus eſſet Eliam qui tantopere a Judæis quærebatur & expectabatur? Quis enim hic alius, quam Meſſias foret?

Objicies 2. cum R. Abravanel *in Aggæum*, & Manaſſe *lib.* 3. *de resurrec. cap.* 5. Aggæi verba poſſunt intelligi de tertio templo, quod in diebus Meſſiæ ad mundi finem construendum est. Ergo ex his colligi non potest Meſſiam jam adveniſſe.

Nego antecedens. Nihil enim unquam fingi potuit, quod Scripturæ magis aut apertius repugnaret, cum Aggæus non semel, sed bis & iterum domum illam demonstret, quam Judæi tunc temporis excitabant. 2. Ex Daniele jam vidimus templum hoc secundum ita esse a Tito evertendum, ut nullum aliud deinceps eſſet expectandum: quod quidem adeo verum est & indubitatum, ut cum ôlim Judæi a Juliano apostata in odium Christianæ religionis impetraſſent templi illius iterum ædificandi facultatem, multis prodigiis impediti, & erumpentibus e terra flammis, ab opere deterriti fuerint, ut narrant non modo sancti Patres coætanei, v. g. Chrysostomus adversus Judæos, sed etiam scriptor ethnicus, qui sub eodem Juliano meruit ac floruit, Ammianus Marcellinus *lib.* 3. *hist.* 3. Hoc dictum est a Deo apud Aggæum ad solandos Judæos qui templum secundum extruebant. At nihil solatii acceſſiſſet istis Judæis, si ipsius verba de alio templo, & quidem sub mundi finem duntaxat futuro intelligerentur. 4. Hæc verba de secundo templo acceperunt R. David Kimchi, R. Hazana, & magna pars veterum, teste Manaſſe libro *de termino vitæ*.

Objicies 3. Christus Dominus non intravit in hoc secundum templum, quod ab Herode dirutum fuerat, sed in tertium quod ab eodem Herode de integro reædificatum est.

Respondeo templum hoc Herodianum hominum tunc temporis viventium judicio ac postea habitum fuiſſe idem cum Zorobabelico, seu secundo templo, quod non simul ac semel, sed per partes, cum diruerentur veteres ædes, constructum fuerit, super iisdem fundamentis maxima saltem ex parte. Nam ablatis veteribus fundamentis nova esse

sub-

substituta narrat Josephus, quod de quadam fundamentorum parte intelligendum est. Alii enim scriptores testantur multa ex præcedente templo semper mansisse: de quo vide Baronium *in apparatu*, Willalpandum *in Ezech. Tomo* 2. *pag.* 2. *lib.* 5. *disput.* 4. Cornelium a lapide *in Aggæum & Joann.* 2. Hoornebek *lib.* 2. *contra Judæos cap.* 1. *pag.* 164.

SECTIO IV.

De variis signis & indiciis ex quibus colligi potest Messiam advenisse.

His quæ hactenus explicuimus, præcipuis Messiæ adventus argumentis, nonnulla alia adjungenda sunt ex Scripturis petita, quibus subnectemus ea, quæ Judæi nobis opponunt, ut huic disputationi finem imponamus.

ASSERTIO.

Multa alia Scripturæ nobis suppeditant præteriti jam Messiæ adventus testimonia & indicia certissima, quibus alia accedunt e Judæorum traditione, confessione, & statu deprompta.

ARGUMENTA.

Probatur 1. ex signis quæ Scripturæ nobis sufficiunt.

1. Enim Messias venturus erat intra quatuor nobilissimorum orbis imperiorum, hoc est Assyrii, Persici, Macedonici & Romani tempora. *Danielis* enim *cap.* 2. cum quatuor illa imperia Nabuchodonosori ostensa essent sub imagine statuæ cujusdam prægrandis, Messias vero sub imagine lapidis, qui abscissus de monte sine manibus factus esset mons magnus, qui impleret universam terram, *versu* 44. sic ejusdem Messiæ regnum describitur. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Dominus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Quod idem *cap.* 7. post adumbrata quatuor bestiis variis eadem imperia, clarius adhuc exponitur versu 13. & seq. *Aspiciebam in visione noctis*, inquic, *& ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur .... Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usque in seculum, & seculum seculorum.* Quæ quidem Messia esse intelligenda res ipsa arguit. Quis enim alius tum temporis sibi subjecit orbem terrarum? Quis subditos habuit

ejus generis, ut ſinguli & ſancti ſimul & reges totidem forent? Atque hoc ingenue confitentur Judæi doctores *in Breſchith rabba*, & *Midraſch tehillim*, Aben-Ezra, R. Salomo, Saadias, R. Levi ben-Gerſon, Joſephus Jacchiades. Huetius *propoſ. 7. num. 20. prop. 9. cap. 4. num. 8. pag. 346.* aliique vulgo, ita ut exinde commune illud effatum prodierit, vigente ſcilicet imperio Idumæorum (ſeu Romanorum) venturum eſſe Meſſiam. Huetius *prop. 9. cap. 8. num. 4.*

2. Meſſias in lucem prodire debuit ante populi Judaici rejectionem & diſperſionem; cum utraque ob Meſſiam non receptum eſſet eventura. Pſalmo 68. v. 25. *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet, quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Iſaiæ 2. v. 2. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, ... & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, ... quia de Sion exibit lex* (nova), *& verbum Domini* (evangelii) *de Jeruſalem .... Projeciſti enim populum tuum, domum Jacob.* Ibidem, cap. 8. v. 14. de Meſſia, *Erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* Ibidem, cap. 28. v. 14. de eodem Meſſia, *Audite verbum Domini, viri illuſores; .... Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum: ... & ... eritis .... in conculcationem.* Et Danielis 9. v. 26. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt: & civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo.* Oſee c. 3. v. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim*: quæ illuſtrantur ex Zachariæ *cap. 13. v. 6.* ubi de Meſſia pariter ſermo eſt: *Et dicetur ei, Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, ... dicit Dominus exercituum; percute paſtorem, & diſpergentur oves &c. ... Ecce venient dies Domini, & dividentur ſpolia in medio tui, & congregabo omnes gentes ad Jeruſalem in prælium, & capietur civitas, & vaſtabuntur domus.* Vide Ligfoot, *in harm. evang. ſect. 9. tom. 1. pag. 332. cap. 1.*

3. Eumdem Meſſiam apparere oportuit ante idololatriæ extinctionem & gentium omnium ad verum unius Dei cultum futuram vocationem; cum ambæ Chriſti adventus effecta eſſe debuerint. Geneſis ca. 12. v. 3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*, ibidem 17. v. 5. c. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium.* Pſalmo 2. v. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſ. 22. v. 30. 47. v. 8. 9. & 10. 67. v. 32. & 33. 109. v. 2. 3. & 4. Iſaiæ 2. v. 1. 11. v. 10. *In die illa* (erit) *radix Jeſſe qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* 31. v. 7. *In die illa abjiciet vir idola*

argen-

argenti sui & idola auri sui. 42. v. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum : . . . . . judicium gentibus proferet, ... & legem ejus insulæ expectabunt . . . . Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium* . Ibidem 49. v. 1. *Audite insulæ, & attendite populi de longe . . . . Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, 54. v. 1. 55. v. 4. & 5. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Ibidem 60. v. 3. *Et ambulabunt gentes in lumine tuo*. Aggæi 2. v. 8. *Et veniet desideratus cunctis gentibus*. Zach. 2. v. 11. *Applicabuntur gentes multæ ad Dominum, in die illa*. Ozee 1. v. 10. Joelis 2. v. 28. &c.

Atqui tria hæc evincunt jam præteriisse tempus adventus Messiæ, atque adeo ipsum venisse. 1. Enim postremum e quatuor regnis a Daniele memoratis, aut Græcorum est aut Romanorum, ut in confesso est apud omnes interpretes. Et quidem Romanorum, ut fert opinio probabilior. Atqui jamdudum extinctum est florentissimum olim, sive Græcorum, sive Romanorum imperium. Ergo cum florente hoc quarto imperio venturus esset Messias, profecto jam venit. 2. Rejecti sunt, reprobati sunt & per omnem terram dispersi Judæi. 3. Omnibus passim gentibus vera jam religio innotuit. Ergo.

PROBATUR 2. aliis e Judæorum doctrina, confessione & statu ductis argumentis.

1. Enim juxta Judæorum traditionem antiquam Messias venturus erat post annorum quatuor millia a condito mundo. Sic quippe Thalmud *in Sanhedrin*, *cap.* 11. " Traditio domus Eliæ, inquit, sex mille „ annis durabit mundus : bis mille annis inanitas & vastitas: bis mil„ le annis lux : bis mille annis dies Messiæ. " quod illustrans R. Manasse *lib.* 3. *de resurr. cap.* 3. " Dividit mundi durationem, inquit, in „ tres ætates, tribuens unicuique ætati bis mille annos. Considerans „ autem homines usque ad Abrahamum . . . . absque lege vixisse, vo„ cat illud tempus tohu, id est vacuum & inane : ab Abrahamo vero „ usque ad Messiam, qui sensum legis & mysteria illius docebit, inter„ vallum illud rursum facit bis mille annorum, ita ut elapsis quater „ mille annis illustris ac mirabilis dies exoriturus sit, quo Messias in „ has terras veniat. " De quo consule Hoornebek *lib.* 2. *cap.* 1. *argum.* 7. *pag.* 180. ubi multos Rabbinos idem docentes allegat ; Galatinum *lib.* 4. *cap.* 20. Huetium *propos.* 9. *cap.* 8. *num.* 1. Ligfootum *in horis hebraicis ad Matth. cap.* 2. *v.* 1. *tom.* 2. *pag.* 258. Atqui constat jam ab origine mundi propemodum elapsa esse sex annorum millia. Ergo a duobus fere annorum millibus venit Christus, quod nos contendimus.

2. Ita id apud Judæos aliosque populos pervulgatum olim fuit, ut reipsa circa hoc tempus, hoc est annum mundi quater millesimum, Messias ab omnibus expectaretur. Ita Simeon senex Lucæ 2. v. 25. *Expectabat consolationem Israel, & responsum acceperat a Spiritu-sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*. Sic illi, quos *ibidem v.* 38. alloquitur Anna prophetissa filia Phanuelis, *Expectabant consolatio-*

nem Israel. Hinc ubi prodire cœpit Joannes Baptista, omnes incessit hæc dubitatio an non esset Christus, *Joann.* 1. *v.* 15. *&* 19. Eamdem populorum expectationem exprimens Joannes ipse *Matth.* 11. *v.* 3. duos e discipulis suis misit a Christo sciscitaturos : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Etiamnum extat in libris Rabbinorum, doctores, qui paulo ante hæc tempora apud Judæos floruerunt, confessos esse Messiæ adventum imminere. Huetius *propos.* 9. *cap.* 8. *num.* 1. Hac denique spe innixi Judæi bellum adversus Romanos tunc temporis susceperunt, quæ ultimi Hierosolymorum excidii causa fuit, teste Josepho *lib.* 3. *cap.* 28. & *lib.* 7. *cap.* 31. *de bello Judaico*.

Hæc ipsa persuasio ad Samaritanos transierat. Mulier enim Samaritana Joan. 4. v. 25. *Scio*, inquit, *quia Messias venit, qui dicitur Christus*.

Quin etiam gentiles ipsos eadem opinio pervaserat. Suetonius enim „ *in Vespasiano*, *cap.* 4. " Percrebuerat, inquit, oriente toto vetus & „ constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum po- „ tirentur. " Eumdem vide *in Nerone cap.* 40. Huetius *prop.* 7. *num.* 32. Tacitus pariter *lib.* 5. *hist.* " Pluribus persuasio inerat, inquit, antiquis „ sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret „ Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. " Quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Quo referendum est quod ait Tullius *lib.* 2. *de divinat.* de Rege a Romanis suscipiendo, si salvi esse vellent, & quod cecinit Virgilius *ecloga* 4. de progenie e cœlo ventura, & aureo seculo mox reducendo.

Denique id adeo constans habebatur, ut cum nullus ante hanc ætatem se pro Messia venditasset, pseudo-Messiæ plures tunc eruperint, Herodes, quem a pluribus ut Messiam habitum fuisse plures narrant; Simon Magus & Dositheus Samaritani, qui id nominis apud suos affectarunt, teste Origene *lib.* 1. *contra Celsum*, Barchochebas, hoc est *filius stellæ*, qui cum Judæos implicuisset gravi bello, quo tandem oppressi sunt, Barchozab & Barchuzibah, hoc est *mendacii filius* deinceps appellari meruit: de quo vide Eusebium & alios apud Huetium *propos.* 7. *num.* 32. *&* 33. *prop.* 9. *cap.* 8. *num.* 2. Ligfootum *in harmonia evang. ad cap.* 3. *Lucæ v.* 15. *tom.* 1. *pag.* 322. & *ad Joan.* 4. *v.* 25. *ibidem pag.* 467. *& in evang. Matth. cap.* 2. *v.* 1. *tom.* 2. *pag.* 2. 8. & *in horis hebraicis ad cap.* 10. *Joan. v.* 8. *Ibidem pag.* 643. *col.* 2. *&* 644. *col.* 1. Galatinum *lib.* 4. *cap.* 21. Buxtorfium *in synagoga Judaica*, *cap.* 36.

3. Elapsum esse tempus a prophetis adventui Messiæ præstitutum ita patet, ut non pauci, nec infimæ notæ doctores eum reipsa jam advenisse confiteantur, quod illustrissimi Huetii verbis referre juvat. „ Fertur, inquit *prop.* 9. *cap.* 8. *num.* 1. ... in libris Rabbinorum, con- „ fessos esse majores ipsorum, qui temporibus Christo Jesu paulo su- „ perioribus vixerunt, Messiæ adventum imminere; qui non multo „ recentiores fuerunt, & templum exscindi viderunt, Messiæ tempus

„ jam

„ jam venisse. Sunt qui non alium quam Ezechiam fuisse velint: „ quam sententiam penitus damnari posse negat R. Josephus Albo in libro Iccarim. Tradit R. Salomo Iarchi asseverasse vetustos gentis „ suæ doctores jam venisse Messiam, eoque die esse natum, quo excisa Hierosolyma. Referunt R. Gedalias in catena cabalæ, & R. Azarias in lumine oculorum, quid ipsi de tempore adventus Messiæ, „ quid R. Bechai, quid R. Saadias, . . . quid . . . . R. Salomo Iarchi, quid R. Levi ben-Gerson; quid R. Abraham Hanasi, quid R. „ Moses Gerundensis, quid Abrabaniel senserint, quid & in libro „ *Zoar* proditum sit: ex quorum rationibus sequitur, jam id tempus „ esse elapsum. Quocirca in eodem libro *Sanhedrin* venisse quidem „ Messiam aiunt de Verporum grege nonnulli, ac Romæ inter ægros „ lepris laborantes latitare: . . . . quidam inter horti Eden delicias ævum agitare volunt cum Elia, &c.“ Quæ quidem etiam legere est apud Ligfootum *in horis hebraicis ad Matth. cap. 3. vers. 11. & Marci* 13. Hoornebeck *lib.2. cap. 1. pag.* 114. & 120.

4. Hujus rei ita conscii sunt omnes Judæi, ut diris jam devovere oleant qui adventus Messiæ tempora supputant. *In Thalmud cod. sanhedrin, cap.* 11. inquit R. Samuel verbis R. Jonathanis: INFLATA RUMPANTUR OSSA EORUM, QUI PERIODOS TEMPORUM COMPUTANT: Quod in proverbium apud Judæos abiit ex conscientia impleti temporis, quod Messiæ venturo fixum erat. Hujus autem celebratissimi effati meminit Petavius *lib. 16. de incarnat. cap. 6. num. 3.* Hoornebek *supra, pag.* 123. & 186. Ligfootus *in horis hebraicis, ad Matth. cap.* 2 *v.* 1. *tom.* 2. *pag.* 258. *col.* 1. & 2. Turretinus *quæst.* 1. *num.* 5. Buxtorfius *in synagoga Judaica cap.36.* quod sane evidens est desperatæ causæ argumentum.

5. Denique Messiam venisse jam, & a Judæis rejectum & occisum fuisse arguit miser ille, in quo a tot seculis gemunt vitæ ac servitutis status. Quid enim aliud clamat florentissimæ quondam reipublicæ clades tandiu perseverans, & populi Judaici e patria pulsi per omnes terras dispersio, sacris abolitis, civitate eversa, templo exusto, tribubus consusis, sine ulla spe reditus? Quæ alia causa esse potest, cur gentem hanc unice sibi quondam dilectam ita abjecerit Deus, præter nefandam Messiæ cædem? Hoc enim excepto scelere, nullum aliud assignari potest, cur gravius puniri debeant Judæi quam olim. Ex historia enim sacra discimus ipsos non semel idololatria quondam sese contaminasse. Quam autem pœnam ob tantum crimen Deus ab iis repetiit? Nempe eos e Judæa abstulit, & Babylonem in servitutem abduxit: sed ea captivitas septuaginta annorum duntaxat fuit. At ab eo tempore, & nunc ab omni idololatria, quæ summus est seculi reatus, ut Tertullianus ait, longe alieni sunt Judæi. Cur ergo non a septuaginta tantum annis, sed a mille sexcentis & amplius, jam pœnas luunt? Votis ac precibus suis cœlum quotidie pulsant: cur cœ-

lum idem tam ferreum est, & inclemens, ut ipsorum non misereatur? Hæc profecto si paulo attentius consideraret misera gens, peccatum, errorem, cæcitatem ac perfidiam suam nullo negotio agnosceret, de quo Hornebek *pag.* 191. & Turretinus *num.* 30.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Messiæ adventum præcedere debet Elias: Malachiæ cap. 4. vers. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Atqui nondum venit Elias. Ergo nec Messias.

DISTINGUO majorem: Messiæ adventum secundum; esto: primum; subdistinguo, præcedere debet Elias metaphoricus, hoc est Joannes Baptista, qui in spiritu & virtute Eliæ præcursor Christi fuit; concedo; Thesbites; nego. De secundo Messiæ adventu Malachiam agere innuunt hæc verba, *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Vulgata autem opinio est ante hunc adventum Eliam esse proditurum. At si is locus de primo adventu capiatur, tunc Elias intelligendus est, non ille Thesbites propheta, de quo tam frequens est in libris *Regum* mentio; sed alter figurate ita dictus, nempe Joannes Baptista: quomodo Christus ipse nodum hunc solvit *Matth.* 17. *v.* 12. Adde *cap.* 11. *v.* 14. *& Lucæ* 1. *v.*17.

OBJICIES 2. Messias debellaturus est Gog & Magog ex vaticinio Ezechielis *cap.*38. *&* 39. Atqui hoc nondum contingit. Ergo.

RESPONDEO 1. apud Ezechielem eo loci nullam fieri de Christo mentionem: quocirca nihil inde colligi potest. 2. Si hoc intelligeretur de Christo, tum his nominibus non gentes aliquas, sed idololatriam & falsorum numinum cultum intelligi oportere.

OBJICIES 3. Ex eodem Ezechiele *cap.*40. Messias instauraturus erat Jerusalem & templum. Atqui hoc nondum factum est.

DISTINGUO majorem: Jerusalem cœlestem, & templum mysticum; concedo: Jerusalem terrestrem & templum Salomonicum; nego. Rem explicat S. Joannes *Apoc.* 21. *v.*22.

OBJICIES 4. Messias venturus est duntaxat in novissimis diebus, in fine temporum *Isaiæ* 2. *v.* 2. &c. Ergo nondum venit.

RESPONDEO tempus post Messiæ adventum a prophetis nuncupari *finem temporum, & novissimos dies*, quia nempe omnia, quæ præcesserant tempora, in illud tempus tanquam finem suum tendebant: quæ enim antea fuerant, ea nonnisi umbræ & imagines erant, quæ per Messiæ adventum tanquam veritatem impleri oportebat. Omnia itaque ad illud usque tempus, velut in suspenso erant: iis vero finem attulit Messiæ adventus. Varius hucusque fuerat hominum status: is autem est omnium, qui in terris futuri sunt, novissimus & ultimus.

OBJICIES 5. Idem Isaias testatur *ibidem*, ætate Messiæ montem Domini exaltandum esse super omnes colles. RES-

Respondeo montem illum non posse sumi proprie : id enim fieri non posset : sed figurate accipi debere pro Ecclesia . Ipsimet Rabbini *in Breschith rabba* , & Aben-Ezra per montem illum intelligunt Messiam.

Objicies 6. Toti mundo pacem allaturus erat Messias , ut ex variis prophetarum vaticiniis liquet. Atqui nulla ejusmodi pax hactenus visa est, ergo.

Distinguo majorem : pacem spiritalem ; concedo : qualem mundus dat aut dare potest ; nego . Vide *Lucæ cap.* 12. *v.* 51. *Joannis cap.* 14. *&c.*

Objicies 7. Tempore Messiæ lux solis septuplo debet esse solito major , & lux lunæ instar lucis solis , *Isaiæ cap.* 30. *v.* 25. Atqui &c. Ergo &c.

Respondeo hæc ad litteram non posse sumi . 1. Enim hanc solis lucem septuplo majorem , quam esse soleat , nemo ferre posset . 2. Si luna instar solis foret , nullus esset nocti locus . 3. Sol & luna , ut piis, sic impiis communem lucem præbent : ibi autem agitur de felicitate , quæ pios ac sanctos manet. Ergo ista metaphorice debent intelligi de ubertate luminis , & notitiæ , quam allaturus erat Messias , de splendore gloriæ quam suis daret , de magnitudine lætitiæ qua sanctos erat cumulaturus . Hæc autem non ad litteram , sed figurate esse accipienda , multis momentis demonstrari facile posset : ac 1. quidem , quia multa id genus ad litteram reipsa sumi non possunt , quia natura ipsa repugnat : 2. quia alibi Scripturæ non pauca habent , quæ his videntur esse contraria : hinc Messias , v. g. describitur ut rex, qui totum orbem sibi sit subjecturus , alibi contra , ut pauper, ut vir dolorum , ut ignotus , & propter hominum scelera conterendus. Quomodo ista cohærent , si ad litteram sumantur ? 3. denique ipsimet Judæi sapientiores allegorias esse confitentur, Maimonides *in summa Thalmudis*, „ Hæc & alia similia, inquit, quæ de iis quæ ad Messiam pertinent , scripta „ sunt, allegoriæ sunt. " Turretinus *num.* 30.

Objicies 8. Messias quidem juxta prophetarum vaticinia jam venire debuit: sed ipsius adventus, propter Judaici populi peccata hactenus dilatus est. Ergo.

Nego antecedens . 1. Enim in his vaticiniis nullum est cujuslibet conditionis vestigium : fingere autem ad arbitrium non licet; alioquin nihil firmum in Scripturis aut stabile foret . 2. Hic non agitur de uno vel altero vaticinio , sed de omnium prophetarum fide ac religionis summa : nulla autem certitudo superesset , si in eo , a quo cuncta pendent , Deus ipse promissis suis non staret , præsertim cum omnia sigillatim , & ad ultimum usque apicem , prænunciasset . 3. Si quid aliud Deus Judæis promisit , v. g. ex Ægypto aut Babylone liberationem , id non legitur omisisse , aut distulisse propter peccata populi . Cur ergo idem non præstitisset in illa palmari promissione , quæ ad Mes-

Messiam spectabat? 4. Messiæ adventus non erat proprium Judaicæ gentis bonum, sed commune omnium gentium: proinde non debuit propter Judæos solos differri. 5. Si propter Judæorum peccata differri debuit, semper differretur: nunquam enim a peccatis immunis erit Judæorum populus. 6. Ipsimet Judæi ad Danielem, aiunt se a calamitatibus, quas nunc patiuntur, purgatos esse. Cur ergo non implentur vaticinia prophetarum, nec venit Messias? Cur nulla spei umbra ipsis superest? 7. Nedum Messiæ adventus differatur ob peccata, Messias venturus erat ad abolenda peccata. Causæ ergo sunt quadantenus cur veniat, nedum impedimento sint. Et vero Judæi ipsi confitentur Messiam venturum eo tempore esse, quo summa scelera futura sunt. Huetius *propos. 9. cap. 8. num. 13.* Turretinus *quæst. 1. num. 30.*

ARTICULUS II.

An evinci possit adversus Judæos Dominum nostrum Jesum esse verum Messiam.

ALTERUM istud est ac præcipuum nostræ cum Judæis controversiæ caput: posset enim quis arbitrari Messiam advenisse, nec tamen idcirco confiteri Dominum nostrum Jesum esse hunc Messiam. Et vero Hebræa gens variis modis delusa, multos alios identidem pro Christis amplexa est. Ut enim ex historia discimus pro Messia habitus est,

1. Herodes major a pluribus Judæis, qui ea de causa *Herodiani* in evangelio vocantur, ut quidem sentiunt non pauci veteres ac recentiores Scripturarum interpretes, de quo imprimis legendus est Serarius *in Herode*.

2. Paulo post Simon Magus & Dositheus, ambo Samaritani, qui insignem hunc titulum arrogare sibi non dubitarunt; ut post antiquiores perhibet Huetius *prop. 7. num. 33.*

3. Barchochebas, seu filius stellæ, qui ineunte secundo seculo bellum adversus Romanos movit, nixus illo nobili vaticinio Balaami Num. 24. v. 17. *Orietur stella ex Jacob*. Cum autem eo bello Judæi oppressi fuissent, ab iisdem dictus est *Barchuzibah*, seu *filius mendacii*; de quo Aristo Pellæus apud Eusebium *lib. 1. hist. cap.* 8. Justinus *in Apologia*; auctor Semath David, Seder Olam, Huetius *supra*; Hoornebeck *lib. 3. cap. 1. pag.* 209.

4. Judæus quidam Cretensis quinto seculo, qui se pro Mose jactabat, & suorum credulitati illudens, pollicebatur se eos per mare sicco vestigio in patriam reducturum: de quo Socrates *lib. 7. hist.* & Nicephorus *lib. 14. cap. 40.*

5. Judæus alter natione Syrus sub Leone Isauro: de quo ex Theophane Baronius *ad annum.* 721.

6. Plu-

6. Plures alii in Perside, Hispania & Gallia a Rabbi Maimonide, Benjamino Tudelensi, & auctore libri *Schebet Juda* memorati: inter quos præcipue claruit David El-David, qui belli adversus Persarum regem suscepti ac dementiæ suæ pœnas capite luit. Huetius *prop.* 7. *num.* 33. Hoornebek *lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 210.

7. Rabbi quidam Lemlem Germanus decimoseptimo seculo: cujus historiam promisit R. Joannes Isaac Levita apud Hoornebek *supra*.

8. Denique nostris fere temporibus eo stultitiæ venerunt Judæi, ut famosum Cromvellium pro Messia suscipere parati fuerint, si Juda prognatum esse deprehendissent: quod referunt postremi illius vitæ scriptores.

Quod cum ita sit non indiligenter in hanc partem incumbendum est. Duo autem vulgo adversus Judæos momenta afferuntur: primum ex veterum prophetarum vaticiniis cum historia Christi collatis: alterum ex Josephi Judæi scriptoris testimonio.

SECTIO I.

An ex veterum prophetarum vaticiniis demonstrari queat Dominum Jesum esse Messiam.

ASSERTIO.

DEMONSTRARI potest ex veterum prophetarum oraculis cum historia Domini Jesu collatis, ipsum esse verum ac Judæis promissum Messiam.

ARGUMENTA.

PROBATUR. Is haberi debet pro Messia, in quo impleta sunt omnia veterum prophetarum de Messia venturo vaticinia. Atqui in Domino nostro Jesu impleta sunt. Ergo is est verus Messias. Major est extra controversiam. Cum enim vaticinia a Deo quondam edita sint, ut Messias internoscatur, ex iis profecto dijudicandum est quis ille sit.

Minor autem facile ostenditur. Quæcunque enim de Messia prædicta sunt, ea spectant aut ad ejus ortum, aut ad ejus vitam, aut ad ejus mortem, aut denique ad tempus, quod illam mortem consecuturum erat. Ad ortum pertinet tempus, locus, origo, ac nascendi modus: ad vitam nomen, vivendi ratio, præcursor, & prædicatio evangelii: ad mortem, apparatus, sententia, supplicium: ad tempus post mortem consecuturum, sepultura, resurrectio, Judæorum rejectio, & vocatio gentium.

De

De ortu Messiæ.

DEBEBAT ergo ex antiquis vaticiniis Messias,

1. Venire cum auferretur sceptrum e Juda, *Genesis* 49. *v.* 10 cum septuaginta hebdomades annorum ab instauratis post captivitatem Babylonicam Hierosolymis, jamjam essent absolvendæ, *Danielis* 9. *v.* 24. cum staret adhuc templum secundum, *Aggæi* 2. denique intra quatuor nobilissimorum orbis imperiorum tempora; *Danielis* 2. *v.* 44. 7. *v.* 13. &c.

2. E Bethleem prodire, Micheæ 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus a diebus æternitatis, & erit iste pax.* Quæ quidem geminam Christi generationem ac nativitatem exprimunt, & ad Messiam veteres Hebræi retulerunt, ut liquet ex Matthæi *capite* 2. *v.* 5. & *Joan.* 7. *v.* 42. Hos autem veteres secuti sunt paraphrastæ Chaldæi & Thalmudici *in sanhedrin capite ultimo*, & *de Paschate cap.* 10. Enimvero nullus præter Messiam cogitari potest, qui Bethleem natus, & egressus a diebus æternitatis, pax mundi fuerit.

3. E semine Jesse & Davidis oriri, Isaiæ 2. v. 1. *Orietur virga de radice Jesse:* Jeremiæ 23. *v.* 5. *&* 6. & *cap.* 33. *v.* 15. *Joan.* 4. *v.* 42. quod ipsum confitentur Jonathan paraphrastes, Thalmudici doctores, Rabbam, Salomon, Iarchi &c.

4. E virgine nasci. Cum enim Rasin & Phacee reges Syriæ & Israelis obsiderent Jerusalem, sibique ac populo valde timeret Achaz rex Judæorum, Isaias jussu Dei ad regem accedens cum parvulo filio, qui in signum natus fuerat, jussit metum deponere. Ut autem fiduciam instillaret, alicujus sive e cœlo sive e terra signi optionem regi obtulit: sed cum Achaz impie signum recusasset, & multæ adhuc essent fidelium reliquiæ, ad horum solatium ita loquitur Isaias cap. 7. v. 14. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo* (hebraice halma) *concipiet & pariet filium, & vocabit nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum: quia antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum.* Quod profecto oraculum de Messia & virgine proprie dicta intelligendum est.

Ac de Messia quidem. 1. Enim agitur de puero qui futurus erat Emmanuel, id est Deus nobiscum, quod in alium, quam in Messiam competere non potest. 2. De eo cujus esset terra Israelitarum cap. 8. v. 8. *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.* Quod iterum soli Messiæ ac Deo congruere potest. 3. Is ibi prædicitur, cujus nativitas foret prorsus admiranda: datur enim in signum toti domui Israel ab ipso Deo, & quidem in signum quoddam insolitum ac singulare: hoc enim arguunt hæc verba, quæ emphasim habent:

bent: ***Dominus ipse dabit vobis signum***: & ***balma*** cum articulo: quasi nempe diceret; ***Virgo illa insignis*** &c. 4. Denique Judæi ipsi doctores confitentur Messiam sine patre nasciturum esse: nempe in ***Midrasch Echa***, R. Simeon ben-Jochai ***in Genesim***, & R. Moses Hadarsah ***in psal.*** 85.

Et vero quis alius hoc illustri vaticinio designaretur? An filius Achaz regis, nempe Ezechias qui ipsi successit, ut opinatur R. David Kimchi? An filius ipsius Isaiæ prior, nomine Jasub, aut posterior, nomine Maher Schalal Chazbaz, de quo posthac *cap.* 8. ut sentiunt R. Salomo Iarchi, & R. Manasse? An filius quivis vulgaris? At 1. non potest is esse Ezechias: præterquam quod enim in ipsum non competunt quæcunque ibi puero illi aptantur, certe jam natus erat, cum hoc vaticinium editum est, quod chronologi demonstrant ex Scripturis, & Judæi ipsi acutiores animadverterunt. 2. Is non potest esse filius Isaiæ prior: tum quia jam natus erat, & cum patre accesserat ad regem; tum quia Isaias uxorem suam non *virginem*, sed *prophetissam* appellare solet, ut ex *capite* 8. *v.* 3. liquet. 3. Non potest esse filius Isaiæ posterior, qui paulo post in lucem prodiit: re enim ac nomine distinguitur ab Emmanuele *cap.* 8. *v.* 3. *&* 8. 4. Tandem non potest esse puer aliquis vulgaris, cum eo loci non sit vulgaris sermo, nec vulgaria de eo dicantur, sed promissio sit eximii cujusdam signi, non ex femina qualibet, sed ex virgine exibendi. Ergo.

MULTA quidem contra opponunt Judæi.

Primum est, Dominum nostrum Jesum non esse appellatum ***Emmanuelem***: proinde non eum esse, qui hic prænunciatur.

Secundum est, Messiæ adventum, qui post plura exinde secula futurus demum erat, non potuisse dari in signum proxime eventuræ Judæorum liberationis.

Tertium est, nullam assignari posse causam, cur butyrum & mel dicatur a Messia esse comedendum, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.

Quartum est, his ipsis verbis ignorationem exprimi quæ in Messiam, qualis a nobis agnoscitur, cadere non potest.

Quintum est, quod Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israelis ibi dicantur e Judæa pellendi, antequam puer ille, qui illic promittitur, ad eam ætatem pervenerit, qua sciat reprobare malum & eligere bonum: quod de Messia falsum foret. Paulo post enim hoc vaticinium editum, fugati sunt duo illi reges: Messias vero a Christianis agnitus, non nisi multis postea seculis in lucem prodiit.

SED ista non obstant.

Non primum. *Vocari* enim ibi sumitur pro *esse*: quod in Scripturis est frequentissimum, ut in hunc locum notat Chrysostomus. Vide *Isaiæ cap. 9. v. 6.* & *Jeremiæ 23. v. 6.*

Non secundum. Præter quam quod enim nec absurdum nec insolitatum

tum est res futuras assignare in signum rei alicujus proxime futuræ, ut manifestum est ex *capite 3. Exodi*, *v.* 12. *Deut.* 18. *v.* 21. 1. *Regum* 2. *v.* 34. 3. *Regum* 22. *v.* 28. & *Jeremiæ* 44. *v.* 29. apposite profecto futurus Messiæ adventus allegatus est ad solvendam regis Achaz formidinem. Timebat enim ille, ne respublica Judaica prorsus interiret, & stirps regia extingueretur. At Messias venturus erat stante republica, & e regia stirpe Davidis. Ergo is metus excuti debuit. Præterea tunc ambigebatur, an Judæi tunc forent a duorum illorum regum furore liberandi; propheta autem indicat id posse & velle Deum ex alio insigniori prodigio, quod in eorum gratiam aliquando editurus esset, nempe ex Messiæ ortu, & quidem ex virgine.

Non tertium. His enim verbis, *Butyrum & mel comedet* exprimitur Messiæ humana natura, & educatio puerilis. Infantes enim his vesci solebant. Nomine autem *Emmanuel* designatur ejusdem divinitas.

Non quartum. Quam enim scientiam illic dicitur comparaturus esse annorum decursu Messias, ea est, ut ajunt, experimentalis : quod Messiæ non repugnat.

Quintum paulo est difficilius, sed extricari tamen potest duobus modis. Ac 1. quidem, si dicamus verbis illis : *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum* &c. non fuisse expressum Messiam, de quo hactenus mentio fuerat, sed fuisse designatum filium ipsius Isaiæ parvulum, quem ille secum adduxerat, & quem tunc temporis regi demonstrabat : hebraice enim est articulus demonstrativus. 2. Si hæc eadem verba nec ad Messiam nec ad Isaiæ filium referamus, nec ad ullum alium speciatim, sed generatim ad quemlibet puerum; ita ut hujus loci ea sententia sit : Antequam elapsi fuerint anni cuilibet puero necessarii, ut sciat reprobare malum & eligere bonum, duo illi reges fugabuntur, hoc est ante sex aut septem annos &c.

Jam vero Isaiæ vaticinium de virgine, quæ illibata integritate conceptura esset & editura filium, intelligi oportere, multa non suadent modo, sed etiam evincunt. Ac 1. quidem ipsa vocis origo. *Halma* enim hebraice est idem, quod *puella abscondita & clausa*, a verbo *balam*, quod est *abscondere*. Puellam ergo sonat, quæ nulli viro cognita sit. 2. Scripturarum usus. Septies enim in Scripturis occurrit illud vocabulum nempe *Genesis* 24. *v.* 3. *Exodi* 2. *v.* 8. *Psal.* 67. *v.* 26. *cantici* 1, *v.* 3. & 6. *v.* 7. *Proverb.* 30. *v.* 18. denique hic *Isaiæ* 7. At in omnibus his memoratis locis puellam intemeratam significat, ut etiam animadvertit Hieronymus *in traditionibus hebraicis*. 3. Linguæ Phæniciæ ac Punicæ, quæ eadem erat cum Hebræa, consuetudo. Hieronymus enim *in caput* 7. *Isaiæ* testatur apud Pœnos *balma* vocari consuevisse puellam, quæ nondum virum esset perpessa. 4. Auctoritas interpretum, qui Judæis suspecti esse non possunt. Septuaginta enim interpretes, & paraphrastæ Chaldæi, Onckelos & Jonathan *virginem* reddunt. Equidem Symmachus, Aquila, & Theodotio verterunt *adolescentulam*. Sed hi merito rejiciuntur, eo quod Aquila &

la & Theodotio Judæi proselyti fuerint, Christo recentiores, qui Judæis hac in parte gratificari studuerunt; Symmachus autem fuerit e grege Ebionitarum, qui B. Mariæ integritatem impugnabant. 4. Res ipsa id evidenter postulat. Isaias enim promittit signum aliquod insolens, plane divinum & admirabile: ortum prænunciat singularem. At quod fœmina ex viri consortio concipiat & pariat filium, id nec singulare est nec insolens, nec mirabile. Ergo de virgine, quæ illibata manet, hic sermo fit.

NEC dicas *Proverb.* 30. *v.* 18. fœminam vocari *halma*, quæ tamen scortum esse videatur.

NAM contra hæc fœmina distinguitur a meretrice: statim enim additur: *Talis* (seu *similis*) *& est via mulieris adulteræ*. Si autem similis; ergo non eadem.

Proinde Messias debuit e virgine nasci.

De vita Messiæ.

Quinto. Debuit *Salvatoris* nomine insigniri. *Isaiæ* 25. *v.* 9. *&* 49. *v.* 6. sic etiam Zach. 9. v. 9. *Ecce rex tuus*, inquit, *veniet tibi justus & salvator*.

Sexto. Pauperem vitam agere. Isaiæ 53. v. 2. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, . . . despectum & novissimum virorum*. Zach. 9. v. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator, ipse pauper* &c.

Septimo. Præcursorem habere e solitudine profectum. Isaiæ 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*. Malachiæ 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis* &c.

Octavo evangelium prædicare. Isaiæ 61. v. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam*.

Nono inter evangelium prædicandum plura miracula ac vaticinia edere. Deuter. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, & suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*. 1. Machab. 14. v. 41. Isaiæ 42. v. 7. *Ut aperires oculos cæcorum* &c. & cap. 35. v. 4. *Deus ipse veniet & salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt* &c.

Decimo omnis generis languores sanare. Isaiæ 53. v. 4. *Vere languores nostros ispe tulit, & dolores nostros ipse portavit*.

Undecimo ab auditoribus odio haberi. Isaiæ 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* &c.

Duodecimo ante mortem vectus asina Sionem ingredi. Zach. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion. Ecce rex tuus veniet tibi . . . ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*.

Decimotertio novum fœdus sancire. Isaiæ 42. v. 2. *Dedi te in fœdus popu-*

populi, in lucem gentium. Jeremiæ 31. v. 31. *Feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum*.

Decimoquarto novum sacrificium, idque in pane & vino instituere. Malachiæ 1. v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum .... in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*. Psalmo 109. v. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

De morte Messiæ.

Decimoquinto debuit ab amico & familiari prodi, inimicisque tradi. Psalmo 40. v. 10. *Etenim homo pacis meæ, ... qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*.

Decimosexto triginta argenteis vendi. Zachariæ 11. v. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis*.

Decimoseptimo deseri a suis. Zach. 13. v. 7. *Percute pastorem & dispergentur oves gregis* quod ad Messiam refert ipse Aben Esra.

Decimo octavo accusari a falsis testibus. Psalmo 40. v. 9. *Verbum iniquum constituerunt adversum me*.

Decimo nono accusatus silere. Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet*.

Vigesimo sputa perferre ac contumelias. Isaiæ 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me*. Thren. 3. v. 3. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*.

Vigesimo primo a Judæis simul & gentibus damnari. Psalmo 2. v. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus*.

Vigesimo secundo cruci inter iniquos affigi. Psalmo 21. v. 7. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Zach. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Isaiæ 53. v. 12. *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est*. Porro psalmum 21. ad Christum referimus, non ad David : neque enim David unquam in cruce suffixus est, nec sortes super ejus vestes missæ sunt, nec gentes ad Deum convertit, quæ quidem tria continet hic psalmus. Et vero ad Messiam hunc psalmum applicant Midrasch Tehillim, & Thalmud *in sanhedrin cap*. 1. Quod autem loco horum verborum, *Foderunt* (*Careu*) *manus meas & pedes meos*, Judæi nunc legant *: Sicut leo* (*caari*) *manus meas & pedes meos :* mendum est. 2. Enim hodierna lectio trunca est & pendula, & boni sensus expers. v. Septuaginta interpretes, omnium antiquissimi, ante omnem ea de re litem verterunt, ut nos habemus, *Foderunt manus meas & pedes meos*. 3. Ex *cheri* & *chetib* Hebræorum apparet veteres ipsorum libros, utramque lectionem habuisse. 4. Ipsimet Masorethæ testatur in nonnullis codi-

codicibus ætate ſua extitiſſe (*caarou.*) 5. Denique in parva Maſora notatur vocem (*caari*) intelligendam eſſe de leone, qui pungat & perfodiat. Proinde illa eodem recidit cum voce (*caarou.*)

Vigeſimo tertio irrideri a prætereuntibus. Pſalmo 21. v. 8. *Omnes videntes me deriſerunt me .... Speravit in Domino; eripiat eum.*

Vigeſimo quarto ſelle & aceto potari. Pſalmo 68. v. 22. *Dederunt in in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

Vigeſimo quinto in latere fodi. Zach. 12. v. 10. *Et aſpicient ad me, quem confixerunt.*

Vigeſimo ſexto ita nudari, ut in veſtes ejus ſortes mitterentur. Pſalmo 21. v. 18. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*

Vigeſimo ſeptimo ſepeliri eo in loco in quo impii plectebantur, & quidem in hominis divitis monumento. Iſaiæ 53. v. 9. ubi vulgatus interpres ſic habet, *Et dabit impios pro ſepultura & divitem pro morte ſua*, ſic verti poteſt hebraicus codex, *Et poſui cum impiis ſepulchrum ejus, & cum divite monumentum ipſius.*

De tempore, quod mortem Meſſiæ conſecuturum erat.

Vigeſimooctavo Debuit ad inferos deſcendere, veteres patriarchas inde tertia die educturus. Pſalmo 67. v. 7. *Qui educit vinctos in fortitudine, ... qui habitant in ſepulchris.* v. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Oſee 6. v. 3. & 4. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos :* quod Meſſiæ ipſi Judæi aſcribunt. Zach. 9. v. 11. *Tu autem in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua :* quod quidem iidem Judæi de Meſſia intelligunt.

Vigeſimonono a morte excitari. Pſalmo 15. v. 9. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Iſaiæ 53. v. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

Trigeſimo in cœlos evehi. Pſalmo 68. v. 7. *Aſcendiſti in altum.*

Trigeſimoprimo in petram ſcandali eſſe Judæis, a Deo propter illius necem reprobandis: quod *ſupra* docuimus.

Trigeſimoſecundo gentes ad veram religionem & ſincerum Dei cultum vocare, quod idem *ſupra* demonſtratum eſt.

ATQUI ſingula hæc tam diligenter & enucleate de Meſſia quondam prædicta, in Domino noſtro Jeſu, beatæ Mariæ filio, accurate & ad apicem impleta, nemo niſi inſanus, aut hiſtoriæ rudis negaverit.

Primo enim natus eſt, cum auferretur ſceptrum e Juda, in diebus nempe Herodis regis, *Matth.* 2. cum jamjam abſolvendæ eſſent ſeptuaginta hebdomades ab inſtauratis poſt captivitatem Babylonicam Hieroſolymis, ut ex chronologicis rationibus liquet: ſtante templo ſecundo, in

quod ipse frequenter venit: denique florente imperio Romanorum, sub Augusto nimirum Cæsare, *Lucæ* 2. *v.* 1.

Secundo in Bethleem natus est, *Matth.* 2. *v.* 1. quod etiam in acta publica Romanorum relatum est, testibus antiquis fidei nostræ defensoribus.

Tertio e semine David originem duxit, *Matth.* 1. *v.* 1. *Lucæ* 3. *v.* 31. Licet enim utrobique referatur duntaxat genus Joseph, non autem Mariæ; attamen cum illa fratribus careret, ut perhibent ipsius cognati apud Eusebium *lib.* 1. *hist. cap.* 6. in eadem familia nubere eam oportuit juxta legem Mosaicam, *Num.* 36. *v.* 6.

Quarto e Virgine. *Matth.* 1. *v.* 23. *Lucæ* 1. *v.* 27. quod & ipse Mahumetes confitetur *in Alcorano*, *surata* 23. adeo ut ferri non possit calumnia Celsi Epicurei philosophi, qui eam ob adulterium e domo conjugis expulsam fuisse olim scripsit apud Origenem *libro ultimo*, & Judæorum recentium, qui cum Christi sint hostes professi, & maledicentissimi, prædicare non dubitarunt eam & ornatricem, & impudicam extitisse, quod videre est *in Midrach Cobeleth*, & *in Toldot Jesu*. At respondeant illi, quæso: Adulterium illud quod odiose confingunt, vulgatumne fuit, an non? Si non vulgatum, quomodo illud tanto post tempore resciverunt? Si vulgatum, dicant igitur, qua de causa Joseph, vir justus ita stolide patiens fuerit, ut eam a se non ejecerit? cur adulteram Judæi juxta leges suas non punierunt? quo pacto Christus contra easdem in ecclesiam admissus est, cum spurius foret? An vero Evangelistæ in re tam manifesta palam ac publice mentiri ausi fuissent? An si ausi essent, fidem apud Judæos ipsos, quorum in sinu & oculis res peractæ erant, invenissent? Cur Christo, dum viveret, id objectum non fuit? Qui factum est ut ipsius populares tam asseveranter dicant Joan. 6. v. 42. *Nonne hic est filius Joseph*, *cujus nos novimus patrem & matrem?* Ergo.

Quinto vocatus est JESUS seu *salvator*, idque jubente Angelo, *Lucæ* 1. *v.* 30.

Sexto ita pauper fuit, ut cum vulpes foveas habeant, & volucres cœli nidos, non haberet ille ubi caput reclinaret, *Matthæi* 8. *v.* 20.

Septimo Joannem præcursorem habuit, qui in deserto pœnitentiam prædicavit, *Matthæi* 3. *v.* 1.

Octavo Evangelium regni tribus & amplius annis prædicavit, *Matth.* 4. *v.* 17. & 23. *Lucæ* 4. *v.* 16.

Nono plurima inter prædicandum evangelium vaticinia ac miracula edidit. De vaticiniis liquet ex *Matth.* 24. *v.* 1. &c. De miraculis autem ex eodem *cap.* 4. *v.* 23. & 24. *Joan.* 3. *v.* 1. &c.

Decimo omnis generis languores & morbos curavit, *Matth.* 8. *v.* 17.

Decimoprimo contemptus tamen & odio habitus passim fuit, *Joan.* 15. *v.* 18.

Decimosecundo asinæ insidens paulo ante mortem Hierosolyma ingressus est, *Matth.* 21. 4.

Deci-

Decimotertio novum fœdus sanxit, *Matth.* 26. & 27. & 28.

Decimoquarto novum sacrificium instituit in pane & vino, *ibidem* & *Hebr.* 7. &c.

Decimoquinto a discipulo suo Juda traditus est Judæis, *Matth.* 26. *v.* 14. 49.

Decimosexto triginta argenteis venditur, *ibidem*.

Decimoseptimo ab Apostolis derelictus, *ibidem*, *v.* 31.

Decimooctavo accusatus est a falsis testibus, *ibidem*, *v.* 59.

Decimonono accusatus siluit, *ibidem v.* 62. & *cap.* 27. *v.* 12.

Vigesimo Sputis consperfus, & contumeliis affectus est, *Matth.* 27. *v.* 27.

Vigesimoprimo a Pilato gentili & Judæis pontificibus morte damnatus. *Matth.* 26. *v.* 26. *Act.* 4. *v.* 24.

Vigesimosecundo in cruce suffixus inter duos latrones, *Matth.* 37. *v.* 22 38. &c.

Vigesimotertio subsannatus a prætereuntibus, *ibidem v.* 39.

Vigesimoquarto fel & acetum ei propinata sunt, *Matth.* 27. *v.* 34. & 48.

Vigesimoquinto in latere lancea perfossus est, *Joan.* 19. *v.* 33.

Vigesimosexto vestimentis spoliatus est, quæ milites inter se partiti sunt, *Matth.* 27. *v.* 35.

Vigesimoseptimo sepultus est in monte Calvariæ, ubi rei plectebantur; idque in sepulchro Josephi, nobilis decurionis, *Matth.* 27. *v.* 57.

Vigesimooctavo ad inferos descendit, veteres patriarchas inde translaturus in cœlum, *Ephes.* 4. *v.* 8. & 9. *Coloss.* 2. *v.* 15. 1. *Petri* 3. *v.* 18. & 4. *v.* 6,

Vigesimonono a mortuis excitatus est tertia die, *Matth.* 28. *v.* 5.

Trigesimo ascendit in cœlum, *Marci* 16. *v.* 19.

Trigesimoprimo Judæis scandalum fuit, qui propterea a Deo rejecti sunt, *Matth.* 21. *v.* 40. *Actuum* 13. *v.* 40. *Rom.* 10. *v.* 19. 1. *Corinth.* 1. *v.* 23. &c.

Trigesimosecundo gentes ad veram religionem ac sincerum Dei cultum adduxit, *Matth.* 8. *v.* 5. & 24. *v.* 14. & 28. *v.* 19. *Joan.* 10. *v.* 16. *Act.* 10. *v.* 21.

Ergo Dominus noster Jesus, beatæ Mariæ Virginis filius, est ille Messias qui Judæis toties promissus est, & ab illis olim tanto tempore exoptatus.

O B J E C T I O N E S.

Objicies 1. Verus Messias debuit ab ecclesia approbari. Atqui a Judæis non est approbatus Jesus, ex quibus tum temporis ecclesia coalescebat. Ergo.

Distinguo majorem: debuit ab ecclesia, quæ tum nova formaba-

 tur;

tur, approbari; concedo: ab ea, quæ hactenus fuerat; nego. Veteres enim prophetæ prædixerant Messiam fore a Judæis reprobandum: nedum ergo hoc argumento astruant Dominum nostrum non esse verum Messiam, eo potius fides nostra stabilitur.

OBJICIES 2. Si Jesus fuisset verus Messias, Joannes Baptista non misisset ad eum sciscitaturus, an Messias ipse esset. Atqui id tamen fecit, *Matth.* 11. *v.* 1. Ergo.

DISTINGUO antecedens: non misisset tanquam ea de re dubius; concedo: firmaturus discipulorum fidem quos mittebat; nego. Id itaque fecit, non quod de eo dubitaret: prius enim insigne hoc testimonium de eo dixerat *Joann.* 1. *v.* 29. &c. sed ut discipulorum animos nondum satis id persuasum habentium, ipsis Christi verbis, miraculis & conspectu in ea fide confirmaret.

OBJICIES 3. Pacem debuit afferre Messias. Atqui Jesus venit non pacem mittere in terram, sed gladium, *Matth.* 10. *v.* 34. Ergo.

DISTINGUO majorem: pacem cœlestem; concedo: qualem mundus dat; nego. Cum ait se venisse gladium mittere, non ita loquitur, quasi ipse futurus esset causa efficiens belli; sed quod belli per accidens occasio foret; propter hominum nequitiam, qui cum evangelium ferre non possent, illi bellum indicturi erant.

OBJICIES 4. Verus Messias debuit idololatriam extinguere. Atqui id non fecit Jesus. Ergo.

DISTINGUO majorem: debuit extinguere paulatim & per varios gradus; concedo: simul ac semel; nego. Revera autem idololatria propagatione evangelii ex universa terra gradatim extirpatur.

SECTIO II.

De Josephi Judæi testimonio.

PROPHETARUM de Messia vaticiniis adjungi vulgo solet Judæi nomine Josephi testimonium de Domino Jesu *lib.* 18. *Antiq. cap.* 4. „ ubi sic loquitur, " Fuit autem, inquit, hoc tempore Jesus, vir sapiens, SI TAMEN VIRUM ILLUM OPORTET DICERE: erat enim „ mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter „ amplectuntur & plurimos quidem ex Judæis; plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. HIC ERAT CHRISTUS. Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum, Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperant. Nam post tertium „ diem redivivus ipsis apparuit, CUM DIVINI VATES HÆC ALIAQUE „ QUAMPLURIMA ADMIRANDA DE EO PRÆDIXISSENT; NEQUE „ AD HANC DIEM DEFECIT DENOMINATUM AB EO CHRISTIANORUM GENUS.

Egregium sane ac validum adversus Judæos momentum, ut pote domе-

domeſtico nec ſuſpecto auctore ductum: ſi hunc locum eſſe genuinum ac ſincerum Joſephi opus apud omnes indubitatum foret. Sed fatendum eſt non ita eſſe certæ fidei; etiam apud Chriſtianos, ut ex eo adverſus pervicaces ineluctabile prorſus argumentum peti queat, aliis hoc teſtimonium eſſe reipſa Joſephi, aliis contra ſubdititium eſſe ſentientibus.

Ac Joſephi quidem eſſe multa ſuadent.

1. Enim id poſtulare videtur ipſius diligentia. Cum enim hiſtoriam gentis ſuæ ſcriberet, Jeſum novæ religionis auctorem incelebratum prætermittere ſane non debuit, præſertim cum Joannem Baptiſtam, & Jacobum Chriſti fratrem memoraret: Jeſus autem utroque longe majoris apud Judæos nominis fuerit. Vide *lib.* 18. *antiq. cap.*7. & *lib.*20. *cap.* 8.

2. Accedit omnium ſive Latinorum ſive Græcorum codicum conſenſus. Nullus quippe profertur, in quo is locus deſideretur. Equidem in bibliotheca Sorbonica vetuſtum quoddam eſt Joſephi latinum exemplar, in quo deſit: ſed deeſt folium, in quo eum locum deſcribi oportuit. Deſcriptam enim fuiſſe hanc hiſtoriam in eo folio quod deeſt, conſtat ex lemmate capitulorum hujus libri, ubi de Domino Jeſu diſerta mentio fit.

3. Maximum huic codicum conſenſioni pondus addit omnium veterum auctoritas, Euſebii videlicet *lib.* 4. *demonſt. evang.* Hieronymi *de ſcript. eccleſ. in Joſepho;* Iſidori Peluſiotæ *lib.* 4. *epiſt.* 225. Sozomeni *lib.* 1. *cap.* 1. Cedreni, Nicephori, Suidæ, uno verbo omnium qui ad noſtram uſque ætatem ejus loci meminerunt: nullus enim inter eos repertus eſt, qui ipſum in dubium revocaverit.

At contra ſuppoſititium eſſe hunc locum, peregrinaque manu ac pia fraude ab aliquo Chriſtiano inſertum poſt Joſephi ætatem, non paucis jam apparet.

Ac 1. quidem ex filo orationis, quod hac hiſtoria plane abrumpitur. Statim enim additur: *Circa eadem tempora etiam aliud Judæos turbavit incommodum*, quod nullam habet cum proxima Juda laudatione connexionem, bene autem cohæret cum internecione Judæorum a Pilato occiſorum, eodem capite ante hanc laudationem memorata.

2. Ex ſtylo qui lutulentus fluit, verbiſque ſcatet impropriis, longe a ſolito Joſephi nitore & elegantia alienis.

3. Ex eo quod conſtet Joſephum nunquam fuiſſe Chriſtianum: non potuerit autem non eſſe Chriſtianus, qui ita de Jeſu ſcripſerit & ſenſerit. Quis enim Judæus unquam confeſſus eſt Jeſum Mariæ Filium non fuiſſe merum hominem, ſed Deum, multa prodigia edidiſſe, veritatis extitiſſe doctorem, poſt mortem revixiſſe, impleſſe vaticinia prophetarum, Chriſtum denique ac Meſſiam eſſe? Sed quis id præſertim ſibi perſuadeat de Joſepho qui Phariſæorum, Chriſti inimicorum, ſectæ addictus ſemper fuit, & nobiliſſima Scripturæ de Meſſia oracula ad Veſpaſianum nefaria adulatione detorſit?

4. Ex silentio veterum omnium, ac potissimum Sancti Justini, & Tertulliani, qui ex professo adversus Judæos scripserunt, & cum Josephi libros memorent, hoc tamen de Jesu testimonium nunquam usurpant, non omissuri, ut videtur, si tum temporis inter ipsius opera extitisset.

5. Ex Origene qui *tract.* 11. *in Matth.* & *lib.* 1. *contra Celsum* diserte asserit Dominum nostrum Jesum Christum non fuisse pro Messia habitum a Josepho, quod argumento est, ea ætate, aut nondum in Josephi libris extitisse hunc locum, in quo tam aperte Messias prædicatur; aut tanquam adulterinum spectari consuevisse.

6. Ex Theodoreto, qui in extremis ad Danielem commentariis, idem quod Origenes asseverat.

7. Ex Photio qui in bibliotheca *cod.* 76. & 238. Josephi libros recensens & summam referens, nullam hujus historiæ mentionem facit: quin etiam *cod.* 48. quemdam *de universo* librum Josepho abjudicat, quod auctor istius operis diserte Christi divinitatem astrueret. An vero ita censuisset Photius, si pro legitimo habuisset hunc Josephi locum quem expendimus, & in quo Christi divinitas tam enucleate exponitur?

8. Ex eo quod Josephus, (si fidem habemus Origeni *lib.* 1. & 2. *contra Celsum*, & *ad Matth.* 13. & Eusebio *lib.* 1. *hist. cap.* 23.) excidii Jerosolymitani causam refunderet in Jacobi necem. An non enim eam potius ascripsisset Domini Jesu morti, si ipsum ut Messiam a Judæis per summum nefas damnatum, & interfectum spectasset?

9. Ex eo quod falsum sit plurimos e gentilibus a Christo fuisse ad veram religionem adductos, cum vix unam aut alteram fœminam ex ethnicis vocaverit? contra vero *Matth.* 10. *v.* 5. conceptis verbis prohibuerit, ne se vivo ad gentes discipuli irent.

Hæc sunt præcipua utriusque partis momenta, de quibus lector statuat ut volet. Qui autem hæc fusius exposita voluerit, is adeat Baronium *in annalibus ad annum* 34. Casaubonum *exercit.* 16. Blondellum *in epistola ad Arnoldum*; Tanaquillum Fabrum *epist.* 44. *ad Joannem Chabrolium*; Huetium *prop.* 9. *num.* 11. Dupin *in ult. edit. operum*, & cæteros, quorum alii genuinum, alii autem supposititium, alii denique dubium esse hoc Josephi testimonium pronunciant.

Cum autem inter se ita pugnent eruditi, huic quidem Josephi testimonio, non leve pondus tribuimus, sed in eo tamen vim non faciemus, cum pro instituti nostri ratione certa duntaxat, & indubitata argumenta hic conquiramus, ne certa incertis admixta ipso consortio amittant fidem.

AR-

ARTICULUS III.

An adversus gentiles demonstrari possit Messiam venisse, & hunc esse Dominum Jesum.

ASSERTIO.

POTEST utrumque adversus gentiles demonstrari.

ARGUMENTA.

PLURA adversus gentiles momenta afferri solent : primum e vaticiniis veterum prophetarum , & eorum cum historia evangelica concentu : secundum e Christi ipsiusque discipulorum miraculis : tertium e Christianæ religionis propagatione : quartum e Sybillinis carminibus : quintum ex oraculorum defectu.

Argumentum primum, Ex veteris ac novæ legis concentu.

CUM is concentus ex multiplici capite repeti possit, nos vaticinia duntaxat attingemus , utpote quæ præcipui roboris sint ad persuadendum . Ut enim ait Origenes *lib.* 1. *contra Celsum* " Omnium quæ ad Christi „ fidem astruendam adhiberi possunt, argumentornm maximum, hoc est, „ quod a prophetis fuit prædictus , qui apud Judæos fuerunt. Ex his autem ita arguimus: Is est verus Messias ad salutem hominum missus , & ab omnibus suscipiendus, in quo impleta sunt omnia prophetarum divinitus afflatorum de Messia vaticinia. Atqui omnia impleta sunt in Domino Jesu . Ergo.

MAJOR propositio extra omnem controversiam esse debet . Tria enim duntaxat esse possunt quæ in dubium revocentur a gentilibus : primum , an reipsa nonnulla , olim de Messia dicta fuerint : secundum, an vera illa sint vaticinia: tertium, an a Deo profecta sint . Si enim constet ea esse Christo antiquiora , & veri nominis vaticinia, & a Deo ipso profecta ; nulla superest difficultas . Cum enim Deus sit optimus , homines fallere noluit: cum sit sapientissimus, falli non potuit; cum denique sit omnipotens, ab impostore & plano vinci nequit . Proinde verus Messias est ille in quem congruunt omnia veterum prophetarum divinitus afflatorum de Messia vaticinia. At 1. certum est ea, quæ de Messia protulimus, oracula esse Domino nostro Jesu Christo vetustiora . Cujus quidem antiquitatis testes sunt non suspecti , & omni exceptione majores , Judæi videlicet, Christi hostes infensissimi, qui a primis usque temporibus oracula ista venerantur, & summa fide servant , & libros , quibus illa continentur , tanquam capsarii nostri ubique circumferunt , ac religiose

custodiunt. Et vero antequam Christus nasceretur omnia id genus oracula ex hebraicis codicibus in græcam linguam translata omnium manibus terebantur, ut ex historia liquet. Ergo. 2. Ea sunt vera vaticinia. Veri enim nominis vaticinium est prædictio rerum futurarum, quæ ex naturalibus causis prævideri non possunt. Atqui hæc oracula prænunciabant res futuras, ut ex verbis ipsis perspicuum est: & res illæ e naturalibus causis prævideri non poterant: nullam enim cum causis naturalibus necessitudinem habent omnia illa, quæ de Messia nuper attulimus: adeo sunt varia, insolita, a natura sejuncta & supra eam posita. Ergo. 3. Tandem a Deo ipso profecta sunt, nec ab alio proficisci potuerunt. Unus quippe Deus ea certo prædicere potest, quæ futura sunt, nec a causis naturalibus suspensa. Nemo sane credat fortuito contingere potuisse, ut tot vates tam diversæ indolis & ingenii, tam varia ac singularia, tam mirabilia, extra communem usum, & supra naturæ leges posita, tam denique specie tenus secum invicem pugnantia de duplici Messiæ origine, ortu, conditione, contumeliis, gloria, morte, resurrectione ac religione prædixerint, eaque omnia ac singula in unum eumdemque conveniant, & in eo ad amussim impleta sint.

Minor a nobis *supra* collata cum veteribus vaticiniis Christi historia, & eventu comprobata est. Ergo.

Argumentum secundum, E Christi ejusque discipulorum miraculis.

Nemo est sanæ mentis, qui inficiari possit Dominum nostrum Jesum esse Messiam a Deo missum, & divinam plane esse profectam ab eo religionem, si ea quæ a discipulis ejus perhibentur prodigia patrarit, eaque sint non præstigiæ, sed veri nominis miracula, non dæmonum ope, sed divina auctoritate edita, idque in ejus doctrinæ confirmationem. Cum enim Deus sit optimus juxta ac sapientissimus, nec errare ipse potest, nec homines in errorem inducere: eos autem in errorem præcipites agere merito censeretur, si omnipotentem vim suam commodaret homini cuipiam sacrilego, ut errorem miraculis astrueret. Non enim possunt homines non arbitrari eam doctrinam esse divinam, quæ auctoritate divina evidenter innititur.

Atqui singula hæc indubitata sunt.

1. Enim constat Christum ea patrasse miracula, quæ ipsius discipuli commemorant. Ea quippe ne infensissimi quidem ejus hostes in dubium revocarunt. Dum enim Christus viveret, Judæi ipsi non negabant hæc prodigia, quæ omnes oculis usurpabant, sed ea dæmonibus ascribebant, *Matth.* 12.*v.*24. nec Judæi posteriores diffitebantur, Tertullianus *contra Judæos cap.* 9. " Hæc opera, inquit, operatum Christum nec vos dif-" fitemini. " Quin & etiamnum consentiunt *in Thalmud tractatu Avodah*

dab Zarab & *in Midrach Cobeleth*: imo & Jacobo fratri Domini nostri Jesu Christi miracula tribuunt. Id autem adeo pervulgatum erat ac constans, ut ea in publicos Romanorum commentarios relata fuisse testetur Justinus *in apologia* 2. quod non fecisset utique, apud Romanos imperatores causam Christianorum palam ac publice agens, nisi res explorata ac minime dubia extitisset. Hinc Celsus Epicureus philosophus, qui Christo bellum indixerat, rem agnovit apud Origenem *lib.* 1. ut & Julianus Apostata apud Sanctum Cyrillum *lib.6.* Denique ipsimet Mahumedani eadem agnoscunt *in Alcorano Azoara* 5. 11. 13. 29. *&* 31. Ergo.

2. Hæc prodigia non fuerunt præstigiæ. Ejusmodi enim fuerunt, ut in iis nec decipi potuerint, nec alios decipere Christi discipuli: quandoquidem ista opera non in latebris edita sunt, sed palam & in omnium luce; coram infinita hominum etiam inimicorum multitudine; non semel, sed frequenter; effectu denique non statim evanescente, sed per multos annos durabili ac facile probando. Deinde ut eis Christus vivus illudere potuisset, an potuisset etiam mortuus? An quingenti homines sibi visi sunt eum videre a morte excitatum ac tangere, cum eo sæpe colloqui & edere, quem revera non cernebant? An postea linguis hactenus ignotis loqui & ab extraneis quibusque intelligi se putaverunt, cum tamen patria duntaxat lingua loquerentur, & a nullo nisi ejusdem gentis intelligerentur? An opinari falso potuerunt, se quoque omne morborum genus curare, & mortuos ad vitam revocare, cum nihil omnino operarentur? Decipi itaque omnino non potuerunt. At multo minus fallere voluerunt aut potuerunt. Cum enim religionem his prodigiis totam innixam prædicare statuissent, & homines ut sibi fidem haberent, adducere, quomodo homines minime amentes ausi essent hæc miracula comminisci ac spargere tanquam certissima, & ad æternam salutem necessario credenda, iis in locis & iis ipsis temporibus, quibus illa peracta esse oportuit? An ejusdem miraculorum veritatem, ac potissimum resurrectionis Christi, qua tota religio innititur, vitæ suæ dispendio, ac sanguine suo sancire voluissent? An e tot testibus ne unus saltem metu tormentorum, & suppliciorum vi fractus, mendacium ac initam conspirationem detexisset? An homines illitterati ac rudes, ubique professi essent falso se omnibus linguis loqui in quo statim nullo negotio potuissent revinci? Atque ut Christi discipuli illud stulte aggressi forent, qui factum est, ut hæc, si fictitia erant, ab omnibus passim suscepta sint, eaque religio quæ tot objiciebat damnis, periculis ac suppliciis, recepta sit ab infinitis hominibus, qui operum ab apostolis jactatorum testes & conscii, eos mendacii manifestos habuissent? Qua arte illi tot hominibus gravissimi judicii persuaserunt, se ista prodigia non tantum patrare posse, sed & quotidie patrare in oculis omnium? Sed esto. Fingamus apostolos incredibili quadam ratione toti orbi ea in re fucum fecisse. At certe imponere ita non poterant, ut idem or-

bis

bis crederet se quotidie eadem moliri & patrare, cum tamen nihil insolitum fieret. At apostoli ubique ob oculos ponunt Christiane plebi, quæ ab ipsa pariter edebantur miracula tanquam notissima & in communi usu posita; imo nonnullos palam arguunt, quod ea prodigiorum edendorum facultate perperam abuterentur: arguunt in epistolis, quas nemo, quantumlibet impius, supposititias esse dixerit; quandoquidem ab ipsis Christianæ religionis incunabulis, ab omnibus Christianis, etsi opinionum diversitate ac sectarum varietate disjunctis, tanquam fundamentum fidei suæ, ac genuini eorum, quorum nomina pre se ferunt, fœtus habitæ fuerint. Itaque fieri non potuit, ut apostoli cæteris hominibus illuderent. At nec ipsi a Christo decipi potuerunt. Ergo.

Et certe nullus unquam fuit, qui a præstigiatorum artibus alienior fuerit, quam Christus. Isti lucem oderunt, & tenebras amant, ut latere possint; Christus contra omnia in aperto, palam & publice operatur, ne vel minima fraudis suspicio sit: illi vana, inutilia & ridicula consectantur; Christus nil, nisi sanctum ac salutare molitur: illi turpis lucri gratia, & ut gloriam ac fumum captent; Christus omnia consilia, verba & opera ad aliorum salutem dirigit, ita pauper ut ne haberet quidem ubi reclinaret caput: illi carni & dæmoni serviunt; Christus autem nihil agit, nisi ut veram religionem & sanctimoniam vitæ omnium animis instillet. Ergo nec Christus præstigiator fuit, nec ab ipso edita prodigia dici possunt præstigiæ.

Quo circa veri nominis miracula fuerunt. Profecto illud est veri nominis miraculum, quod totius naturæ vires superat: tale autem est mortuos ad vitam revocare, morbos desperatos solo verbo simul ac semel sanare, cœcis natis visum dare &c. quod Christus non semel præstitit, multo autem magis resurgere redivivum.

3. Isthæc miracula arte dæmonum patrata non fuerunt. Præterquam quod enim supra dæmonum ac totius naturæ facultatem omnia ista posita sunt, quisquis ad id vel leviter mentem advertere voluerit, is illico deprehendet ea dæmonum ope a Christo non fuisse edita. Quis enim credat 1. dæmonem invidum & humani generis hostem ea opera præstare voluisse, quæ mera erant & insignia beneficia in humanum genus collata? 2. Quis sibi persuadeat dæmonem in sui perniciem ac regni sui conversionem Christo arma tradidisse? Quis enim unquam capitalior dæmonum hostis fuit, quam Christus, qui eos e corporibus hominum abegit, & eorum cultum profligavit, qui ut pietatem, sanctitatem, puram religionem inspiraret, tantopere incubuit?

4. A Deo illa profecta sunt, nec ab alio certe proficisci potuerunt. Quod enim Judæi fingunt Jesum hæc omnia patrasse vi cujusdam nominis Dei, quod lapidi insculptum in aditis templi invenerit, & solerter ac irreligiose extulerit, ita fabulosum est, ut morari nos nullatenus debeat. De quo Huetium vide *prop. 9. cap. 39. n. 5.*

5. A Christo edita sunt in illius doctrinæ confirmationem, quam homi-

hominibus prædicabat, ut patet ex *Matth.* 11. *v.* 1. *Luca* 7. *v.* 18. *Joan.* 5. *v.* 36. 7. *v.* 37. 10. *v.* 37. 15. *v.* 24. &c. Nempe Deus olim prædixerat Messiam esse prodigia operaturum, v. g. *Isaiæ* 35. *v.* 4. *&* 5. Imo hæc prodigia sigillatim descripserat *ibidem* & alibi : quæ quidem a Judæis doctoribus etiam recensentur apud Huetium *num.* 1. Atqui eadem hæc præstitit Dominus noster Jesus. Ergo is est verus Messias. Et vero cum ista prædiceret Deus, vel prævidebat ea esse a solo Messia patranda, vel insuper ab alio, nempe plano & impostore. Si prævidit a solo Messia esse patranda, haud dubie Messias ille est Dominus noster Jesus, qui ea edidit : si prævidit ab alio quam a Messia esse edenda, cur eadem ut propria Messiæ indicia, quibus dignosci posset assignavit?

Argumentum tertium. Ex mirabili Christianæ religionis propagatione.

HACTENUS demonstratum est a nobis religionem Christianam fuisse Deo afflante prædictam, & ipso operante conditam : nunc restat ut ab eodem propagatam esse evincamus. Quod ut fiat, sic arguimus : Negari non potest Christum esse verum Messiam, & divinam esse profectam ab eo religionem, si Deus ipse omnipotente vi sua illam propagaverit. Atqui res ita est. Vel enim Christianæ religionis propagatio divinum est opus, vel humanum. At certe humanum non est : si enim humana subsidia spectentur, quæ conducere queunt ut doctrina quædam disseminetur, ea sunt 1. auctoris nobilitas; 2. discipulorum ac fautorum potentia, favor, ingenium, eloquentia ; 3. eorumdem artes & industria ; 4. rerum propositarum plausibilis species; 5. earum cum suscepta jam ac regnante religione convenientia ; 6. honores & emolumenta consequentia; 7. temporis diuturnitas. Atqui nedum hæc occurrerint in propaganda Christiana religione, omnia contra affuerunt, quibus juxta vulgarem rerum humanarum usum opprimi & extingui deberet.

1. Enim Christus ipsius auctor fuit homo specie ac vitæ conditione vilis, patre, ut putabatur, fabro, nullius dignitatis aut ordinis, nulla scholæ eruditione aut facundia insignis, a plerisque gentis suæ optimatibus despectus, & tandem ut divinæ ac humanæ majestatis læsæ reus, servorum ad instar in infami cruce suffixus.

2. Apostoli pauci erant, numero scilicet duodecim fortunæ humilis & abjectæ, plebeii, obscuri, piscatores, textores, publicani. Equidem homines ita natura sua comparati sunt, ut regum ac potentium exempla sequantur, eoque magis, si lex & coactio adsit : hinc paganicarum religionum, hinc Mahumeticæ incrementa. At primi illi Christianæ religionis præcones nec genere illustres, nec imperio ullo fulti, nec armorum potentia subnixi, nec eloquentia clari, nec ingenii subtilitate commendabiles extiterunt : uno verbo nihil eorum habuere, quæ ad alli-

alliciendos aut seducendos mortalium animos valent. Qui ergo factum est, ut paucis his hominibus, rudibus, illiteratis, pene infantibus, cederent Judæorum obstinatissimæ synagogæ, philosophorum doctæ scholæ, oratorum agmina, principum ac regum imperia?

3. Nullæ his artes affuerunt, non sermonis fucatus nitor, non orationis illecebræ, non verba ad fallendum composita, non rationum acumina, nulla industriæ sagacitas. Quid enim his simplex magis aut magis inaffectatum fuit? Nec vim adhibuerunt ut cogerent dissentientes; nec fraudes texuerunt ut incautis ac imprudentibus illuderent, nec minas ut terrore reluctantes subjicerent. Liberam fidem postulabant aut nullam, Magistri doctrinam exponebant, miracula testificabantur, atque ut testimonio suo robur adderent, miracula alia ipsi patrabant, & patrandorum facultatem aliis impertiebantur. Denique dicta sua sanguine suo obsignare non detrectabant. Quænam esse potuit agendi ratio candidior, aut apertior & ab omni dolo ac simulatione magis aliena?

4. Doctrina quæ ab ipsis prædicabatur ejusmodi non erat, ut homines natura sua traheret, imo vero nihil continebat quod animos statim non offenderet; mysteria enim proponebat quæ Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia videbantur; quale est Deum esse unum & trinum; Deum factum esse hominem, & crucifixum &c. Ad hæc præcepta dabat per se dura & ingrata, qualis est abnegatio sui ipsius, inimicorum dilectio, ab omnibus voluptatibus abstinentia, omnium contra molestiarum, calamitatum, suppliciorum fortis ac perseverans tolerantia. An non hæc fugant potius quam alliciunt? An quæpiam esse potuerunt a quibus aut ratio, aut innata cupiditas magis abhorrerent?

5. Eadem hæc doctrina omnis lenocinii tam expers omnes alias religiones, ab omni fere ævo receptas, patriæ, legum, parentum ac regum auctoritate, longoque temporis usu confirmatas damnabat, tanquam vanas, falsas, hominibus indignas, & Deo inimicas, atque ut funditus extirparentur imperabat. Quam autem suscepta semel religione animi teneantur, nemo est qui nesciat.

6. Nedum ullus honos, aut ulla emolumenta Christi doctrinam suscipientibus speranda essent, constabat contra omne mali genus ipsis esse ferendum aut metuendum. At quæ mala inferunt, ea ab hominibus non nisi difficile admittuntur, cum a malis omnibus natura nostra abhorreamus. Jam vero honoribus arcebantur Christiani; accedebant frequenter multæ, bonorum publicationes & exilia; damnabantur ad metalla; iis afficiebantur tormentis, quibus crudeliora nulla reperiri poterant: supplicia vero ad mortem tam frequentia erant, ut testentur illorum temporum scriptores, nulla fame, nulla pestilentia, nullo bello, plus hominum uno tempore absumptum. Nec vulgaria erant mortis genera, sed cruces, vivi comburia, aliæque id genus pœnæ, quæ sine maximo horrore legi aut cogitari non possunt. Vix nata est ea religio, ac in lucem prolata, cum adversus illam insurrexerunt Judæi & pagani,

gani, qui ubique habebantur ſapientes ac facundi, omnes religionum antiſtites, cuncti principes ac reges, in eam opprimendam certatim incubuerunt, atque in id opus omnem auctoritatem ſuam, potentiam, opes, ſtudium, induſtriam, pietatem, furorem adhibuerunt. Qui ergo fieri potuit, ut non extincta ſtatim ac oppreſſa jacuerit?

7. Tandem longo tempore opus non fuit, ut in omnem terram religio illa ſeſe diffunderet. Vix enim trigintaanni effluxerant, cum non modo omnes imperii Romani partes occupabat, ſed etiam ad Indos uſque pervenerat. Quis ergo in tam ſubita tamque admirabili propagatione religionis Chriſtianæ divinam vim non agnoſcat? quæ enim alia virtus tot obſtacula tam brevi temporis intervallo perrumpere potuit? An quidquam in rebus humanis ſimile unquam fuit? cur ergo mundus univerſus numero exiguo ignobilium, infirmorum & imperitorum hominum, tam incredibilia, tam dura, tam naturæ repugnantia prædicantium credidit? niſi quia in tam contemptibilibus teſtibus, multo mirabilius divinitas ſe ipſa perſuaſit? Eloquia enim perſuadentium quæ dicebant, mera fuerunt facta, non verba, ut ait Auguſtinus *lib.* 22. *de civitate Dei cap.* 5.

Argumentum quartum, E defectu oraculorum.

VULGARE eſt apud eos, ſeu veteres ſeu recentiores, qui Chriſtianæ religionis veritatem demonſtrant petitum ex oraculorum defectu argumentum: certum enim eſt ea, qua Chriſtus natus eſt, ætate oracula longe minore, quam hactenus, gloria eſſe cœpiſſe, & maxima ex parte obmutuiſſe. Quod adeo conſtans erat atque indubitatum, ut ne Julianus quidem apoſtata id inficiari auſus ſit. Huetius *prop.* 9. *cap.* 29. *num.* 4. Jam vero cur tum temporis defecerint, nulla alia cauſa afferri poteſt, quam quod dæmonum vis, Meſſiæ adventu fracta ſit, & ipſis a Dei Verbo ſilentium impoſitum fuerit.

Atque illud quidem argumentum nec veri ſpecie profecto, nec robore omni deſtituitur: ſed tamen ut bona fide, quod res eſt, dicamus, invictum ac ineluctabile nobis non apparet: cum ejuſmodi oracula longe ante Chriſtum famæ & gloriæ ſuæ jam decoxiſſent, & poſt Chriſtum, qualiacunque eſſent, ad quintum uſque ſeculum manſerint.

Ac multo quidem ante Chriſtum natum tempore, ingloria jam erant. Quod liquet ex Cicerone *lib,* 1. *de Divinatione*, ubi Quintum fratrem ſuum de oraculo Delphico omnium celeberrimo ſic loquentem inducit: " Nunc minore gloria eſt, inquit, quia minus vaticiniorum veritas excellit. *Libro* autem 2. falſe ridet Apollinem, quod jam a Pyrrhi temporibus verſus facere deſiiſſet. Ita etiam Lucanus, dum bella ferverent Pompeium inter & Cæſarem, de Appio ſic ait *lib.* 5.

Solus

Solus in ancipites metuit descendere Martis
Appius eventus, finemque expromere rerum.
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi.

Ac paulo post de eodem tempore, sic inquit.

Non ullo secula dono.
Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod siluit . . . . Sic tempore longo
Immotos tripodas vastæque silentia rupis
Appius, Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat &c.

Proinde ætate Julii Cæsaris ac Tullii, hoc est multo ante Christi ortum tempore oraculorum gloria jam imminuta erat.

Qualiacunque vero essent, ea certe post Christum natum diu perseverarunt, licet identidem conticescerent ob bella aliosve casus.

Et hujus quidem silentii inter antiquos meminerunt Lucanus *supra*, Juvenalis, *satyra 6.* Prudentius *in apotheosi*, Symmachus *lib. 4. epist. 33. ad Potadium.*

Sed ea tamen non prorsus ideo fuisse extincta, multis aliorum testimoniis liquet. Vigebat enim Delphicum sub Tiberio ex Strabone *lib. 9. Geographiæ*; sub Nerone ex Suetonio *in ejus vita*; sub Domitiano ex Philostrato *lib. 4. cap.* 8. sub Adriano ex Dione Chrysostomo *in oratione de fuga*; sub Aurelio & Commodo, ex Luciano *in Pseudomante*; sub Severo ex Ælio Spartiano *in vita Pescennini*; sub Juliano Apostata ex Theodoreto *lib. 3. hist. cap. 9.* sub Honorio ex Claudiano *de 4. Honorii consulatu*: quod de aliis probare non minus facile est. Dodonæum enim oraculum, v. g. sub Tiberio adhuc stabat ex Strabone *lib. 7.* & consultum fuit sub Domitiano ab Apollonio Thyanæo ex Philostrato *lib. 4. cap.* 8. imo & quarto seculo a Juliano Apostata, ut refert Theodoretus *supra*. Colophonium pariter aditum fuit a Germanico sub Tiberio ex Tacito *lib.* 2. & postea ab aliis ex Philostrato & Luciano *supra*. Ammonium memorant Strabo *lib.* 17. Juvenalis *satyra 6.* Claudianus *supra*: ut alia jam omittamus: quæ fuse describit Antonius Van Dale in suo *de oraculis* opere, *parte* 1. *pag. 69.* &c.

Nec dicas 1. Plutarchum de oraculorum defectu scripsisse: 2. cum Augustus Delphis hujus silentii causam quæreret, hoc ipsi oraculum ab Apolline esse redditum, ut perhibent Nicephorus, Suidas, & Cedrenus.

Me

Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet tristemque redire sub orcum
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Hæc enim duo nihil probant. 1. Enim Plutarchus de ætate sua loquitur, hoc est, post centum a Christo nato annos, nec definit quandonam oracula desiissent. Adde quod idem *ibidem* fateatur etiam tunc temporis multa oracula viguisse, atque adeo ipsum Delphicum, cui una antistes præesset. Denique in isto opere nil aliud agit, quam ut causam investiget jacentium & contemptorum vulgo vaticiniorum: non enim ea prorsus abolita fuisse contendit. 2. Oraculum illud quo adversus oracula pugnant, fœneum est ac suppositium. Versibus enim hexametris concipitur. At versibus oracula tunc non reddebantur, ut liquet ex Cicerone *supra*, & ex Plutarcho, in libro *cur Pythia non reddat oracula carmine*. Præterea vero Augustus non legitur Delphos adiisse, nisi multo ante Christi nativitatem tempore, hoc est anno ante mortem suam 34. Tandem Nicephorus, Suidas & Cedrenus, apud quos extat hoc oraculum, recentioris ævi sunt ac levioris fidei, quam ut hac in parte audiri queant.

Argumentum quintum, ex Sibyllinis carminibus.

FREQUENS etiam est apud antiquos e Sibyllinis carminibus ductum argumentum, in quibus disertissima leguntur de Christo vaticinia: sed illud idem momentum apud recentiores tanto in pretio non est, quod plerique jam opinentur veteribus Sibyllis hæc carmina supposita esse, de quo consuli possunt Baronius *in apparatu* & Casaubonus *exercit.* 1. *in Baron. num.* 18. & *in notis ad Spartianum ;* Salmasius *ad Flavium Vopiscum in Aureliano*, Vossius, Blondellus, Petitus, & Crassetius *de Sybillis*, Huetius *prop. 9. cap.* 171. *num. 9.* Van Dale *de oracul. disser.* 2. *pag.* 454. Henricus Valesius *ad orationem Constantini cap.* 18. Ellias Dupin *in Bibliotheca tom.* 1. Monachus Benedictinus, qui in eam notas edidit *tom.* 1. &c. Gallæus *ad Lactant. lib.* 1. *de falsa religione*, *num. 6.* Betuleius *ad librum ejusdem Lactantii de ira Dei*, *num.* 22. Cotelerius *ad Hermam lib.* 1. *cap.* 2. & *ad epistolam* 2. *Clementis Romani* ; Beveregius *in vindiciis can. apost. cap.* 14. Possevinus *in apparatu*.

Et vero adeo incerta sunt omnia quæ de Sibyllis dicuntur, sive earum numerum, sive ætatem, seu vitæ genus, seu librorum auctoritatem expendas, nihil ut certi inde colligi queat.

Ac Sibyllas quidem extitisse constat ex unanimi omnium veterum tam ethnicorum, quam Christianorum consensione, quorum pleraque testimonia in eam rem congesta reperies *tom.* 2. *BB. Patrum edit. Lugd.*

Unam duntaxat agnoscit Diodorus Siculus, Sebastianus Castalio, & nostra

nostra ætate Petitus: plures non definito numero Aristoteles & Plutarchus: duas Strabo, & Martianus Capella *de nuptiis Philolog.* quatuor Pausanias: decem Varro *apud Lactantium lib.* 1. Lactantius *ibidem num. 6. pag.* 31. & alii vulgo: duodecim Suidas, Chronicon Alexandrinum. Inter eas autem potissimum celebrantur Erythræa & Cumæa.

Quo tempore vixerint, non liquet. Sibylla ipsa in iis, quæ ejus nomen hodie præferunt carminibus, *lib.* 3. se jactat esse Noe nurum: contra Justinus Martyr asseverat eam fuisse filiam Berosi, qui post Alexandrum Magnum floruit: alii aliter statuunt; quod expendere non est necesse.

Neque vero magis constat vitæ ac religionis genus: ipsa enim *lib.* 7. confitetur se stupris aliisque criminibus contaminatam fuisse: at eam veteres contra asserunt passim virginem extitisse, Constantinus Magnus *in oratione ad sanctum cœtum*, & alii: imo ob virginitatem illibatam vaticinandi donum Sibyllis esse concessum auguratur Sanctus Hieronymus *lib.* 1. *in Jovinianum*. Sibyllas Deo dilectas, ab ipsoque afflatas fuisse idem opinatur, easque in civitatem Dei ascribit S. Augustinus *lib.* 18. *de civitate Dei*, *cap.* 23. At eas gentilium erroribus dæmonumque cultu implicatas fuisse censent auctor *constit. apostol. lib.* 5. *cap.* 7. Constantinus Magnus *supra*, & Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 22. *art.* 6. Easdem malo spiritu agitatas fuisse scribit Hilarius Diaconus *in cap.* 2. *epist.* 1. *ad Corinthios*. Certe furentes, & insanas Sibyllas nobis exhibent Cicero *lib.* 2. *de divinatione*, Virgilius *lib.* 6. *Æneidos*, & Plutarchus *de oraculis divinorum*. Porro vatum spiritus ipsis subjecti sunt, ut ait Apostolus 1. *Cor.* 14. 32.

Quidquid vero de his statuatur, Cumana extitisse fertur ætate Tarquinii Prisci Romanorum regis, cui fatidicos suos libros obtulisse ac vendidisse memoratur: qui quidem libri tanquam imperio fatales positi sunt in Capitolio, ac primo quidem duumviris, inde decemviris, postremo denique 15. viris crediti sunt, a quibus, cum reipublicæ necessitas poscebat, jussu senatus inspiciebantur, ea tamen lege, ut nulli seu exscribendi, seu vulgandi fas foret: quod si quis fecisset, parricidarum instar plectebatur, quod Attilio accidit. Vide Livium, Valerium Maximum *lib.* 1. *cap.* 1. Fenestellam apud Lactantium *lib.* 1. *n.* 6. Dionysium Halicarn. *lib.* 4. Sueton. *in Augusto*, Tacitum *annal. lib.* 6. Plinium *lib.* 13. *cap.* 13. Aulum Gellium *lib.* 1. *cap.* 19. Lactantium *supra*.

Hi autem veteres libri tanta religione asservati tempore Syllæ, centum circiter ante Christum annis incendio perierunt, quod in causa fuit, cur senatus Romanus legatos in Asiam miserit ad conquirenda, & colligenda quæ tunc ferebantur Sibyllina carmina, ex quibus certa quædam selegit, quæ in aliorum locum substituta sunt teste eodem Halicarnasseo, Tacito, Fenestella, & Lactantio *supra*. Nempe tunc extabant plurima nomine Sibyllarum inscripta carmina, partim historica, partim fatidica, partim moralia. 1. Enim turris Babel substructionem

Sibyl-

Sibylla descripserat, si credimus Alexandro Polyhistori (cujus verba referunt Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. in Jul.* & Georgius Syncellus *in Chronographia*) & Josepho *lib. 1. antiq. cap.* 5. quem laudat etiam Eusebius *lib. 9. præp. evangel. cap.* 15. 2. Illa dixerat de rege circa hæc tempora oriundo, & a Romanis, si salvi esse vellent, suscipiendo, & de aurea ætate per illum reducenda, ut liquet ex Cicerone *lib. 2. de divinatione*, & Virgilio *Ecloga* 4. 3. De mundi interitu & impiorum æterno supplicio verba fecerat, ut notavit Clemens Romanus *in epistola ad Corinthios* 1. ut creditur, quam laudat auctor *quæstionum ad orthodoxos*, inter opera Justini, *quæst.* 74. Denique Paulus apostolus ad Sibyllas remisisse inter concionandum auditores suos, dicitur a Clemente Alexandrino *lib. 6. Stromatum*, *pag.* 636. Hermias autem Pauli discipulus & auctor libri *Pastoris*, ecclesiam sub venerandæ cujusdam anus specie sibi ostensam prima fronte pro Sibylla accepit *lib. 1. visione* 2. Cum enim hi omnes aut ante Christum, aut intra primum a Christo nato seculum vixerint, inde consequens est quædam jam extitisse Sibyllina carmina, & quidem a Judæis Hellenistis Scripturarum lectione imbutis ac Messiam eo tempore expectantibus, ut videtur, fabricata: nec ea demum sub Adriano circa annum 138. in lucem prodire cepisse, quod Blondellus arbitratur.

His autem multa alia sub primi seculi finem inserta sunt, quæ secundo seculo ac sequentibus sub eodem Sibyllarum nomine ab antiquis laudata sunt, Justino videlicet *in parænesi ad Græcos* & *Apologia*; Athenagora *in legatione pro Christianis*; Theophilo Antiocheno *lib. 2. ad Autolycum*; Tatiano *oratione ad Græcos*; Clemente Alexandrino *in protreptico ad Græcos & lib. 6. Stromat.* Tertulliano *ad nationes cap.* 12. Origene *lib. 7. contra Celsum*; Lactantio *lib. 1. num. 6. 7. 15. lib. 2. num. 11. lib. 4. num. 6. 15. lib. 7. num. 13. 15. 19. lib. de ira Dei num. 22.* auctore *constit. apost. lib. 5. cap.* 7. Constantino magno *ad sanctos*, *cap.* 18. Eusebio *lib. 9. præp. evang. cap.* 15. Hieronymo *lib. de locis hebraicis*, & *lib. 1. in Jovinianum*; Optato; Ambrosiastro *in epist. 1. ad Cor. cap.* 2. Cyrillo Alexandrino *lib. 1. contra Julianum*; Augustino *lib. 10. de civitate Dei cap. 27. lib. 18. cap. 23. 24. 46. 47. lib. 13. contra Faustum cap. 15. epist. 56. ad Martianum* & *in expositione epist. ad Romanos*; Prospero, Palladio, Sozomeno, Junilio, Isidoro *lib. 8. originum cap.* 8. & *lib. 9. cap.* 11. Freculpho *tom. 1. lib. 1. chronic. cap. 28. pag.* 130. *tomo 16. bibliot. Patrum*, & *lib. 3. cap.* 18. Druthmaro, Petro Cluniacensi, Petro Blesensi *contra depravationem*, *contra perfidiam Judæorum cap.* 38. & auctore *officii pro mortuis*. Hæc vero Dominum nostrum Jesum Christum palam ac nominatim ejusque vitam, & acta omnia ita clare, ita luculenter prædicabant, ut nihil manifestius esse posset. Imo acrostichis quædam erat his verbis concepta: *Jesus Christus*, *Filius Dei*, *salvator*, *crux*. Constantinus magnus apud Eusebium *in oratione ad sanctum cœtum*. Denique *tom. 1. bibliothecæ Patrum* sub Sibyllarum nomine octo libri extant.

Quæ cum ita ſint, quatuor Sibyllinorum carminum ſtatus quadantenus diſtingui poſſunt. Primus eſt Tarquinii Priſci ad incenſum uſque capitolium: ſecundus exinde ad finem uſque primi ſeculi: tertius tempore Patrum: quartus eſt hodiernæ collectionis. Jam vero multis apparet. 1. ſuppoſititiam plane eſſe hodiernam collectionem, & ab antiqua, quæ Patrum fuit, diverſam: 2. eam quæ Patrum fuit, confictam quoque fuiſſe, & ab ea, quæ ætate Ciceronis ferebatur, diſcrepantem: 3. ea quæ hac ipſa Ciceronis ætate vulgata erant, omnia aut ſaltem pleraque fuiſſe adulterina: 4. quæ in veteribus, & fatalibus Romanorum libris continebantur nil ad religionem noſtram pertinuiſſe. Ex quo ſequitur non omnino firmum eſſe, quod inde erui jam poteſt in favorem Chriſtianæ religionis, argumentum.

Ac 1. hodierna Sibyllinorum carminum collectio ipſis videtur ſuppoſititia, & ab ea, quæ Patrum fuit diverſa, idque multis de cauſis. 1. Enim Sibylla in hac præſenti collectione *libro* 1. ſe jactat Noe nurum: quod falſum eſſe omnes fatentur, & pugnat cum iis quæ alibi ait de imperio Græcorum. 2. Multa *ibidem* memorat fabuloſa, v. g. de Titanibus, de Joſue a mortuis excitando, de Eliæ curru ad nos olim reducendo: multa falſa, v. g. de monte Ararath in Phrygia, de populis Æthiopicis Gog & Magog, de nomine *Adæ* a vocabulo græco ἄδης derivando: multa abſurda, v. g. cum ſe de Chriſti ſecta eſſe prædicat *lib.* 8. 3. Imperatores a Julio Cæſare ad Adrianum ita aperte deſignat, ut iis poſteriorem ſcriptorem eſſe oporteat. 4. Deſcribit incendium templi Veſtæ, quod ſub Commodo accidit. 5. *Ad finem libri* 2. Origenianum errorem ſpirat. 6. Infinita ſe ſtupra & adulteria admiſiſſe narrat; cum Sibyllæ contra integritatem extollant veteres. Ergo non tantum ſuppoſititia eſt hæc collectio, inquiunt, ſed etiam Patribus ignota fuit. An enim Tertullianus *in Apologetico*, Euſebius *lib.* 10. *præpar. evang.* Auguſtinus *de civitate Dei*, &c. aſſeruiſſent Moſen eſſe omnium ſcriptorum vetuſtiſſimum, ſi pro Noe nuru Sibyllam habuiſſent? An ut veracem eam prædicaſſent, in qua tot abſona deprehenduntur? An Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus eam laudare potuiſſent, quæ poſt Origenis demum ætatem ſcripſit? An virginem dixiſſent cujus mille legiſſent adulteria? Adde quod auctor libri *de grammatica* apud Auguſtinum, quædam deſcribat ex vulgatis ea ætate Sibyllarum exemplaribus, quæ in noſtris jam non comparent: de quo Beveregius *ſupra*.

2. Ajunt, quæ a Patribus Sibyllarum teſtimonia laudata ſunt, ea legitima non fuiſſe, ſed conficta ab aliquo Chriſtiano ſub finem primi ſeculi. 1. Enim Sibylla verſus ſuos furens effudiſſe dicitur. At verſus ab antiquis laudati, attentum ac vigilantem animum poſtulant. 2. Longe manifeſtius Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum deſignant ejuſque nomen, acta, mortem, crucem aliaque id genus, quam veteres Judæorum prophetæ. Quis autem putet feminis gentilibus, inſanis, & juxta quoſdam,

dam, a spiritu malo afflatis longe insignius vaticinandi donum fuisse divinitus concessum, quam Davidi, Isaiæ, cæterisque Deo dilectis vatibus. 3. Si multo ante Christum tempore ita luculenter ipsum depinxissent Sibillæ, incredibile est illum ab omnibus statim non fuisse receptum. 4. Ethnici scriptores contendebant a nostris hæc carmina esse conficta, aut Sibyllinis inserta: ita Celsus apud Origenem *lib.* 7. *pag.* 369. alii apud Lactantium *lib.* 4. *de vera sapientia cap.* 1. & apud Constantinum *in oratione ad sanctum cœtum cap.* 19. 5. Ipsimet Christiani doctores, qui cæteris erant acutiores, de iis subdubitasse videntur: ita apud Origenem *lib.* 1. *contra Celsum* quidam inter Christianos recensentur, qui alios *Sibyllistas* appellarent, iisque succenserent quod Sibyllam pro vate, & prophetissa haberent: ita Augustinus *de civitate Dei lib.* 18. *cap.* 46. de iis loquens, „ Nisi forte quis dixerit, inquit, illas prophetias Christianos finxisse „ de Christo, quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, si quæ „ sunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum " *Capite* autem 47. " Sed quæcunque, inquit, aliorum (quam prophetarum) prophetiæ de „ Dei per Jesum Christum gratia proferuntur, possunt putari a Chri„ stianis esse confictæ. " Adde *epistolam* olim 258. Ergo ab aliquo Christiano conficta ea fuisse longe probabilius est. Conficta autem fuerant, non post annum 138. quod putant Blondellus, & Ellias Dupin, sed multo ante, hoc est ante finem primi seculi. Justinus enim martyr qui paulo post hunc aunum *apologiam* pro Christianis scripsit, & obtulit imperatoribus, Athenagoras & Tatianus, qui eadem ætate floruerunt, Sibyllina carmina laudant, ut antiqua, & omnium manibus trita, & communi omnium etiam gentilium judicio probata. An autem ita loqui potuissent, si hesternum opus, & cunctis ignotum extitisset?

NEC dicas, si res ita est, impostores fuisse antiquos Patres, & infirmam fuisse eorum adversus gentiles disputandi rationem.

1. Enim impostores ac plani non fuerunt, quippe qui bona fide ea allegarint tanquam Sibyllina carmina, quæ Sibyllarum ipsa esse arbitrati sunt. Non est autem mirum, si hac in parte decepti sunt, cum in arte critica non ita forent versati, & præterea Mercurium Trismegistum & Hydaspen pariter laudent, quorum opera esse supposititia nemini jam erudito dubium est. 2. Non ita infirma erat Patrum disputandi ratio. Hæc enim Sibyllina carmina, quæ a Patribus laudabantur, in communi omnium usu erant, & ab ethnicis ipsis vulgo ut genuina agnoscebantur. Debile ergo adversus eosdem non erat ex istis depromptum momentum.

Porro hinc consequens est Sibyllina carmina a Patribus laudata ab iis aliquatenus saltem diversa fuisse, quæ ætate Alexandri Polyhistoris, Ciceronis, ac Virgilii circumferebantur: quod insuper triplici argumento potest astrui. Primum est, quod juxta Ciceronem, & Dionysium Halicarnasseum versus Sibyllæ tum ascripti, omnes essent acrostichici,

 eaque

eaque arte elaborati, ut primus versus cujusque sententiæ primas omnium versuum litteras, eorumque acrostichidem conficeret: sic enim loquitur Cicero: " In Sibyllinis, inquit, ex primo versu cujusque sententiæ „ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur " Dionysius autem Halicarnasseus *lib.* 4. " In quibus (Sibyllinis), inquit, inveniuntur „ quædam supposititia, quæ deprehenduntur, acrostichidum, ut vocant, „ discrimine. " At versus a sanctis Patribus adducti, non sunt omnes acrostichici. Secundum est, quod vel ipsa acrostichis, quæ a Constantino, ac Augustino, non sine aliqua tamen varietate, affertur, cum simplex omnino sit, prorsus differat a Ciceroniana, quæ duplici artificio constabat, ut modo observavimus. Adde quod acrostichis Constantiniana alludat *versu* 32. ad Psal. 2. v. 9. nec ullum verbum habeat de rege a Romanis recipiendo, si salvi esse vellent: de quo tamen Ciceroniana, vel unice vel potissimum agebat. Tertium est, quod juxta Ciceronem in Sibyllinis versibus hominum ac temporum definitio esset sublata, itaut dignosci non posset, in quam personam aut tempus convenirent: nostri autem contra ex Sibyllinis, quæ præ manibus habebant, Jesu & nomen, & originem, & acta omnia mortemque haurirent.

3. Ea quæ Sibyllarum nomine ferebantur ante Christum & intra primum ab ipso nato seculum, pleraque fuisse conficta statuunt: quod etiam notarunt Dionysius Halicarnasseus *supra*, & Suetonius *in Augusto*. Nempe quæcunque non erant acrostichica, aut potius duplici acrostichide non constabant, imo vero, quæ ejusmodi erant, & vulgo jactabantur, ea aperte irridet Cicero, utpote obscure, & callide composita, in omnem eventum, arte potius & diligentia quam incitatione & motu, attento magis animo quam furente, qualis Sibylla esse debuit. Jam vero si quæ a Cicerone laudantur, merito suspecta sunt, multo potiori jure in dubium revocabuntur, quæ ab Alexandro Polyhistore, Josepho, Clemente Romano allegata sunt: quippe quæ, nedum duplici constarent acrostichide, carmine contexta non essent.

Cæterum ista omnia, quæ nomine Sibyllarum circumferebantur, e sacris libris videntur fuisse derivata: quod etiam monuit Gregorius Nazianzenus *carmine ad Nemesium*, & res ipsa indicat.

4. Denique, quod attinet ad veteres Sibyllarum libros, tanta cura in capitolio quondam asservatos, ab ipsis fere gentis humanæ exordiis, ii profecto ad Christianam religionem nullatenus spectabant, nihilque nisi sacrificia falsis numinibus offerenda, aut profanas supplicationes crepabant, ad averruncandas reipublicæ calamitates, ut omnes norunt; qui Livium, Dionysium Halicarnasseum, aliosque historiæ Romanæ scriptores legere. Vide Vossium, Salmasium, & Elliam Dupin *in notis*.

Idem est statuendum de iis carminibus quæ post incensum capitolium in priorum locum a senatu suffecta sunt, ut liquet ex consequentium ætatum historia, quæ eadem sacrificia, eamdemque impietatem ex

ex libris illis Sibyllinis haustam exhibet, apud Zosimum *lib. secundo*, Julium. Capitolinum *in Gordiano juniore*, Trebellium Pollionem *in Gallienis*, Flavium Vopiscum *in Aureliano*, Ammianum Marcellinum *lib.* 24.

Ex quibus colliges arcanos Sibyllarum libros a vera religione prorsus alienos extitisse: quæ autem paulo ante Christum prodire cœperunt Sibyllina carmina, ac vulgari, ea in aliquod corpus coaluisse, quod exinde nonnullis identidem truncatum, longe vero pluribus temporis decursu interpolatum, & auctum (ut fieri solet in ejusmodi vaticiniorum libris) etiamnum perseverat, & extat *in bibliotheca Patrum*.

QUÆSTIO QUARTA.

De causis Incarnationis.

QUONIAM simul atque cognovimus rem aliquam existere, statim illius causas nosse cupimus, & ejusmodi causarum notitia perfecta rei comprehensio continetur, jam ordo postulat, ut de causis incarnationis disseramus.

Quatuor autem causæ vulgo recensentur, materialis scilicet, & formalis, finalis, & efficiens, ad quam meritoria revocatur.

Jam vero certum est 1. nullam esse proprie hujus mysterii causam materialem, & formalem: si quæ autem ejusmodi cogitentur, has esse ejusdem mysterii genus ac differentiam; aut materiæ locum tenere utramque Christi naturam; formæ autem instar esse ambarum conjunctionem. 2. Causam efficientem esse totam Trinitatem, cujus omnia, quæ extra sunt opera, communia sunt & indivisa. Unde synodus Toletana II. *in professione fidei*; "Incarnationem, inquit, tota Trinitas „ operata esse credenda est: quia inseparabilia sunt opera Trinitatis." Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ &c. quamvis Spiritui sancto hoc opus, utpote summæ charitatis ac misericordiæ peculiari quadam ratione, per appropriationem, ut ita loquar, tribuatur.

Quapropter duo duntaxat nunc supersunt inquirenda; primum de causa finali; alterum de causa meritoria Incarnationis: a finali autem incipiemus, quod omnium prima sit.

ARTICULUS I.

De causa finali Incarnationis, & an si Adamus non peccasset, Verbum divinum carnem induisset.

OBSERVANDUM est 1. hic non esse controversiam de eo, quod fieri potuisset: constat enim Verbum potuisse venire, etiamsi lapsus non esset Adamus; idque vi decreti alicujus, quod Deus tunc essinxisset, sed de eo quod futurum reipsa erat vi illius decreti, quo Christus carnem induit.

Notandum est 2. nullum esse hac de re apud veteres dissidium. Omnes enim unanimi consensione statuunt Christum venisse duntaxat, ut humanum genus repararet, nec alias fuisse venturum: sed apud recentiores non mediocrem esse de hoc argumento litem. Alii enim, v. g. Alensis *3. parte, quæst. 2. memb.* 13. Albertus Magnus *in 3. dist. 7.* Scotus *ibid. quæst. 3.* & tota ejus schola, necnon & Catharinus in opusculo *de eximia Christi prædestinatione*, Jacobus Naclantus *in caput 1. epist. ad Ephes.* Suarez, Isambertus, &c. opinantur Christum, quamvis Adamus non peccasset, venturum fuisse in carne impassibili, ut mundi ornamentum, & hominum doctor, magister, ac dux foret; alii vero antiquos Patres & S. Thomam secuti *3. parte, quæst. 1. art. 3.* id omnino negant.

ASSERTIO.

CITRA Adami peccatum Verbum divinum carnem non induisset.

ARGUMENTA.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Ea enim Incarnationis unica causa agnoscenda est, quam solam assignant Scripturæ: in iis enim, quæ sunt ejusmodi, & ex mera Dei voluntate pendent, causas fingere ac comminisci non licet. Atqui Scripturæ unicam afferunt Incarnationis causam, nempe generis humani liberationem.

Isaiæ enim cap. 61. vers. 1. *Dominus misit me ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam*: his enim verbis Dei consilium aperitur.

Matthæi cap. 9. vers. 13. *Non est opus valentibus medicus sed male habentibus: non enim veni vocare justos sed pecatores.* Ibi quippe non tantum dicitur venisse Christus propter peccatores, sed etiam propter ipsos duntaxat venisse, itaut alia quælibet causa excludatur. Nimirum Christus venit ut medicus; at medicus est tantum propter ægrotantes: venit ut salvator; at salvator est non propter justos, sed tantum propter peccatores.

Ibi-

Ibidem cap. 18. v. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat.*

Lucæ 19. 10. iisdem fere vocibus, *Venit Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.*

Joannis 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Hic enim alia quævis ratio submovetur.

Ibidem cap. 10. v. 10. *Ego veni ut vitam habeant.* Non ergo venisset, si vitam habuissent homines. At vitam habuissent, si Adamus non peccasset.

Ad Romanos cap. 5. vers. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Ad Galatas 4. 4. *Misit Deus, Filium suum.... ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Ad Ephesios 2. 4. *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo.*

1. Ad Timotheum 1. 15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.*

Ad Hebræos 2. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.*

1. Joannis cap. 3. vers. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Ibidem cap. 4. vers. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

Ita Scripturæ, quarum testimonium est in eam rem disertissimum: sed tamen ut ejus vis magis ac magis eluceat, animadvertendum est. 1. altum ubique silentium esse de alio Incarnationis fine. Id autem unum satis nobis esse posset. Si enim fingere hic licet, nullus erit licentiæ modus. 2. Non modo aliæ causæ non assignantur, sed etiam aperte excluduntur. 3. Nullus est effugio locus. Si enim Christus citra ullum Adami peccatum venire debuit, illud autem peccatum causa duntaxat fuit assumptæ, ut ita dicam, a Christo passibilitatis, quæ mera est hujus mysterii circumstantia per accidens ei adjuncta; cur Scripturæ ubique peccatum ipsum allegant, tanquam causam, non tantum passibilitatis, sed etiam ipsius adventus? cur hanc circumstantiam solam memorant, ipsam vero tacent mysterii summam ac substantiam? An vero id sapientiam Dei decet, ut cum adventus Filii sui causas exponit, de præcipua causa æternum sileat, minus autem præcipuam semper afferat? Quæ isthæc agendi & loquendi ratio foret? 4. Tandem adventus Christi in terram ibi commendatur, ut maximæ Dei erga nos mi-

miseros charitatis & misericordiæ monimentum. Id autem verum quidem est, si propter nostram salutem duntaxat venit; verùm autem non est, si Christus venturus erat, etiam citra ullum humani generis peccatum.

PROBATUR 2. ex symbolo Nicæno, in quo hæc una causa assignatur: sic enim ait: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*. Scilicet hic non dicitur factus esse passibilis propter nostram salutem, sed propter eam de cœlis descendisse.

PROBATUR 3. ex sanctis Patribus.

Irenæus *lib.* 5. *cap.* 14. " Si non haberet caro salvari, inquit, nequa„ quam Verbum Dei caro factum fuisset. " Non ait, *caro passibilis*, sed simpliciter *caro*.

Tertullianus *de carne Christi cap.* 14. " Eadem ergo est & causa, ut „ hominem gestaret Christus: salus hominis fuit causa; scilicet ad restituendum quod perierat. " *Ibidem* ait angelicam naturam non fuisse assumptam a Christo, quia eos redimi non oportuit.

Origenes *homil.* 24. *in Numeros*, " Si non fuisset peccatum, non neces„ se fuerat Dei Filium agnum fieri: .... sed mansisset hoc quod erat in „ principio, Deus Verbum. At si mansisset quod erat, certe nullatenus carnem assumpsisset, nec passibilem nec impassibilem.

Athanasius *oratione* 3. *contra Arianos*, " Humanæ naturæ susceptionem, „ inquit, (a Christo factam) antecedit hominum necessitas; sine qua „ carnem non induisset: .... Quod enim homo est factus, id nunquam „ contigisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset. " Quid luculentius?

Basilius *hom.* 29. " Filius Dei, inquit, ... homo factus est propter „ Adam, qui ceciderat &c.

Gregorius Nazianzenus *orat.* 36. " Quænam humanæ propter nos su„ sceptæ naturæ causa extitit? Nempe ut nos omnes salutem adipiscere„ mur? Quid enim aliud afferri potest? " Eo loci sanctus ille doctor, non modo asseverat nullam aliam causam extitisse, sed nec ullam aliam adduci posse.

Ambrosius *de Incarnatione cap.* 6. " Nam quæ erat causa Incarnationis? „ nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur.

Chrysostomus *homil.* 31. in hæc verba Matthæi, *Non veni vocare justos*, „ *sed peccatores*: " Adeo procul abest, inquit, ut peccatores abomine„ tur, qui propter illos solos advenerit. " *Solos*, ait, ut quamlibet aliam causam rejiciat.

Cyrillus *lib.* 5. *de Trinitate*, " Hominis crimina divinæ gloriæ, in„ quit, occasio fuerunt. Nam si non peccassemus, neque factus similis „ nobis esset Filius Dei.

Augustinus *sermone* 3. *de verbis Apostoli*. " *Venit Filius hominis*, in„ quit, *quærere & salvare, quod perierat*. Si homo non periisset, Filius „ hominis non venisset..... Quare venit in mundum? peccatores sal-

„ vos

„ vos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum &c. " Et „ *sermone 9.* " Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores „ salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera; & nulla est causa medicinæ. „ Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terrarum jacebat ægrotus. " Quæ profecto sunt luce meridiana clariora. His autem similia occurrunt *Enchiridii cap.* 108. *in psal.* 36. *concione* 2. *in psal.* 68. *tract.* 47. *in Joan.* Sed nihil efficacius afferri potest, quam quod ait idem sanctus doctor *lib.* 1. *de peccatorum meritis & remissione cap.* 26. 27. 28. Illic enim ex professo adversus Pelagianos probat parvulos originis labe infici, eo quod ex Scripturis appareat Dominum nostrum Jesum- „ Christum, " Non aliam ob causam in carne venisse, ... nisi ut hac „ dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes quibus tanquam membris „ in suo corpore constitutis caput est, ... salvos faceret, liberaret &c. (quod quidem quinquaginta & amplius Scripturarum testimoniis demon- „ strat) & quia non potest dici, quod ad Jesum parvuli non pertineant. " Sic ergo disputat S. Augustinus: Non nisi propter eos, qui peccato perierant, redimendos venit Christus, nec ulla alia veniendi causa ipsi fuit. Atqui propter parvulos venit. Ergo peccato sunt inquinati. Nullum autem peccatum propria voluntate admiserunt. Proinde originis labe contaminati sunt.

S. Leo *sermone* 5. *de Pentecoste*, " Si homo, inquit, ad imaginem .... „ Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude dece- „ ptus, a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi „ creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, „ aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam servi & similitudinem carnis „ peccati assumeret.

Quibus adjungendi sunt Fulgentius *de Incarnatione cap.* 7. Gregorius Magnus *in lib.* 4. *Regum cap.* 1. Primasius *in epist. ad Hebræos;* Petrus Cellensis *lib. de panibus cap.* 3. Bernardus *sermone in feriam* 4. *majoris hebdomadæ.*

Atque hæc quidem testimonia, si diligenter expendantur, omnem præcludunt effugio viam. 1. Enim nullam aliam Incarnationis causam illic Patres agnoscunt, quam humani generis liberationem: aliam autem causam tacuisse ibi, damnasse est. 2. Aliam quamlibet conceptis verbis submovent, nempe Irenæus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, S. Leo. 3. Omnes generatim loquuntur de carne, de adventu &c. 4. Carnem omnem, etiam impassibilem, prorsus abigunt, cum aiunt Filium Dei in cœlo fuisse omnino mansurum, qualis ab omni æternitate erat, nec e cœlo descensurum, si homo non peccasset: ita Origenes, Athanasius, Cyrillus, Augustinus &c. 5. Denique, si Augustinus recte ratiocinatur contra Pelagianos, profecto ad hujus argumenti vim necessario oportet ut Christus citra Adami peccatum venire omnino non debuerit. Si enim alias venire debuisset, ut caput hominum foret, & ipsis gratiam largire-

tur,

tur, imbelle est omnino Augustini telum & sine ictu : respondere enim facile potuissent Pelagiani, Christum venisse propter parvulos, nec tamen eos ideo esse peccato inquinatos, si quidem Christus poterat ac debebat venire, etiamsi nullum esset peccatum. Ergo constans hæc erat cum apud catholicos, tum apud Pelagianos doctrina, videlicet Christum non nisi propter homines liberandos e cœlo venisse. Atque adeo imprudenter hic Pelagianis favent, & Ecclesiæ causam labefactant Scoti discipuli, cum aliter opinantur.

Probatur 4. ratione. Christus enim venire non debuit citra Adami peccatum, si nulla in Deo fuit citra hoc peccatum voluntas mittendi Filii, aut in ipso Filio carnis assumendæ. Atqui nulla citra hoc peccatum in Deo fuit voluntas mittendi Filii, aut in ipso Filio carnis assumendæ. Voluntas enim illa debuit esse efficax : voluntas enim efficax ea est quæ sortitur effectum. At ista voluntas suum habuit, etiam juxta adversarios, effectum : vi enim ipsius venit Christus. Adde quod ejusmodi voluntas fuerit Christi prædestinatio. Non potuit autem esse prædestinatio, nisi voluntas quædam efficax. Atqui nulla tamen citra Adami peccatum in Deo voluntas fuit mittendi Filii, aut in ipso Filio carnis assumendæ. Vel enim illa voluntas efficax fuit de carne passibili, vel de carne impassibili, vel de carne generatim. At 1. certe non fuit de carne passibili : Scotistæ enim confitentur citra Adami peccatum Christum non fuisse venturum in carne passibili. 2. Non fuit de carne impassibili : si enim in Deo Patre & Filio ante omnem peccati præsensionem, fuisset voluntas efficax circa carnem impassibilem, hanc impassibilem carnem Christus necessario induere debuit etiam post peccatum ; vel voluntatem istam mutare ac rescindere. At Deus non mutatur, nec ulla ipsius voluntas efficax rescinditur. Ergo nulla in ipso fuit voluntas efficax circa impassibilem carnem. 3. Hæc voluntas efficax non fuit de carne generatim assumenda, abstrahendo, ut loquuntur, a passibili aut impassibili : omnis enim voluntas efficax in Deo determinata est & fixa : eoque differt ab antecedenti & inefficaci, quod antecedens rem in universum attingat, & veluti suspensa sit ; efficax autem spectet rem speciatim, qualis in seipsa futura est. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Aliæ multæ afferuntur in Scripturis Incarnationis Christi causæ, quam humani generis reparatio. Non modo enim venit Christus, ut redemptor hominum, sed etiam 1. ut magister, Matth. 23. v. 10. *Unus est magister vester, Christus* : 2. ut pastor, Joan. 10. v. 19. *Ego sum pastor bonus* : 3. ut vitæ spiritalis auctor, Joan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant* : 4. ut legislator, Jacobi 4. v. 12. *Unus est legislator* ; 5. ut sponsus, Psal. 18. v. 6. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Ergo.

Distinguo antecedens : multæ aliæ causæ afferri possunt, secundariæ,

dariæ, consequentes, & a prima, quæ est humani generis instauratio, suspensæ; concedo: primariæ, & seorsim ab ea efficaces; nego. Causæ itaque mox enumeratæ, secundariæ sunt & duntaxat consequentes. Venit enim Christus quidem, ut magister, pastor, sponsus, legislator; sed non venisset ut talis, nisi primo venturus fuisset ut humani generis reparator. Ergo Christus venit, 1. ut magister & lux hominum: sed quibus? nempe *habitantibus in regione umbræ mortis:* 2. ut pastor; sed dimissis in cœlo nonaginta novem ovibus *ad quærendam illam, quæ perierat*, Lucæ 15. v. 4.: 3. ut vitæ ac salutis auctor, sed *homini delapso in latrones, & ab iis semivivo relicto*, ibidem cap. 10. v. 30. 4. ut legislator, sed iis, qui *a lege exciderant*; & simul ut judex, quod apostolus Jacobus *ibidem* addit: 5. tandem ut sponsus, sed ut sponsus similis Moysi, hoc est ut *sponsus sanguinum*, Exodi 4. v. 25. quia *Ecclesiam* sponsam *acquisivit sanguine suo*, Actuum 20. v. 28.

OBJICIES 2. Ex Scripturis Christus est ante omnes creaturas: Proverb. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio:* (vel ut LXX. interpretes habent: *Dominus creavit me* &c.) Eccli. 24. v. 5. *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam:* versu autem 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Coloss. 1. v. 15. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso constant universa, ... & ipse est ante omnes.* Hæc autem loca de Christo ut homine accipienda sunt. Eatenus enim solum potest dici *creatus* & *primogenitus*. Itaque Christus ut homo ante omnes creaturas fuit. Atqui Christus ut homo non fuit ante omnes creaturas, actuali, ut loquuntur, existentia; si quidem post multa annorum a condito mundo millia, demum ex Virgine natus. Ergo hæc intelliguntur de Christi prædestinatione: proinde Deus Filium prius mittere, quam cætera condere decreverat.

DISTINGUO majorem: Christus ut Deus & æternus Dei Filius; concedo: ut homo; nego. Hæc enim omnia Scripturæ testimonia de Christi æterna origine sumenda sunt, & ipsius divinitatem probant. Et vero in iis sermo est de actuali ex omni æternitate existentia, ut singula percurrenti manifestum erit. At certe Christus ut homo ante omnes creaturas non extitit reipsa. Ergo hæc de Christo ut Deo interpretanda sunt. Nec obstant duo, quæ allegata sunt: 1. Enim cum Filius Dei *ab æterno* dicitur *creatus*, hoc *creationis* nomen nihil aliud illic sonat, quam *generationem*. 2. Vocatur *primogenitus omnis creaturæ*, quod ante omnem creaturam genitus sit, ut Patres exponunt.

OBJICIES 3. Christus est finis rerum omnium 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Atqui finis iis rebus prior est, quæ ad ipsum referuntur. Ergo.

DISTINGUO majorem: Christus ut Deus; concedo: ut homo; subdistinguo: est finis secundarius & consequens; concedo: primarius; nego. Quocirca primarius finis est iis rebus prior quæ ad ipsum referuntur;

runtur; non item secundarius. Porro Deus est finis rerum omnium primarius; omnia enim primario propter se ac gloriam suam condidit, Christus vero ut homo non est rerum omnium finis, nisi secundarius & consequens. Poterat enim rerum universitas esse sine Christo, ut homine; & reipsa sine ipso extitisset, si Adamus non peccasset: sed posito Adami peccato, cum Deus ad illud tollendum mittere decrevit Filium suum, tunc ei omnia subjici voluit, & ad eum referri. Ita homines potuerunt esse sine ullo rege, qualem omnes gentes passim habent; atque adeo rex populo posterior est in decreto Dei: sed posita tamen regis necessitate aut creatione, voluit Deus ut omnis populus ad eum quadantenus referretur.

Objicies 4. Christus est exemplar omnium prædestinatorum. Ad Romanos enim cap. 8. v. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Atqui exemplar præcedit ea quæ ad ipsius imaginem efformantur. Ergo Christus prior est omnibus prædestinatis. Prævisus itaque est ante omnes angelos & homines.

Distinguo majorem; Christus est exemplar omnium prædestinatorum hominum; concedo: hominum & angelorum: nego. Alio nempe modo homines, alio angeli prædestinati sunt. Angeli prædestinati sunt ex prævisis meritis, ex gratia versatili ipsis a creatore concessa per liberum arbitrium comparandis: homines autem prædestinati sunt gratis & sine ulla prævia meritorum notitia. Jam vero Christus homo mera Dei gratia, & citra ullius meriti subsidium prædestinatus est, & factus Filius Dei. Norma ergo est & exemplar prædestinationis hominum: non vero angelorum. Et sane Paulus de solis hominibus loquitur, quos appellat *Christi fratres*. Id enim in homines solos competit, nullatenus autem in angelos. De quo Augustinum vide *de prædestinatione Sanctorum*, & *de dono perseverantiæ*.

Objicies 5. Christus est caput omnium electorum, tam angelorum, quam hominum. Caput autem est id unde vita ad cætera membra derivatur. Atqui quod vitam largitur, id prius esse aut saltem decerni debet, quam illa quæ ab eo vitam accipiunt. Ergo Christus prius destinari debuit, quam de angelis & hominibus quidquam statueretur.

Distinguo majorem. Christus est caput omnium electorum, cum hominum tum angelorum, dignitate & auctoritate quibus omnes supereminet; concedo: largitione & influxu gratiæ; subdistinguo: gratiæ secundariæ; concedo: primariæ; iterum subdistinguo: quoad homines lapsos; concedo: quoad angelos & hominem in statu innocentiæ; nego. Duplex hominis status distinguendus est: alius enim est status innocentiæ, qualis fuit angelorum & Adami, cum e Dei manibus exierunt; alius est status naturæ lapsæ, qualis est noster. Gratia pariter est duplex: alia primaria quæ ad salutem necessaria est, & qua salus eadem comparatur; alia secundaria, quæ in variis donis ad primam illam acceden-

cedentibus, posita est. In primo statu gratia fuit non reparatoris Christi, sed creatoris Dei: in statu autem naturæ lapsæ necessaria est gratia Christi redemptoris, quæ efficaces vires præbeat infirmæ ac debilitatæ voluntati. Ergo Christus dignitate quidem sua caput est omnium electorum, cum hominum, tum angelorum, quia evectus est supra omnes potestates, principatus &c. Caput etiam est auctoritate, quia omnis potestas data est ei in cœlo, & in terra. Est etiam omnium illorum caput largitione multiplicis gratiæ, qualis est revelatio uberior mysteriorum, gaudium ex salute hominum a Christo redemptorum &c. Sed hominum duntaxat caput est influxu gratiæ primariæ: quia angeli a Deo solo habuerunt eam gratiam, qua salutem adepti sunt; nos vero habemus a Christo. Sed ea de re alibi. Vide *Ephes.* 1. *v.* 22. *Coloss.* 1. *v.* 20.

Instabis. Non alia gratia Angelum a ruina custodivit, quam quæ lapsum hominem post ruinam reparavit, ex S. Fulgentio *lib.* 2. *ad Thrasimundum cap.* 2. Bernardo *sermone* 22. *in Cantica*. Ergo.

Distinguo antecedens: non alia fuit gratia substantialis, id est misericordia Dei; concedo: accidentalis; subdistinguo: non alia gratia fuit generatim; concedo: speciatim; nego. Eadem ergo gratia fuit substantialis, quia eadem fuit Dei misericordia: eadem quoque fuit generatim gratia accidentalis, quia ambo eguerunt auxilio quodam supernaturali; sed non eadem fuit speciatim, quia altera versatilis fuit, altera efficax est.

Objicies 6. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 33. " Ipse est (Christus) inquit, ... qui omnes .... cum ipso Adamo recapitulavit .... Unde „ & a Paulo typus futuri dictus est ipse Adamus: quoniam futuram „ circa filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabri„ cator omnium Verbum, præformaverat, præformante Deo primo ani„ malem hominem, videlicet ut a spiritali salvaretur. Cum enim præ„ existeret salvans, oportebat, & quod salvaretur, fieri, ut non va„ cuum sit salvans. "Ibi Christus dicitur ante Adamum extitisse, ut ejus archetypum, finis, ac servator. At certe non potest dici reipsa ante ipsum extitisse. Ergo prius eo extitit in mente Dei, & ordine decretorum: atque adeo destinatus erat Christus ante Adamum.

Distinguo majorem: ibi dicitur Christus extitisse ante Adamum, extitisse in mente Dei ante Adamum reipsa creatum; concedo: ante Adamum creandum; nego. Juxta Irenæum igitur Deus Adamum prædestinavit (hoc est præmisit in mundum) cum non ignoraret illum esse peccaturum, ut a spiritali ac secundo Adamo salvaretur. Cum enim jam in Dei mente præexisteret Salvator destinatus ac designatus, oportebat etiam illud fieri ac condi, quod ab eo salvandum erat, ne superfluus & inanis evaderet Salvator. Et vero non potest dici Christus ita prius in mente Dei extitisse, quam Adamus creandus: hinc enim sequeretur Christum venturum fuisse, etiam ut salvatorem, & in car-

carne paſſibili, quamvis Adamus non peccaſſet: quod repugnat, & Scotiſtarum opinionem perimeret.

Objicies 7. Tertullianus *de reſurrect. carnis cap. 6.* de formatione „ corporis Adami loquens, “ Quandocunque, inquit, limus exprime- „ batur, Chriſtus cogitabatur homo futurus. Ergo ante Adamum Chriſtus futurus jam erat homo.

Distinguo conſequens: ante Adamum creatum; concedo: creandum ac definitum; nego. Nimirum Deus 1. ſtatuit Adamum condere: 2. prævidit illius peccatum: 3. ad eum liberandum mittere Filium ſuum decrevit: 4. cum poſtmodum Adami corpus formaretur, ad exemplum futuri Chriſti corporis, Adami carnem effingere ſpeciatim voluit.

Objicies 8. Cyrillus *lib. 15. Theſauri* explicans illud *Prov.* 8. 13. apud LXX. interpretes, de Chriſto Dei ſapientia; *Ante ſecula formavit me*; quod Ariani ad potiorem Chriſti naturam referebant, ex quo colligi arbitrabantur eam fuiſſe initio mundi creatam; contendit contra illud eſſe intelligendum de Chriſti humana natura, quæ jam exiſtebat in æternis Dei decretis. “ Ante ſecula, inquit, fundavit Deus Filium „ ſuum, quantum ad prænotionem attinet, ut nos ſuper eum ædificati, „ reſurgamus in incorruptionem ...... Sciebat enim nos per peccatum „ morituros ...... Cum autem, quæ ex re noſtra erant, etiam ab æter- „ no præcogitaverit omnium noſtrum creator, prævidit atque præfini- „ nivit etiam eum, qui propter nos & pro nobis homo futurus eſſet, „ hoc eſt Verbum ſuum, ut initium viatum, & fundamentum repe- „ riatur inſtauratæ in ipſo humanæ naturæ in incorruptionem ..... „ præſciens quæ humanæ naturæ conducibilia forent, neque ignorans „ quod in corruptionem omnino prolapſura eſſet: inſtaurationem vero „ ac modum inſtaurationis, reductioniſque ad incorruptionem ei quæ- „ rens, veluti radices ei quaſdam ejuſmodi ſpei egit in Filio ſuo; .... „ ut rurſus in vitam repullularet, & tanquam jam ante benedicta non „ in univerſum maledictioni obnoxia foret, cum audiret, *Terra es & „ in terram reverteris*: ... ut .... antiquior in nobis ſit benedictio quam „ maledictio; antiquior promiſſio ad vitam, quam condemnatio in „ mortem; antiquior adoptatio in libertatem, quam diabolica ſervitus? „ Ita ſanctus doctor, qui allato mox architecti exemplo, fundamentum ſolidum præſtruentis, ut ſi ædes corruere contigerit, iterum in- „ ſtaurari queant, ſic pergit. “ Eadem ratione, inquit, omnium crea- „ tor Chriſtum ſalutis noſtræ fundamentum, etiam ante creationem „ mundi jecit, ut cum eam per peccatum labefactari contigerit, ite- „ rum in ipſo inſtauremur. Quantum igitur attinet ad conſilium ac „ propoſitum Patris ante ſecula fundatur Chriſtus, opus vero ipſum „ ſuo tempore effectum eſt. “ Ex quibus verbis adverſarii Achilleum in gratiam ſententiæ ſuæ argumentum depromi putant. Sic ergo arguunt: Juxta Cyrillum benedictio prior eſt maledictione. Atqui Chriſtus, ut

homo

homo futurus, est humani generis benedictio; peccatum vero Adami est ipsius maledictionis causa. Ergo Christus ut homo futurus prior est Adami lapsu, nec ab eo pendet.

DISTINGUO majorem: benedictio prævisa ac destinata prior est maledictione promerita & actu illata; concedo: maledictione prævisa; nego. Itaque si locus iste accuratius expendatur, totus noster est. Cyrillus enim ibi nihil aliud agit, quam ut ostendat Christum fuisse quidem a Deo prævisum ac prædestinatum, priusquam Adamus reipsa laberetur: sed ita tamen ut propter hunc eumdem lapsum duntaxat prævisus & destinatus fuerit. Si enim Cyrillum audimus, non alia de causa Deus mittere decrevit Filium suum quam ut esset " Fundamentum in-„ stauratæ salutis nostræ, quia sciebat nos esse morituros per peccatum, „ ut per eum resurgeremus in incorruptionem; " quia in corruptionem cadere debebamus. Juxta ipsum propter nos tantum & pro nobis Christus homo factus est, ut esset post maledictionem nostra benedictio. Hæc autem profecto significant atque evidenter ostendunt Christi Incarnationem ex præviso humani generis lapsu pependisse. Et sane Cyrillus hic ubique Christum spectat & exhibet ut futurum humani generis liberatorem. Quis autem adeo desipiat, ut putet destinatum fuisse liberatorem ante futuri lapsus & incurrendæ servitutis præsensionem? prius fuisse paratum remedium, quam morbum futurum esse cognitum. Quid enim opus fuerit medicina, si morbus non adsit? Liquet ergo, juxta sancti doctoris illius mentem, Incarnationem fuisse ex præviso Adami peccato suspensam, nec alias fuisse decernendam. Prius itaque prævisum est a Deo Adami peccatum, quam fixum ullum de futura Incarnatione decretum, atque adeo ex illa parte maledictio prior fuit in mente Dei quam benedictio: sed tamen benedictio prævisa ac præparata prior fuit quam maledictio actu & reipsa illata: benedictio enim prævisa fuit ab æterno: in maledictionem vero non incurrit Adamus ac genus humanum, nisi post conditum mundum. Quod autem hæc sit Cyrilli sententia ex ipsius verbis manifestum est. Christum enim & benedictionem spectat quoad *prænotionem*, *prævisionem*, *consilium*, & *propositum Patris*. His quippe vocibus utitur. Et cum de Adamo, de peccato, de maledictione loquitur, creationem jam factam commemorat. " „ Creator, inquit, Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante „ creationem mundi jecit. Quocirca quæ pertinent ad Christum & benedictionem, in alio ordine spectat, quam Adamum & maledictionem. Et vero nisi ita explicandus foret S. Cyrillus, ipse sibi non constaret, ut ex iis liquet quæ de eo ante diximus, imo nec cum adversariorum opinione concordaret, quippe qui existiment Christum venturum non fuisse ut servatorem nostrum, si Adamus non peccasset.

INSTABIS. S. Cyrillus ibi Christum comparat ædium fundamento. Atqui fundamentum prius jacitur, quam ædes corruant aut corruere

cogi-

cogitentur. Ergo Christus pariter est ante destinatus, quam ulla de futuro hominum lapsu cogitatio, aut prævisio extitisset.

Distinguo majorem : comparat Christum fundamento instaurationis futuræ ac prævisæ; concedo : fundamento primæ constructionis; nego. Architecti quidem vulgo cum ædium fundamenta jaciunt, de illarum ruina non cogitant; sed fieri tamen potest ut ruinam illam aliquando in mente habeant, & eo consilio, eaque de causa fundamenta illa solidiora ac firmiora solito faciant. Hoc autem in casu fundamenta destinata, essent ruina prævisa posteriora. Jam vero Cyrillus Christum spectat non ut fundamentum creationis generis humani; sed contra ut fundamentum instaurationis generis humani. Prius ergo prævideri debuit lapsurum humanum genus, quam decerneretur Christus homo futurus.

Objicies 9. Rupertus *lib. 13. de gloria & honore filii hominis* docet Christum fuisse venturum etiam seposito salutis nostræ negotio. " Cum „ de electis omnibus dubium non sit, quod nasciturі forent omnes „ usque ad præfinitum numerum secundum propositum Dei, quo ante „ peccatum benedicens, *Crescite*, ait, *& multiplicamini*, & absurdum sit „ putare, quod propter eos, ut nascerentur peccatum necessarium fuerit, „ quod .... de rege omnium electorum Angelorum & hominum (Christo) „ sentiendum, nisi quod & ipse maxime causam necessariam non habuerit „ ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus . . . . Ipse est enim sapientia Dei quæ de ipso suo proposito dicit : *Dominus possedit me initio* „ *viarum suarum, &c.* quæ ita concludit. *Quando appendebat fundamenta* „ *terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar &c. & deliciæ meæ* „ *esse cum filiis hominum*. Tantæ charitatis propositum quo proposuerat „ Deus, Dei Verbum, deliciari cum filiis hominum, formam habendo „ circumscriptam ex natura humana, ... non evacuavit ex adverso veniens „ peccatum, imo &c. Ergo.

Nego consequentiam. Primus enim ille est qui a constanti Patrum doctrina recesserit hac in parte: quapropter audiendus non est, præsertim cum secum ipse non cohæreat. *Libro* enim *2. de operibus Spiritus sancti cap. 6.* Christum alloquens, & majorum vestigiis insistens, sic habet : " Et si quidem, inquit, multum tibi debemus nos, Deus Christe, „ quia homo factus es; at tu e contra multum nobis debes homo Christe: quia propter nos in Deum assumptus es : nam NISI FUISSEMUS „ PECCATORES, causa cur tu assumi in Deum deberes, nulla fuisset... nisi „ peccassent servi, nec assumpta fuisset in Dominum Deum natura servilis." Quod idem indicat *lib. 14. in Matth.*

Objicies 10. Ex S. Thoma 2. 2. *quæst.2. art.7.* Adamus habuit fidem Incarnationis Christi. Atqui ex S.Augustino *lib. 21. de Gen. ad litt. cap.18.* non fuit præscius peccati sui. Ergo Incarnatio non pendet ex lapsu Adami.

Res-

Respondeo Incarnationem fuisse Adamo revelatam, non vero ejus causam.

Objicies 11. Adamus nullo jam fruitur gloriæ gradu, quem Christo acceptum referre non debeat. Atqui si Incarnatio suspensa fuit ex Adami lapsu, res ita esse non potest. Si enim Incarnatio pependit ex Adami peccato, gratiam in statu innocentiæ Adamus a Christo non habuit. At si gratiam eo tempore a Christo non habuit, nec ab ipso habuit merita, quæ per gratiam illam tunc sibi comparavit. At quamvis illa merita peccato consequente mortificata fuerint, ut loquuntur theologi, per pœnitentiam tamen postea revixerunt. His autem meritis redivivis aliquis respondet gloriæ gradus. Nullum enim meritum sine mercede esse potest. Ergo cum hæc merita non fuerint a Christo, nec ipsa gloria ab ipso erit.

Nego majorem. Ad probationem distinguo: si a Christo non habuit gratiam Adamus in statu innocentiæ, nec ab ipso habuit merita, qualia tunc fuerunt; concedo: qualia postmodum revixerunt; nego. Revixerunt enim beneficio pœnitentiæ. At illud pœnitentiæ donum Adamus lapsus a Christo habuit. Nulla enim hominibus lapsis gratia, nisi ex meritis Christi concessa est. Ergo nihil gloriæ jam habet Adamus quod Christo non debeat. Adde quod multi arbitrentur Theologi opera status innocentiæ non potuisse per pœnitentiam reviviscere.

Objicies 12. Si Christus propter nos & nostram salutem duntaxat venit, homines erunt Dei adventus finis. Atqui illud est nimis deprimere Dei majestatem. Ergo.

Distinguo majorem: homines erunt finis cui; concedo: qui; subdistinguo: secundarius; concedo: primarius; nego. Distingui itaque possunt Christus & ejus mors, adventus atque Incarnatio. Christus ipse finis est hominum & rerum cæterarum, utpote quas ad Christum referri voluerit Deus. At de Christi morte, adventu, & Incarnatione alia ratio est. Incarnationis enim primarius finis est gloria Dei, quam idcirco angeli celebrarunt simul ac in lucem Christus editus fuit: finis vero secundarius est hominum salus; ipsi vero homines sunt finis cui: siquidem in eorum commodum ea gratia cessit. Jam vero absurdum non est Christum venisse in commodum hominum & eorum salutis causa, cum ipsimet adversarii fateantur eumdem Christum propter homines, & eorum salutis causa passum esse. An majestas Dei deprimetur si propter homines veniat, non deprimetur autem si propter ipsos infami supplicio addicatur? Quidni potius utrobique admiramur, & toto pectore amplectimur summam Dei erga nos charitatem, & misericordiam?

Quæres, cum duplex sit peccatum, originale videlicet & actuale, utrius causa potissimum Christus venerit.

Respondeo propter utrumque videri ex æquo venisse. Cum enim

venerit propter nos, & nostram salutem, & utroque pariter pereant homines, propter utrumque pariter carnem induit, itaut si alterutrum duntaxat extitisset, nihilominus Christus venturus fuisse existimetur. Inest autem unicuique generi sua peculiaris ratio. Peccatum enim originis latius patet, peccatum autem actuale (de lethali loquimur) ex sese gravius est. Hinc ergo labes originis, illinc actualis noxa proprium habuit aliquid, quod peculiari ratione Dei viscera commoverit.

ARTICULUS II.

De causa meritoria Incarnationis.

MERITUM a theologis duplex passim distinguitur: alterum de condigno; alterum de congruo. Meritum de condigno illud est, cui ex justitia præmium debetur. Ad id autem requiritur sanctitas in operante, libertas in opere, & dignitas cum mercede conveniens: in remunerante autem antecedens promissio & pactum. Meritum vero de congruo vocatur illud, cui ex quadam tantum decentia ac benignitate merces redditur: atque id meriti genus iterum duplex est: unum quidem stricte & proprie ita dictum; alterum non ita stricte. Meritum de congruo stricte sic nominatum est illud, quod ex natura sua aut ex operantis mente ac consilio refertur ad illud bonum quod adipiscitur: meritum autem de congruo latius sic dictum est illud, quod nec ex natura sua, nec ex operantis consilio ad id bonum refertur quod obtinet, sed quamdam tamen habet cum ipso convenientiam.

Jam vero Incarnatio spectari potest vel quoad substantiam, quæ est Verbi divini cum humana natura hypostatica conjunctio, vel quoad varias circumstantias, v. g. tempus hoc vel illud, hanc vel illam originem, sine quibus Incarnatio esse potuit. Fieri enim potuit, ut Christus alio quam natus est tempore nasceretur, aut ex alia stirpe originem duceret &c.

Ergo hic quæstio movetur de Christo, de veteribus patriarchis, de beata Maria Virgine, an scilicet Incarnationem promeruerint.

SECTIO I.

An Christus Incarnationem suam meruerit.

ASSERTIO I.

CHRISTUS nullatenus meruit unionem hypostaticam.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ Incarnationem ubique exhibent non tanquam ullius meriti præmium, sed contra tanquam opus summæ misericordiæ ac charitatis, *Luca* 1. *Joan.* 3. 16. &c.

PRO-

PROBATUR 2. ex Patribus, ac præsertim S. Augustino, qui passim docet Christum hominem citra ulla merita eo fuisse evectum, ut esset Filius Dei, & ideo Christum statuit in exemplum humanæ ac plane gratuitæ prædestinationis. Sic *lib. de prædest. sanct. cap.* 15. " Est, in„ quit, præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse salvator, „ ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc „ esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis „ natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso. „ Ille homo, ut a Verbo, Patri coæterno, in unitate personæ assum„ ptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bo„ num qualecunque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid pe„ tivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? " *Libro* 2. *de* „ *peccatorum meritis cap.* 17. Neque enim, inquit, & ipse ita Verbo „ Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unus Filius Dei, & unus idem „ ipse filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit " *Libro de corrept. & grat. cap.* 11. " Deus, inquit, naturam nostram . . „ . . . . suscepit susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singu„ lari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis filius Dei sic esset „ ab initio, quo esse homo cœpisset . . . . Ista nativitas profecto gra„ tuita conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. „ Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. " Denique *Encheridii cap.* 36. " Hic, inquit, (id est in mysterio Incar„ tionis) granditer & evidenter Dei gratia commendatur? Quid enim „ natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ „ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? Cu„ jus boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt, quibus „ mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo?

PROBATUR 3. ratione. Vel enim eam meruisset Christus per opera, quæ Incarnationem consecuta sunt, vel per opera quæ ipsam præcesserunt. Atqui neutrum dici potest.

Primo enim Christus non potuit Incarnationem mereri per opera quæ Incarnationem consecuta sunt. Principium quippe meriti non cadit sub meritum, ut vulgare fert scholæ adagium: alioquin idem esset sui ipsius causa, seque ipso simul prius ac posterius: quod repugnat. Atqui Incarnatio principium fuit omnium Christi operum ac meritorum consequentium. Ergo ipsa sub hujusmodi meritum cadere non potuit. Adde quod per ea Christus non meruit ut existeret Deus simul & homo, quæ ipsum jam existentem necessario supposuerunt. Atqui opera Incarnationem consequentia Christum jam existentem supponebant. Ergo ea non potuerunt esse merita cur Christus esset.

Secundo. Christus non meruit Incarnationem per opera, quæ ipsam præcessisse cogitentur. Incarnatio enim res est infiniti pretii ac valoris. Atqui nulla ante Incarnationem ab humana natura proficisci potuerunt opera infinitæ dignitatis. Ergo. Deinde vero opera illa præ-

cessisse cogitarentur vel tempore, vel natura duntaxat. Atqui neutrum consistere potest. Non primum. Nullum enim fuit tempus quo humana Christi natura existeret sine hypostatica cum Verbo conjunctione : & in eo posita quondam fuit Nestorii hæresis, quod vellet Christum hominem per opera sua ac merita eo fuisse evectum, ut decursu temporis Deus evaderet. Fides autem catholica docet non prius creatam fuisse Christi naturam humanam, quam fuerit a Verbo assumpta. Non secundum. Nulla enim opera cogitari possunt aut debent, quæ naturæ ordine Incarnationem præcesserint. Prius enim est esse ac subsistere, quam operari : unde actiones dicuntur esse suppositorum : quia videlicet quamvis subsistentia non sit principium actuum, est tamen conditio prævia, & ad agendum necessaria. Atqui ante Incarnationem humana natura non potest cogitari subsistere, cum aliam subsistentiam non habeat, quam a Verbo : eam autem a Verbo non habeat, nisi Incarnationis & hypostaticæ conjunctionis beneficio. Ergo. Et vero nullum ante hanc cum Verbo conjunctionem fingi potest naturæ humanæ opus, quod cum promerenda Incarnatione paris sit aut sufficientis dignitatis.

Objicies 1. Psal. 44. 8. sic habetur de Messia : *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Unde sic arguunt : Unctio illa a Patribus intelligitur de unctione divinitatis & ipsius cum humana natura conjunctione. Atqui ejusmodi unctio dicitur esse concessa Messiæ propterea quod dilexisset justitiam & odisset iniquitatem, id est propter opera bona. Ergo.

Nego minorem. Hæc enim vox *propterea* non significat unctionem illam fuisse Christo concessam, propterea quod dilexisset justitiam; sed contra ut eam diligeret. Non respicit ergo tempus præteritum, sed futurum : atque adeo *propterea*, id est, *propter hunc finem*.

Objicies 2. *Apocal.* 5. 12. viginti quatuor seniores ita inducuntur loquentes, *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem*. Ergo accepit divinitatem, quia dignus ea fuit.

Distinguo : divinitatem, id est, confessionem divinitatis & laudes divinitati debitas; concedo : id est, naturam divinam; nego. Illinc enim consequens foret Christum, eo tempore, quo Joannes scribebat, nondum fuisse natura divina præditum. Sed de hoc olim.

ASSERTIO II.

Christus meruit etiam de condigno varia Incarnationis suæ consectaria.

Probatur enumeratione præcipuorum. 1. Enim sibi meruit beatam immortalitatem : Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. 2. Nominis sui amplificationem : Philipp. 2. 8. *Factus*

Factus est obediens usque ad mortem : . . . propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur &c. 5. Divinos ubique honores : Apoc. 5. supra, *Dignus est Agnus . . . . accipere divinitatem* &c. 4. Ecclesiam sanguine suo acquisivit, Act. 20. 28. 5. Ecclesiæ perennitatem : Isaiæ 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur* &c.

Non tamen omnia Incarnationis consectaria Christus meruit : sic non meruit visionem beatificam, ut pote quæ ei a primo unionis hypostaticæ puncto, ut necessaria appendix concessa sit. Ita non meruit ejusdem unionis hypostaticæ perpetuitatem, quam non Christi meritum, sed Dei ipsius constantia donavit.

SECTIO II.

An veteres patriarchæ Verbi divini Incarnationem meruerint.

ASSERTIO I.

VETERES patriarchæ non meruerunt de condigno divini Verbi Incarnationem.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ summum istud beneficium, non hominum meritis, sed Dei misericordiæ ascribunt. Lucæ 1. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

PROBATUR 2. ex Patribus, quorum omnium ad instar hic erit Augustinus. *Sermone* enim 174. seu 8. *de verbis Apostoli*, " Eum, inquit, de „ cœlo ad terram, non merita nostra bona, sed peccata duxerunt.

PROBATUR 3. ratione multiplici. 1. Enim principium meriti non potest cadere sub meritum. Atqui Incarnatio Verbi divini principium fuit omnium humani generis meritorum. Ergo. 2. Meritum illud, quod hic quærimus, debet habere dignitatem cum præmio convenientem. Atqui nullum unquam ab hominibus opus elici potuit paris aut convenientis cum Incarnatione dignitatis, cum Incarnatio pretii sit infiniti. Ergo. 3. Nullum Dei pactum super ea re cum hominibus intercesserat. Ergo.

ASSERTIO II.

ANTIQUI patriarchæ ne quidem Incarnationis circumstantias de condigno meruerunt.

PROBATUR ratione mox allegata. Ad meritum enim illud requiritur Dei promissio & pactum. Atqui nulla id genus promissio, nullum pactum intercessit.

ASSERTIO III.

Veteres illi patriarchæ eas tamen de congruo meruerunt.

Probatur 1. exemplis. Ita enim Abraham fide sua meruit ut Messias e stirpe sua oriretur. Genesis 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*. Ita etiam David psal. 131. 11. *Juravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam &c.* Ita Daniel desideriis ac votis suis acceleravit Messiæ adventum, cap. 9. 23. *Ecce veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es ; . . . . septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum* &c. Ita etiam Simeon sanctus senex, *Lucæ* 2. 26. &c.

Probatur 2. auctoritate B. Thomæ, qui *hic*, *quæst.* 2. *art.* 11. " Ex „ congruo tamen, inquit, meruerunt sancti Patres Incarnationem, pe-„ tendo & desiderando. Congruum enim erat ut Deus exaudiret eos, „ qui ei obediebant.

Probatur 3. ea ratione quam *ibidem* suggerit sanctus doctor. Deinde vero cum vota omnia ac desideria sua eo dirigerent veteres patriarchæ, decebat sane Dei bonitatem, ut in eorum gratiam, qui sibi tam cari forent, ista largiretur.

SECTIO III.

An B. Maria Virgo meruerit Incarnationem suamve maternitatem.

ASSERTIO I.

Beata Virgo nec Incarnationem, nec Incarnationis circumstantias, de condigno meruit : has tamen meruit de congruo.

Probatur iisdem, quæ mox quoad antiquos patriarchas allata sunt, momentis. Eadem enim fuisse ratio censenda est B. Mariæ Virginis.

ASSERTIO II.

Beata Virgo de condigno meruit eum sanctimoniæ statum, quo posito electa est in matrem Dei.

Probatur 1. ex Patribus, Basilio *in homil. de natali Christi*; Epiphanio *hæresi* 48. Hieronymo *epist.* 2. *ad Eustochium de custodia virginitatis*; *infra* laudandis.

Probatur 2. ratione. Tria enim ad meritum ejusmodi requiruntur; in operante sanctitas; in opere ipso dignitas ac libertas; in remunerante promissio. Atqui tria hæc in augenda gratia B. Mariæ Virginis occurrunt. Ergo.

AS-

ASSERTIO III.

BEATA Virgo non meruit tamen maternitatem Dei ex condigno.

PROBATUR ratione. 1. Enim opera B. M. Virginis, licet excellentiæ singularis, non fuerunt tamen ejusdem cum eminentissima hac maternitate ordinis. 2. Nulla Dei promissio intercesserat. Nedum enim Beata Virgo summam hanc dignitatem ut sibi debitam ac promissam expectaret, turbata contra est, cum hanc ipsi Angelus annunciavit, *Lucæ cap.* 1.

ASSERTIO IV.

MATERNITATEM istam ne quidem de congruo meruit, si proprie & accurate loqui voluerimus.

PROBATUR. Ad meritum enim de congruo stricte sic dictum requiritur ut opera, quæ præmium consequuntur, vel ad illud natura sua referantur, vel ex agentis saltem mente ac consilio. At 1. opera B. Mariæ Virginis eo natura sua non referebantur. Erant enim illa ejusdem cum nostris naturæ. Nostra autem non tendunt ad hunc finem, ut liquet. 2. Eo non tendebant ex ipsius mente ac consilio. Majoris enim modestiæ erat, quam ut vellet iis operibus fieri mater Dei. Unde, & turbata est Angeli verbis: quod modo notavimus. Ergo.

ASSERTIO V.

BEATA Maria virgo meruit de congruo fieri mater Dei, si meritum de congruo improprie sumatur.

PROBATUR 1. ex Patribus. Basilius *in homilia de natali Christi*, rationem afferens cur electa fuerit, " Cum integritati Mariæ, inquit, „ parem hominum ætas illa nullam haberet, quæ operationem Spiritus exciperet, ... electa est beata Virgo " &c. Ambrosius *lib.* 2. *de Virginibus*, " Maria, inquit, digna extitit ex qua Dei filius nasce„ retur. " Epiphanius *hæresi* 48. " Quomodo, inquit, audent impe„ tere impollutam virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri fi„ lii Dei, & electa ex multis millibus, quod vas & habitaculum di„ gnum esset. " Hieronymus *epist.* 2. *ad Eustochium*, *de custodia virginitatis*, " Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici mater Filii Dei. " Sanctus Augustinus *serm.* 20. *de natali Christi*, " Talis „ eligitur virgo, de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meri„ tum, ut Dei Filium in semetipsam susciperet. " Fortunatus *lib. de æternis gaudiis*.

Virginitas felix quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Joannes Damascenus *lib. 4. cap. 15. de Orthodoxa fide*, eamdem virginem vocat sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum. S. Anselmus *lib. de excellentia B. Mariæ virginis cap. 9.* " Pura sanctitas, " inquit, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis " creaturæ puritatem sive sanctitatem transcendens, incomparabili subli" mitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis benignissime foret. " Bernardus *serm. 5. de assumptione*, " Quæ vel angelica puritas, inquit, " virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacra" rium fieri, & habitaculum Filii Dei. " Euthymius *panopliæ parte 1. tit. 7.* " Usque ad sanctissimam Mariam, inquit, nondum Incarnatione digna " inventa fuerat officina. " Denique Ecclesia in hymnis; " Quia quem " meruisti portare " &c. & in precibus. " Ut dignum filii tui habitaculum " effici mereretur.

Probatur 2. ratione. Illud enim improprie dicitur de congruo meritum, quod quamdam habet cum re quam adipiscitur convenientiam, licet eo nec natura sua, nec ex agentis mente referatur. Atqui talia erant B. M. Virginis opera: his enim positis congruum fuit, ut in matrem Dei præ cæteris assumeretur. Ergo.

Objicies. Illud non meruit B. Virgo, quod ei dare decreverat Deus ante prævisa omnia ipsius merita. Atqui Deus decreverat Beatam Mariam Virginem assumere in matrem Verbi ante omnia ejus merita prævisa. Ergo.

Nego majorem. Meremur enim vitam æternam ac gloriam cœlestem, quamvis ad eam ante omnem meritorum præsensionem a Deo prædestinemur. Alius enim est ordo intentionis; alius executionis, ut aiunt theologi.

QUÆSTIO QUINTA.

De una Christi persona.

Quandoquidem Incarnationis mysterium esse peractum probavimus, ejusque aperuimus causas, jam tempus est ut ad ipsius naturam accedamus. Cum autem Incarnatio nihil sit aliud, quam divinæ simul, & humanæ naturæ in unam eandemque personam Christi conjunctio, duo mysterium illud complectitur, personæ scilicet unitatem, & naturæ utriusque distinctionem: quæ sigillatim exequemur: ac primum quidem hac in quæstione expendemus; alterum vero in sequentem rejicimus.

Primum autem ordiemur ab exponenda hæresi quæ personæ Christi unitatem sustulit, quæque omnium hactenus scriptorum consensu auctorem habuit

buit Nestorium. Is Germanicia Syriæ oppido oriundus, Theodori Mopsuestiæ episcopi, ac Diodori Tarsensis auditor, Joannis Antiocheni archipræsulis condiscipulus, ac Theodoreti Cyrensis episcopi amicus; monasticam primo vitam coluit prope Antiochiam. E monasterio in clerum Antiochenum cooptatus, presbyterque factus, docendi populi munus habuit, quod lingua promptus esset, & facundus existimaretur. Quo in officio ita se gessit, ut ob eloquentiæ ac sanctitatis famam, anno 428. a Theodosio juniore imperatore in Sisinnii Constantinopolitani antistitis demortui locum suffectus fuerit, gratulantibus faventibusque cum bonis omnibus, tum imprimis Cælestino summo pontifice, ac Cyrillo Patriarcha Alexandrino.

Principio pontificatus sui omnes exagitavit hæreticos. Verum non ita multo post ex pastore versus in lupum, conceptum jam pridem animo erroris sui virus in Christum sanctamque virginem evomuit, asserens duplicem esse in Christo personam, & B. Mariam haud esse Dei matrem, sed hominis tantummodo Christi: præmisso primum ad tentandos plebis animos Dorotheo episcopo ac postmodum Anastasio presbytero familiaribus suis qui coram ipso pro concione dicere ausi sunt palam in ecclesia B. Mariam non esse Deiparam, Illorum autem impietatem nedum Nestorius represserit, publice contra ipse confirmavit, audiente populo, plerisque frementibus, ac sese ab illo propterea sejungentibus.

Primis Nestoriani dogmatis præconibus obstiterunt Eusebius imperatricis scholasticus, & alter item Eusebius Dorylæensis episcopus: ipsique Nestorio hos execrandos sermones habenti laicus quidam media e turba obluctatus est. Præ cæteris autem restitit Cyrillus, acer catholicæ fidei vindex, cui post scriptas ab eo frustra e synodis Alexandrinis ad Nestorium plures epistolas, ut errorem ejuraret, vices suas tandem commisit ex concilii Romani sententia Cælestinus, ei præcipiens ut Nestorium, nisi ille intra decem a monitione dies, impie dicta revocaret, omni Christiani nominis communione interdictum, & episcopali sede indignum declararet.

Cyrillus mandata summi pontificis exequens, convocatis ex universa Ægypto episcopis, ex eorum sententia aliam ad Nestorium epistolam dedit, cui duodecim celebratissimos anathematismos adjecit; eique denunciavit, fore ut exactis illis decem diebus ad resipiscendum datis, si non pareret, lata in eum a Cælestino sententia obtineret. Nestorius hæc singula contempsit, oppositisque Cyrilli scripto totidem capitulis ad avertendam damnationis pœnam sibi imminentem, imperatori, quem sibi obnoxium habebat, persuasit ut concilium œcumenicum congregari juberet, cujus judicio omnia servarentur.

Quamobrem synodus Ephesina generalis indicta est in mensem Junium anni 431. ad quam profecti sunt Cælestini pontificis legati tres. Cum autem ad præfinitam diem convenissent episcopi numero 274. Joannes Antiochenus Nestorii amicus, cum suis Orientalibus, quos inter Theodore-

doretus eminebat, moras de industria nectens, non affuit. Die igitur 21. Junii, quæ Dominica fuit, missi sunt episcopi ad Nestorium, qui eum in crastinam diem ad conventum invitarent, ut fidei suæ rationem redderet. Qua de re deliberaturum se dixit, interim errorem suum ita impudenter efferens, ut palam affirmare per eos dies veritus non sit, se trimestrem ac bimestrem Deum appellare non posse. Cum autem nec ter vocatus sese sistere voluisset, proscriptus est, & omni tum sacerdotii gradu, tum Christiani nominis communione privatus. Quod probarunt Romani pontificis legati, qui paulo post ad concilium advenerunt.

Quinque post acta hæc diebus, Ephesum accessit Joannes Antiochenus viginti circiter episcopis stipatus, qui audita Nestorii damnatione excandescens coegit statim conciliabulum, in quo synodum generalem rescidit, ipsumque Cyrillum ac Memnonem urbis Ephesinæ præsulem deposuit, annitente Candidiano comite, Nestorii fautore, qui eo missus fuerat ab imperatore Theodosio, ut tumultus, si qui oborirentur, comprimeret. Objiciebat Joannes Antiochenus Cyrillo duodecim anathematismos tanquam Apollinaristarum unam in Christo naturam admittentium veneno infectos; cæteris vero Patribus synodi præproperam festinationem, impotentiam animi, ac seditiones. Eum autem Cyrillus vicissim rogatum monitumque ut se cum aliis episcopis conjungeret, factique rationes daret, nec obsecutum, ob hæreseos & hæretici patrocinium, procacemque temeritatem, omni sacerdotali dignitate exuit.

Utraque ex parte litteræ ad imperatorem directæ sunt: sed opera comitum ac cæterorum aulicorum, quos sibi devinctos habebat Nestorius, effectum est ut solæ schismaticorum epistolæ ad eum pervenirent, quæ quidem ipsum in Cyrillum ejusque socios, ita commoverunt, ut Cyrillus etiam in carcerem sit conjectus. Sed cum alias arundine inclusas, homini cuidam mendico perspectæ sibi fidei, Cyrillus dedisset, ad monachos urbis Constantinopolitanæ perferendas, eorumdem monachorum, ac præsertim Dalmatii archimandritæ, viri sanctissimi studio, fraudes Joannis Antiocheni patefactæ sunt, & fidei veritas asserta est.

Itaque confirmatis ab imperatore, sororis potissimum Pulcheriæ suasu, synodi œcumenicæ decretis, inque hæretici Nestorii locum Maximiano monacho probatæ doctrinæ ac pietatis viro suffecto, omnes episcopi ad sedes suas redire jussi sunt. Nestorius vero redire coactus est in antiquum suum monasterium, ac deinde relegatus Oasim, ubi verminante lingua miserabiliter e vita excessit; ejusque libri, ita edicente Theodosio, combusti sunt.

Cyrillum inter ac Orientales dissidia ac simultates aliquandiu manserunt, donec tandem allaborante eodem Theodosio imperatore, & Simeonis Stilitæ, admirabilis plane viri, opera, per Paulum Emisenum, pacis sequestrum, feliciter sopitæ sunt: Cyrillo duas, quas negare immeri-

merito putabatur, naturas in Christo cum Orientalibus probante; Joanne autem Antiocheno una cum suis in latam adversus Nestorium sententiam actaque Ephesina consentiente.

Ut autem omnes dilucidius cognoscant omnes erroris istius sinus, observandum est juxta Nestorii mentem,

Primo nullum esse utriusque Christi naturæ physicum ac substantialem, sed moralem tantum nexum; ita ut Verbum quidem in Christo homine tanquam in templo habitet, unum quid affectu sit cum ipso, cum eodem conjungatur quoad operationem, quia videlicet humana natura tanquam instrumento utebatur; uniatur cum ipso quoad dignitatem, quia naturam nostram ad ejusdem secum honoris consortium evexerat; imo consocietur aliquatenus penes quamdam homonymiam, quia eadem utrique nomina improprie attribuebantur; sed tamen nolebat ille naturam nostram fuisse a Verbo in eamdem hypostasim assumptam.

Secundo nullam reipsa esse utriusque naturæ in Christo proprietatum communionem admittendam, adeo ut Deus accurate dici non posset *homo*, *natus*, *bimestris*, *passus*, *mortuus*, nec homo Christus dici posset proprie *Deus*, sed tantum *Deifer* &c.

Tertio Duos revera esse in Christo filios, alterum naturalem Dei, nempe Verbum, alterum adoptivum, id est hominem &c.

Quarto B. Virginem, ut pote quæ divinitatem non procreasset, non posse legitime appellari *Deiparam* seu Θεοτόκον.

Quinto a Verbo assumptum fuisse hominem Christum jam per se subsistentem.

Sexto hunc eumdem hominem Christum id bonis operibus suis ac decursu temporis promeritum fuisse, ut a Verbo assumeretur.

Quibus annotatis quatuor jam controversiæ istius capita enascuntur: Primum, an reipsa una sit in Christo agnoscenda persona: Secundum, an Nestorius illam, ut perhibetur, violaverit: Tertium, an idem canonice damnatus sit: Quartum, an Joannes Antiochenus ipsius hæresi, an vero personæ duntaxat faverit.

ARTICULUS I.

An una in Christo persona sit agnoscenda.

Cum ex physicis, & iis, quæ, ubi de sanctissima Trinitate, dicta sunt, compertum sit, quid sint hypostasis, suppositum, ac persona, nihil est quod nos remorari hic queat. Itaque esto,

ASSERTIO.

Una est in Christo persona.

AR-

ARGUMENTA.

Probatur 1. Scripturarum testimoniis, quæ ad id demonstrandum nobis subministrant multiplex momentorum genus.

Primum petitur ex iis locis in quibus unum idemque Christi suppositum utraque natura præditum esse dicitur. Ita Philipp. 2. 6. Paulus de Christo loquens, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Ibi enim idem est Christus, de quo verba fiunt. Idem autem dicitur prius fuisse in forma Dei, & postea assumpsisse formam servi: idem prædicatur æqualis & obediens Patri: denique Verbum dicitur accipiendo formam servi fuisse exinanitum. At si in ista forma tanquam in templo duntaxat habitaret, non idcirco dici posset exinanitum: alias Pater quoque & Spiritus-sanctus ea ratione exinaniti fuissent.

Secundum ex iis, ubi Deus dicitur factus homo: Joan: 1. 14. *Et Verbum caro factum est*. Hæc enim substantialem conjunctionem arguunt. Nimirum Verbum caro factum est vel per substantialem & hypostaticum nexum; vel per moralem duntaxat unionem, qualis est amicorum; vel denique per unius in alterum mutationem. Atqui Verbum certe non factum est caro per sui conversionem in carnem: id enim fieri in Deo non potest. At nec dici potest factum caro propter moralem solummodo unionem: quantumlibet enim arcta sit amicorum conjunctio, unus profecto non dicitur fieri alter. Ergo Verbum caro factum est per hypostaticam conjunctionem, hoc est cœpit reipsa esse homo.

Tertium ex iis, ubi Christus homo contra Deus esse significatur. Sic *Joan.* 20. 28. Thomas apostolus cum Christum hominem tetigisset, ac deinde suam de eo fidem aperire vellet, *Dominus meus* inquit, *& Deus meus*.

Quartum ex aliis, ubi quæ propria sunt hominis Deo, & divina vicissim homini in Christo ascribuntur. Nullum quippe est luculentius aut certius unius ejusdemque personæ argumentum, quam hæc reciproca nominum ac proprietatum communio, quæ in Christo occurrit. 1. Enim humana Deo attribuuntur in Christo, v. g. origo ex aliqua humana stirpe, nativitas certo a tempore, sanguis, mors, & cætera id genus. Isaiæ, 9. 6, *Parvulus natus est nobis .... & vocabitur nomen ejus, ... Deus fortis* &c. Rom. 9. 5. de Israelitis loquens Paulus, *Ex quibus est Christus*, inquit, *secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Act. 20. 28. *Pascite .... ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Divina homini Christo pariter attribuuntur propter unius ejusdemque hypostaseos communionem; v. g. æternitas, immen-

sitas,

sitas, &c. Joan. 8. 58. *Antequam Abraham fieret*, inquit homo Christus, *ego sum*. Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*. Ephes. 4. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos ut impleret omnia*.

Quintum ex illis, ubi B. Maria Dei genitrix esse significatur: Isaiæ 7. 14. & Matth. 1. 23, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*. Ex quo manifeste sequitur B. Virginem eum, qui Deus est, concepisse & peperisse. Lucæ 1. 3. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Galat. 4. 5. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. Rom. 1. 3. *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Ibi enim de Filio Dei æterno, seu de Verbo Deo sermo est. At Deus idem dicitur esse natus & factus ex B. Virgine & semine David. Ergo.

PROBATUR 2. Ecclesiæ auctoritate, quæ in symbolis suis ac fidei professionibus id ab apostolorum usque temporibus prædicavit.

1. Enim in symbolo apostolico sic legitur, " Et in Jesum Christum „ Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiri- „ tu sancto, natus ex Maria Virgine. Prioribus enim verbis de æterno Dei & unico Filio agitur. At statim subditur, idem esse conceptus de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine.

2. In symbolo Nicæno ab omni Ecclesia recepto: postquam Christus dictus est Deus de Deo & consubstantialis Patri, de eodem sic additur, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu-sancto ex Maria virgine, & homo factus est* &c. Quæ quidem ita evidentia sunt, ut propterea synodus Ephesina non aliud symbolum adversus Nestorianam hæresim condi voluerit, quod illud jam esset sufficientissimum.

3. Idem extat in symbolo Constantinopolitano, quod universa deinceps Ecclesia usurpavit.

4. Synodus Ephesina, licet symbolum idem satis esse decreverit, attamen duodecim Cyrilli anathematismos approbavit: primus autem sic „ concipitur, " Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum esse, „ & ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum „ Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit. " Secundus, „ Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim „ unitum, unumque ... esse Christum, eumdem verum Deum simul & „ hominem, anathema sit " Tertius; " Si quis in uno Christo post „ unionem dividit hypostases, ipsasque ea tantum conjunctione inter se „ connectit, quæ est secundum dignitatem, hoc est auctoritatem vel po- „ testatem, & non eo potius concursu qui est secundum naturalem „ unionem, anathema sit.

5. Synodus Chalcedonensis *actione* 5. *in professione fidei*, " Confite- „ mur, inquit, unum eumdemque Christum in duabus naturis insepara- „ biliter, inconfuse, indivise, immutabiliter agnoscendum, nusquam „ sub-

„ sublata differentia naturarum propter unitatem; magisque salva utriusque naturæ proprietate, & in unam personam atque subsistentiam concurrente.

6. Concilium quintum omnia effugia præcludit errori: " Si quis dicit, „ inquit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum „ dignitatem, vel secundum honoris æqualitatem, aut relationem, aut „ affectum, aut virtutem, unitionem esse factam, ... & non .... „ secundum substantiam unitionem Verbi ad carnem factam esse; anathema sit.

PROBATUR 3. constanti sanctorum Patrum, qui Nestorium præcesserunt doctrina, quod ex professo probat Cyrillus 1. *parte concilii Ephesini*. Eorum autem testimonia, quæ referre nec vacat, nec opus est, ad quadruplex caput revocari possunt.

Primo enim multi sunt qui Christum esse unum eamdemque personam duplici natura constantem, non vero duplicem, &c. profitentur. Ita S. Ignatius martyr *epist. ad Ephesios* 1. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 18. Tertullianus *ad finem libri da carne Christi*; Dionysius Alexandrinus *in epist. adversus Paulum Samosatenum*, in qua ipsum arguit quod duas hypostases ac personas admittat. Athanasius in libello *de Incarnatione*, ubi sic habet: " Sicut homo persona est una & animal unum e spiritu & carne con„ cretum; ita Christum intelligi oportet unam esse, non duas perso„ nas. Augustinus *cap.* 35. *Enchir.* " Christus Jesus, inquit, Dei Filius, „ & Deus & homo est: Deus, quia est Dei Verbum: homo, quia „ in unitatem personæ concessit anima rationalis, & caro " &c. Adde Gregorium Nazianzenum *orat.* 31. Hilarium *lib.* 19. *de Trin.* Sanctum Ambrosium *lib. de Incarn. cap.* 5. Hieronymum *in cap.* 1. *epist. ad Ephes.* &c.

Secundo iidem aut alii inter utramque Christi naturam agnoscunt veram ac substantialem secundum hypostasim unionem: ita Gregorius Nazianzenus *epist* 1. *ad Cledonium* &c.

Tertio longe plures Deum a B. Maria Virg. genitum fuisse asseverant. Ita S. Ignatius martyr *in dial. cum Tryphone*; Irenæus *lib.* 3. *cap.* 31. Hippolytus apud eumdem Theodoretum *ibid.* Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 12.

Quarto denique ipsam *Deiparæ* vocem usurparunt inter antiquos non pauci: Origenes *tom.* 1. *in epist. ad Rom.* teste Socrate *lib.* 7. *hist.* Dionysius Alexandrinus *in epist. adversus Paulum Samosatenum, supra*; Alexander præsul Alexandrinus *in epist. ad Alexandrum Constantinop.* apud Theodoretum *lib.* 1. *histor.* Athanasius ejus successor *orat.* 4. *contra Arianos*; Sanctus Basilius *hom.* 25. *de humana Christi nativ.* Gregorius Nazianzenus *orat.* 35. & 51. Amphilochius *orat.* 4. Proclus *orat.* 1. *principio concilii Ephesini*, ut Ammonem, & Antiochum, in eam rem a Cyrillo laudatos *lib.* 1. *de recta fide*, prætermittam. Profecto Julianus apostata apud Cyrillum *lib.* 8. testatur ætate sua Christianos frequenter in ore habuis-

buisse nomen *Dei genitricis.* Joannes autem Antiochenus *in epist. ad Nestorium* in concilio Ephesino recensita; Theodoretus *in hæresi Nestoriana* & Socrates *lib. 7. hist.* licet Nestorio non mediocriter faverint, ingenue tamen confitentur hoc vocabulum apud priscos Ecclesiæ doctores usitatum fuisse.

Probatur 4. variis rationibus, quas omnes fere affert S. Cyrillus, tum *in defensione anathematismorum*, tum *in libro de recta fide*, aliisque contra Nestorium operibus.

Prima est, Quod si Verbum in Christo duntaxat tanquam in templo habitet, naturam autem humanam hypostatice sibi non conjunxerit, nulla sit Incarnatio; alias incarnati quoque dici deberent Pater, & Spiritus sanctus, cum ambo, non minus quam Verbum, in homine Christo tanquam in templo habitent, & in nobis ipsis ita maneant.

Secunda est, Quod Verbum, cum assumpsit carnem, dicatur ab Apostolo fuisse exinanitum. At id verum esse non potest, nisi in eamdem personam assumpserit naturam humanam: nulla quippe in Deum ex habitatione redundaret exinanitio.

Tertia, Quod si Christus redemptor non sit vere Deus, Christiana religio pessumdetur. Illud enim primum est & fundamentale religionis nostræ caput.

Quarta, Quod si duplex in Christo sit persona, tanquam idololatræ spectari debeant, quicunque servatorem adorant, & a primis usque Christiani nominis incunabulis adoraverunt. Soli enim Deo is cultus debetur. Mediator autem Dei & hominum homo Christus Jesus non esset vere Deus.

Quinta, Quod si ita est, corruat omnis redemptio nostra, quæ tota Dei morte nititur. Quis enim pro nobis satisfactionem legitimam obtulit? An Deus? nequaquam: pati enim non potuit. An homo? sed homo merus infinitæ satisfactioni impar fuit. Ergo neutra ex parte satisfactio idonea proficisci potuisset.

Sexta, Quod posito Nestorii dogmate spes resurrectionis beatæ concidat. Spes enim illa ex eo potissimum oritur, quod corpora nostra ex divina Christi carne semen immortalitatis acceperint.

Septima, Quod Eucharistiæ vim, & efficaciam is error penitus infringat. Non enim aliunde vim habet Eucharistiæ augustissimum sacramentum, quam quod verum ac proprium Christi corpus & sanguinem cum Verbo conjunctum contineat.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Angeli, Moyses, judices, nomine *Dei* insigniuntur. Atqui nulla cum iis fuit Dei hypostatica conjunctio. Ergo inde colligi non potest Christum fuisse hypostatice cum Verbo unitum.

Di-

DISTINGUO majorem : nomine *Dei* insigniuntur improprie ; concedo : proprie ; nego. Christus autem eo nomine insignitur, quod natura sit Deus : de quo vide tractatum DE TRINITATE ubi de ipsius divinitate.

OBJICIES 2. Christus ipse *Joan.* 2. 19. naturam suam humanam *templum* appellat : *Solvite*, inquit, *templum hoc* &c. Atqui Deus hypostatice non conjungitur cum templo suo. Ergo nec cum humana Christi natura.

DISTINGUO majorem : templum mysticum ac singulare ; concedo : vulgare ; nego. Equidem Deus non unitur hypostatice cum templis suis, quomodo passim intelliguntur ; sed hypostatice uniri potest cum eo in quo tanquam in templo habitat. Neque vero in eo Nestorii error est, quod corpus Christi naturamque ipsius humanam *templum* appellaret ; sed quod nonnisi templum esse existimaret : utrumque enim simul verum est : Deus cum homine hypostatice fuit conjunctus, & in eo tanquam in templo habitavit.

OBJICIES 3. Multi sunt Patres qui eodem modo locuti esse repeiriuntur, quo Nestorius.

1. Enim non pauci pronunciant hominem fuisse a Verbo assumptum. Ambrosius *lib.* 5. *de fide cap.* 5. Augustinus *lib.* 11. *de civit. Dei cap.* 2. Prudentius *in Apotheosi*.

2. Sunt qui ipsius humanitatem appellent *divinitatis instrumentum*. Ita Athanasius *de Incarnatione*, *pag.* 83. " Verbum corpore, in quo est, tanquam instrumento ... usum fuit. " Eusebius *lib.* 4. *demonstr. evang. cap.* 13. " Vocabat & sanabat affatim per instrumentum quod præ se „ ferebat, humanam videlicet naturam, quemadmodum musicus aliquis „ per lyram peritiam ostendens suam. " Quin etiam Cyrillus *dial. de Incarnatione*, " Usus est tanquam instrumento propria carne ad opera „ carnis.

3. Alii Christum vocant *hominem Deiferum* aut *Deificatum*. Ita Basilius *lib. de Spiritu-sancto* apud Theodoretum *dialog.* 2. " *Deiferi homi-* „ *nis* vocabulum, inquit ille, ... a pluribus sanctorum Patrum usurpa- „ tum non repudiamus, inter quos numerandus est magnus Basilius in „ libro *de Spiritu sancto ad Amphilochium*. " Sed & eadem voce usus „ est *in expositione psalmi* 59. Vide & *in psal.* 45. & *epist.* 65. Eustathius Antiochenus apud Gelasium *de duabus naturis*, " Homo Deum ferens, inquit, mortis passionem sponte censuit sustinere.

4. Nonnulli Christum *hominem Dominicum* nuncupant. Ita Athanasius *in expositione fidei*, " Præcursor, inquit, in cœlum introivit Dominicus „ homo. " Epiphanius *in ancorato*, " Sic in carne passus est Christus, „ in ipso, inquam, homine Dominico. " Augustinus *lib.* 83. *quæstio-* „ *num*, *quæst.* 36. Exemplum Dominici hominis proponendum est. " Et „ *quæst.* 57. " Per Dominicum hominem liberantur. " Marcus Eremita *in libro præceptorum salutarium tom.* 2. *bibl. Patrum*, " Ecce in quantam glo-

gloriam & celsitudinem prædictorum causæ . . . Dominicum hominem provexerunt. " Vide & Anastasium Sinaitam *in ὁδῃ γῷ*.

5. Humanam naturam *divinitatis templum* esse faciunt Athanasius *de Incarnatione*, *pag. 69.* " Templum suum, nempe corpus non diu exa-„ nime jacere sivit. " Eustathius Antiochenus apud Theodoretum *dial.* 1. " Templum purum & immaculatum est humanum tabernaculum Ver-„ bi in quo palam diversatus habitavit Deus. " Gregorius Nyssenus *lib. 2. contra Eunomium*, " Dicimus itaque, inquit, cum superius asse-„ ruit, sapientiam sibi domum ædificasse, carnis illum Domini structu-„ ram iis verbis significasse. Non enim in alieno domicilio habitavit „ vera sapientia; sed sibimet domum ex virginali corpore fabricavit. " Imo Cyrillus ipse *lib. 6. in Joan.* ait vivificam esse Christi carnem, " „ Eo quod viventis est Dei Verbi templum & domicilium " Atqui hæ locutiones nonnisi moralem nexum significant. Ergo non est utriusque naturæ hypostatica conjunctio admittenda.

Distinguo majorem: eodem modo locuti sunt & non eodem sensu; concedo: eodem modo & eodem sensu; nego. Nimirum ejusmodi locutiones per se malæ non sunt, & commodo sensu usurpari potuerunt: sed perverso Nestorianorum usu suspectæ deinceps evaserunt. Cum autem non de verbis, sed de verborum sensu movenda quæstio sit, ut sapienter monet Leontius *lib.3. contra Nestorianos*, dispiciendum superest qua ratione hæ voces a veteribus acceptæ sint. At veteres longe aliter eas intellexerunt quam Nestoriani. 1. Enim cum ajunt hominem fuisse assumptum a Verbo, nomine *hominis* naturam humanam, non vero hominem jam expletum & per se subsistentem intelligunt. 2. *Deiferum* eum dicunt, quod Deum ferret sibi intime & personaliter unitum. Pariter *Deificatum* nominant, id est hominem Deum factum. 3. Humanam hanc naturam vocant quidem *divinitatis instrumentum*; sed instrumentum hypostatice conjunctum, non vero instrumentum separatum. 4. *Hominem Dominicum*, quia qui homo est in Christo, idem etiam est Dominus ac Deus. 5. *Templum* nuncupant ipsius humanitatem, quia in ea habitat plenitudo divinitatis, sed peculiari ratione, scilicet corporaliter & hypostatice. Sed de his vide Petavium fuse disputantem *lib.* 2. *cap.* 1. &c. *lib.* 7. *cap.* 10. &c.

Objicies 4. B. Virgo, juxta B. Hilarium, non est mater Christi, Ea enim non est Christi mater, quæ corpori ejus non dedit originem. Atqui B. Virgo Maria non dedit corpori Christi originem juxta Hilarium. Is enim *lib. 10. de Trinit. nu. 16.* " Non corpori (Christi,) „ inquit, Maria originem dedit; licet ad incrementa partumque cor-„ poris omne quod sexus sui naturale est, contulerit.

Nego majorem. Ad probationem distinguo: ea non est mater, quæ corpori non dat originem saltem secundariam; concedo: primariam; nego. Duplex est origo fœtus; primaria a viro; secundaria a muliere. Ut ergo in vulgari generatione primam originem non mulier suppedi-

tat, sed vir; ita in generatione Christi, primam originem non Maria, sed Spiritus-sanctus dedit, qui in ipsam supervenit, & virtus altissimi, quæ ei obumbravit. Quocirca *originis* nomine initia conceptus designavit. Quod autem B. Virgo tam vere sit mater Christi, quam alia quælibet fœmina esse solet suorum liberorum, ex eodem Hilario constat. *Ibidem* enim addit: " Licet ad incrementa partumque corporis, „ omne, quod sexus sui naturale est, contulerit. " Clarius autem *nu.* 7. " Quæ officio usa materno, inquit, sexus sui naturam in conceptu „ & partu hominis executa est. " Clarissime vero *num.* 15. " Virgo, „ inquit, nonnisi ex Spiritu-sancto genuit quod genuit, & quamvis „ tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ e- „ dendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen *Je-* „ *sus-Christus* per humanæ conceptionis coaluit naturam. " Absit igitur ut tam crassi erroris, quem ei ascripserunt Præpositus olim, & superioribus seculis Erasmus ac Scultetus, suspicione laboret. Vide Philippum abbatem bonæ spei, qui Præpositum confutavit, & Monachos Benedictinos, qui Erasmum & Scultetum pro merito castigarunt. Ex eo sane consequens foret B. Virginem ne hominis quidem Christi matrem esse; quod longe absurdissimum est.

Objicies 5. S. Chrysostomus *hom. 3. in cap. 1. epist. ad Hebr.* exponens hunc versiculum Christo ab Apostolo aptatum, *Sedes tua Deus in seculum seculi .... Propterea unxit te, Deus Deus tuus* &c. " Hic, „ inquit, & Judæos & Pauli Samosateni sectatores & Arianos & Mar- „ cellum (Ancyranum) & Sabellium percussit (Apostolus) & Mar- „ cionem. Quomodo vero? Judæos quidem, ostendens duas personas, „ Deum & hominem: alios vero, Samosateni dico asseclas, dum hæc „ dicit de æterna substantia & increata essentia .... *Sedes tua Deus in* „ *seculum seculi*. Adversus Arianos autem & rursus hoc ipsum, quod „ non sit servus, ... Contra Marcellum vero, quod sint hæ duæ per- „ sonæ distinctæ secundum hypostasim. " Unde sic arguere licet. Chrysostomus illic duas agnoscit personas. Atqui *ibidem* de Christo loquitur. Ergo.

Distinguo majorem: duas agnoscit personas Patris & Filii; concedo: Christi duntaxat; subdistinguo: duas personas improprie dictas, id est duos respectus; concedo: duas personas proprie dictas; nego. Eruditos jamdudum torquet hic locus, & de eo non ita pridem gravis mota est controversia, occasione interpretis Gallici, quem nonnulli incusabant, quasi Nestorianæ hæreseos instaurandæ studio duas in Christum personas invehere voluisset. Sed his omissis litibus, quæ ad nos non spectant, observandum est varias admodum esse hujus loci vexatissimi lectiones. 1. Enim hæc vulgatissima est lectio, quam repræsentavimus; *Ostendens duas personas, Deum, & hominem.* Ita editiones præcipuæ, Basileensis ann. 1517. & 1536. Veronensis, Commeliniana, Antuerpiana, Nivelliana. Ita etiam Nobilius Flaminius, qui jussu Gre-

gorii

gorii XIII. ad varios codices Vaticanos Chrysostomum recensuit. 2. Savilius Anglus, qui operum Chrysostomi pulcherrimam editionem græce adornavit, ita ex aliquibus manuscriptis legendum censet, *Duo eumdem esse ostendens, & Deum & hominem*: quod probat Halesius. 3. Sixtus Senensis contra legendum esse suspicatur, *Duas personas ostendens, Deum & Deum*. 4. Dounæus Anglus hanc mavult lectionem ex duabus consarcinatam, *Duas personas ostendens, & eumdem esse Deum & hominem*. 5. Vetustissimus Chrysostomi interpres Latinus, qui VI. seculo vixit, Mutianus scholasticus, sic habet, *Ostendens eis personas duas, sed unum Deum*; seu ut est in manuscripto quodam Colbertino, *Duas ostendens personas & Deum*; seu ut extat in duobus Sorbonicis, *Duas ostendens personas ad Deum*. Prima & secunda lectio duas personas & duo quæpiam in Christo ponit, Deum scilicet & hominem. Tertia lectio duas personas agnoscit quidem, Deum & Deum, sed illas esse indicat Patrem & Filium. Quarta has easdem personas de Patre & Filio intelligit. Quinta nihil habet certi.

Hinc duæ exortæ sunt Chrysostomi sententiæ interpretationes.

Primo enim interpretis Gallici delator anonymus post Dounæum contendit sermonem esse hic non de Christo, sed de Patre & Filio, qui sunt duæ revera personæ secundum hypostasim distinctæ. Cur autem in eam opinionem abiret hæc habuit momenta: 1. est, quod paulo post Chrysostomus de iisdem personis loquens, illas asserat esse secundum hypostasim distinctas. At illud non potest intelligi de uno Christo. Et vero Chrysostomus alibi unam in Christo personam agnoscit: nec dici potest *hypostasim* illic pro *natura* sumi. Chrysostomus enim hypostasim ubique a natura secernit, v. g. *in epistola ad Cæsarium*, & eam pro persona proprie dicta accipit. An vero duas proprie dictas in Christum personas invexit? 2. Petitur ex scopo Chrysostomi. Illic enim perstringere vult Judæos, Sabellianos, & Marcellum Ancyranum. Hi autem omnes Patrem & Filium negabant esse duas personas secundum hypostasim distinctas, & sanctissimam Trinitatem potius quam Incarnationem impugnabant. 3. Ducitur ex simili. Idem enim Chrysostomus *hom.* 30. *contra Anomæos*, hæc eadem Pauli ad Hebræos verba de duabus Patris & Filii personis exponit. 4. Ex ipsius discipulis, Theodoreto videlicet ac Theophylacto, qui cum verborum ac sententiarum Chrysostomi exscriptores esse soleant, Patris & Filii personas esse distinctas ex hoc Apostoli loco eliciunt. 5. Ab antiquiorum exemplo. Chrysostomus enim communem & vulgatam veterum exponendæ Scripturæ rationem sequitur. At Origenes *lib.* 1. *contra Celsum*; Cyprianus *lib.* 2. *Testimoniorum*; Eusebius *lib.* 4. *de demonstr. evang. cap.* 15. Hieronymus *epist. ad Principiam*; Gregorius Nyssenus, aliique vulgo hoc Apostoli testimonium usurpant, ut earumdem Patris & Filii personarum distinctionem astruant. 6. Est, quod Nestorius, Chrysostomi successor, hunc locum nunquam laudaverit in gratiam suam; nec illum at-

tulerit ad Nestorium excusandum Joannes Antiochenus aut Theodoretus; nec illum denique allegaverit in Theodori Mopsuesteni defensionem Facundus Hermianensis, licet undequaque similia Patrum, quibus tale quid excidit, loca summo studio ac incredibili diligentia conquisierit; & ipsas etiam Chrysostomi in epistolam ad Hebræos homilias in ipsius patrocinium adduxerit.

Secundo contra interpretis Gallici vindex post Flaminium existimat hunc locum de solo Christo esse intelligendum, non vero de Patre & Filio. Cujus quidem rei multas affert causas. 1. est, Quod ibi Chrysostomus ne verbulo quidem Patris mentionem injiciat. Quis autem putet ita infantem fuisse & indisertum Chrysostomum, ut ne eum quidem nominaret aut indicaret, de quo loqui vellet? 2. est, Quod integram Apostoli sententiam de uno Christo interpretari statuerat, ut in ipso limine monet. 3. est, Quod non potuerit hic Chrysostomus Patrem & Filium intelligere, nisi postrema Psalmistæ & Pauli verba hæc, *Unxit te ... Deus tuus*, de Patre Filium ungente interpretatus fuerit. At hæc verba non de Patre, sed de Verbo ipso & ipsius divinitate, qua uncta fuerit humana ipsius natura, exponit. Ergo.

Neque vero movetur ille adversarii momentis. Non primo. Ait enim juxta veterum loquendi rationem, duas hypostases proprie in Christo admitti posse: imo duas aliquatenus personas, seu *δύο προσωπα*. Nomen enim *hypostasis* olim pro *natura* vulgo sumebatur: vox autem *personæ* non semper naturam aliquam completam ac subsistentem apud eosdem sonat, sed merum sæpenumero respectum, pro variis officiis. Ita philosophi veteres dixerunt tria esse animæ nostræ *πρόσωπα* seu tres personas aut respectus, quod nempe tribus simul muneribus fungatur, ut ex Suida docet Budæus. Ita Sabellius qui Patrem certe ac Filium & Spiritum sanctum non distinguebat, tres tamen in Deo personas, tria *πρόσωπα* agnoscere non refugiebat, pro variis Dei operationibus. De quo consule Basilium *epist.* 349. & 391. Quo factum est ut *πρόσωπα* nomen diu multis fuerit odiosum, nisi alio quodam muniretur, ut constat ex eodem, & Gregorio Nazianzeno *orat.* 2. *ad finem*. Ita Athanasius *epist. ad Antiochenos* eo sensu apud Facundum *lib.* 11. *cap.* 2. asserit. „ Duas esse in Christo personas hominis assumpti & Dei Verbi assumentis. “ Ita Eustathius Antiochenus apud eumdem *ibidem*, *cap.* 1. pronun-„ ciat, “ Unam Christi personam de altera ejusdem Christi persona lo„ cutam esse. “ Ita Ambrosius *lib.* 2. *de fide cap.* 8. ait Christum “ Ex „ persona hominis dixisse, *Pater major me est*. “ Et *lib.* 4. eum “ ex „ personæ hominis .... susceptione loqui. Quin etiam post Nestorium S. Leo triplicem in Christo personam, regiam, divinam & humanam admittit *serm.* 3. *de Epiph. cap.* 2. Quid ergo impedit quominus eadem ratione locutus aliquando Chrysostomus fuerit? Quid obstat quominus verba *hypostaseos* & *personæ*, quæ alibi proprie sumit, hic improprie usurpet, cum id in usu tunc foret, & ex fidei principiis sancti doctores verba sua

ba sua recte intelligi non nescirent? 2. Momentum longe minus urget. Omnes enim illi a Chrysostomo recensiti, Judæos dico, Sabellianos & Marcellum, duas in Christo naturas esse inficiabantur, non minus, quam plures esse in sanctissima Trinitate personas. Recte igitur verba Pauli adversus eos torsit Chrysostomus, cum Apostolus duo in Christo esse arguat, naturam nempe humanam, quæ uncta fuerit, & divinam quæ unxerit. 3. Nocet magis, quam prosit. Nam Chrysostomus quidem *hom.* 30. *contra Anomæos* hunc Apostoli locum de Patre & Filio interpretatus est: sed utrumque ibi nominatim appellavit; hic autem solum Christum appellat. Cur autem solum Christum appellasset, non autem Patrem & Filium, si Pauli verba non de solo Christo, sed Patre & Filio voluisset accipi? Nempe, ut dixi, duplici modo exponi queunt hæc prophetæ & Apostoli verba, *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* &c. 1. ita ut nomen *Dei* primo positum in vocativo casu ad Christum, secundo vero repetitum in nominativo casu, ad Patrem referatur: proinde Filius sit Deus, quem Pater item Deus unxerit. Atque hæc est vulgaris interpretatio distinctioni Patris & Filii favens: 2. ita ut nomen *Dei* bis in eodem nominativo casu iteretur; quod Hebræis est familiare; v. g. *Psal.* 21. 1. & 62. 1. per appositionem, ut loquuntur Grammatici, & ita ut solum Verbum divinum hic compelletur, a quo Christi humanitas uncta fuerit. Priorem interpretandi viam secutus est Chrysostomus *hom.* 30. *contra Anomæos*; sed alteram anteposuit *hom.* 3. *in epist ad Hebræos*. nec id insolens est. 4. Momentum debile est. Primam enim interpretandi rationem sequi maluerunt Theodoretus & Theophylactus, ut pote magis tritam; maxime cum altera Chrysostomi verbis expressa ea ætate, qua ambo florebant, non levi invidia flagrasset. 5. Ex dictis solutum est. Neque enim mirum est, si hanc eamdem exponendi rationem amplexi sint multi Ecclesiæ doctores, & alia tamen etiam defendi possit. Certe Ecclesia, cum sacrum facit die sanctis virginibus dicata, locum prophetæ per appositionem accipit, & hunc versiculum sanctis virginibus attribuit. 6. Denique non mirum est, cur Chrysostomum non laudaverit in gratiam suam Nestorius, cum nec Athanasium nec Ambrosium laudaverit. Hæc autem sententia Facundi memoriæ non occurrit, cum scriberet, ut nec alia, quæ bene multa ab ipso afferri poterant, nec tamen allegata sunt.

Quidquid sit, Chrysostomi fides extra controversiam est. Si enim illic de duabus Patris & Filii personis verba fecit, nulla est prorsus difficultas: si de solo Christo; nomen *personæ* improprie sumitur pro *respectu*, & vox *hypostaseos* pro *natura*. Et certe rectam hac in parte Chrysostomi doctrinam mirifice prædicant Cælestinus summus pontifex in litteris suis ad clerum populumque Constantinopolitanum; & Cyrillus ad eosdem: imo Nestorium Chrysostomi auctoritate revincunt. Idem videre est apud Cassianum Chrysostomi discipulum *lib.* 7. *de Incarn. Christi adversus Nestorium*: neque ejus patrocinio Nestorius unquam aut ejus as-

seclæ gloriati sunt. Ecquis vero Chrysostomi fidem in dubium revocet, „ quam *in epistola ad Cæsarium* tam luculenter exponit, " Pium, in- „ quit, & valde pium est, Christum, qui morte circumdatus est, con- „ fiteri in divinitate perfectum & in humanitate perfectum: unum fi- „ lium unigenitum. non dividendum in filiorum dualitatem, habentem „ tamen in semetipso indivisarum duarum naturarum minime confu- „ sas proprietates: non alterum & alterum, absit; sed unum & eumdem „ Dominum Jesum Christum, Dei Verbum carne amictum, & ea non „ inanimata & sine mente, ut impius Apollinaris dixit: istis mentem „ intendamus: fugiamus eos, qui dividunt. Nam etsi duplex natura, ve- „ rumtamen indivisibilis & indissipabilis unitio, quam in una filiationis „ confitemur persona & una subsistentia seu hypostasi. " Quibus quidem verbis nihil expressius desiderari potest.

Objicies 6. B. Maria virgo non potest dici *mater Dei*. Ut enim diceretur *mater Dei*, deberet esse genitrix divinitatis. Atqui non est genitrix divinitatis. Ergo.

Nego majorem. Ad probationem nego iterum majorem. Ut enim Dei mater censeatur, satis est quod eum genuerit qui est Deus, ac semper fuit, nec necesse est ut divinitatem ipsam genuerit: quemadmodum, ut mulier aliqua existimetur esse mater alicujus hominis, qui corpore & anima rationali constat, non necesse est ut animam ipsam genuerit, sed sufficit, si eum genuerit, qui ea anima præditus est: cujus quidem responsionis hæc ratio est, quod *generationis* terminus non sit hæc aut illa pars, sed totum suppositum & persona, proinde si persona ipsa sit Deus, mater Dei proprie dicenda est, quæ personam divinam in lucem edidit.

Instabis. Mater debet esse filio consubstantialis. Atqui B. Virgo non est Deo consubstantialis. Ergo.

Distinguo majorem: debet esse filio consubstantialis secundum aliquam partem; concedo: omni ex parte; nego.

Objicies 7. Verbum non potuit assumere naturam humanam, quæ propria jam subsistentia ac personalitate non gauderet. Persona enim est naturæ rationalis individua substantia. Atqui haud dubie assumpsit substantiam aliquam individuam. Ergo necessario assumpsit personam.

Nego majorem. Ad probationem distinguo: persona est individua substantia, id est omnino completa, & totum aliquod peculiare seorsim constituens; concedo: persona est substantia quælibet individua, id est particularis; nego. Namque anima rationalis extra corpus est substantia aliqua rationalis & particularis, nec tamen persona est. Sed de eo aliisque id genus abunde *supra* disputavimus, ubi de Incarnationis possibilitate.

AR-

ARTICULUS II.

An reipsa Nestorius duas in Christo personas admiserit.

HUcusque de dogmate egimus, nunc altera quæstio subit de facto, an scilicet Nestorius reipsa duplicem in Christo personam admiserit. Hanc autem controversiam ut agitemus, facit importuna nonnullorum e Calvinianis temeritas, qui rem in dubium revocare impudenter non dubitarunt, quæ apud omnes hactenus fuerat in confessio. Ii autem sunt Albertinus in spisso *de Eucharistia* opere; Ægidius Gaillard, Joannes Croius, David de Rodone, qui famosum *de supposito* librum ea mente edidit, ut Nestorium absolveret, Cyrillum contra & Ephesinam synodum probris oneraret: cui non pauci exinde assensi sunt, aut etiamnum assentiuntur. Eos vero in hanc partem impulerunt conceptum adversus sanctos Patres & concilia vetera odium, quod non dissimulant, & novitatis suique similium amor.

Mirum vero est quosdam e nostris in eamdem inclinare visos esse; v. g. qui de fide Orientalium ecclesiarum scripsit *cap. 7. pag. 83.*

ASSERTIO.

NESTORIUS unam esse in Christo personam reipsa negavit.

ARGUMENTA.

PROBATUR 1. synodi Ephesinæ judicio, quod veritati consentaneum ac constans universa deinceps ad nos usque Ecclesia suspexit ac secuta est, adeo ut temeritatis merito illi incusentur, qui sententiam tot seculorum, totque gentium auctoritate confirmatam refigere non erubescunt.

PROBATUR 2. Patrum & theologorum consensione, qui in his rebus, & historia versati, de Nestorio nunquam mentionem fecerunt. Inter eos enim nemo ad hæc usque tempora repertus est, qui non agnoverit, & mentem Nestorii optime intellectam fuisse, & jure damnatam.

PROBATUR 3. ipsorum Nestorii amicorum testimonio, qui cum ei diu favissent, amicitia ducti & variis ejus artibus delusi, refrigerata tandem contentione animorum, positis partium studiis, rebusque ac verbis hinc & inde per longum tempus expensis, versipellem Nestorii animum, erroremque ejus impium confessi sunt ac proscripserunt. Talis fuit Joannes Antiochenus, qui multis cum Nestorio mixtis colloquiis, ipsiusque mente apertius detecta, veritatis vi superatus, auctor etiam Theodosio imperatori fuit, ut eum in pestifero dogmate obsti-

natum e monasterio Oasim amandaret, ne ejus erroris contagia serperent in populos, quod historia refert. Talis quoque Theodoretus fuit, qui cum in ejus gratiam multa fecisset ac scripsisset, compertam sibi tandem aliquando blasphemiam omnibus manifestam fecit *lib. 4. haeret. fabul. cap.* 12. eique anathema palam ac publice dixit in concilio Chalcedonensi. Quid autem revera Nestorius sentiret, uterque pro ingenii acumine, longo doctrinae usu, suaque cum ipso consuetudine apprime rescire potuerunt.

PROBATUR 4. ipsius Nestorii scriptis. Ut enim Nestorii mens innotescat, dispiciendum est an omnia physica & naturalia attributa hominis Deo, & Dei contra homini in Christo ascribi voluerit. Is quippe est lapis Lydius. Nam qui unam in Christo personam, & substantialem utriusque in ipso naturae conjunctionem agnoscit, is debet reciprocam utriusque naturae proprietatum communionem admittere. Quae enim utriusque naturae sunt, ea personae ipsi tribui possunt ac debent. Jam vero si ad hanc normam Nestorii doctrinam exigamus, res statim aperta erit.

Primum enim unionis naturalis, & hypostaticae conjunctionis consectarium est, quod homo in Christo sit Deus. At id non admittebat Nestorius. Sic enim loquitur *serm. 7. num. 37.* apud Marium Mercatorem, & in concilio Ephesino *pag.* 571. " Non per seipsum Deus est, " inquit, quod in utero figuratum est: non per se Deus est, quod " creatum est a Spiritu sancto: non per se Deus est, quod in monumento sepultum est. Sic enim essemus & hominis & mortui cul" tores manifesti.

Secundum est, quod Deus sit natus. At Nestorius *ser. 3. ibid.* sic ait: " Ver" bum ergo Deus non est natus ex Maria, sed in illo, qui ex ea natus est, " mansit. " *Serm. 3. nu. 2.* " Ego, inquit, natum Deum & mortuum & sepul" tum adorare non queo.

Tertium, quod B. Maria sit Dei genitrix. Verum id negavit Nestorius. " Habet, inquit *serm.* 1. matrem Deus? Ergo excusabilis gentili" tas matres diis subintroducens. . . . . Non, vir optime, Maria pe" perit Deum; . . . sed peperit hominem divinitatis instrumentum. " Vide Cyrillum *in anathematismis*; Joannem Antiochenum *epist. ad ipsum Nestorium*; Theodoretum *supra*, qui hoc inficiatum esse Nestorium asseverant, & in eo catholicae fidei tesseram constituunt. Adde Garnerum *in appendice* ad Marium Mercatorem; ubi decem argumenta collegit, quibus Nestorius errorem suum fulcire ad vitae usque finem variis temporibus conatus est, ne quis id ei non satis meditate loquenti excidisse opinaretur.

Quartum, quod Deus fuerit infans. At Nestorius id ferre non poterat. Ut enim testantur Patres Ephesini *pag. 661. conc. Ephesini, in relatione sua ad imperatorem*, triduo ante concilium dixerat Nestorius coram episcopis: " Ego bimestrem aut trimestrem Deum non dico.

Quin-

Quintum, quod Deus mortuus sit. Sed ab eo Nestorius abhorrebat. *Serm.* 1. " Incarnatus quidem est Deus, inquit; sed non-mortuus. " Adi insuper *serm.*2. &c.

Sextum, quod Deus surrexerit a mortuis. Jam vero adversus hoc caput insurgebat Nestorius. *Sermone* enim 4. *num.* 7. " Nunquid Verbum, inquit, „ surrexit a mortuis?

Hæc autem & alia similia millies repetit, & ad nauseam usque inculcat, ut videre est apud Marium Mercatorem, ita ut nullus tergiversandi locus relictus sit.

PROBATUR 5. ipsa Nestorii agendi ratione. Conceptæ enim impietati ad obitum usque pertinaciter adhæsit, nec unquam Ecclesiæ dogma per se clarum ac facile, ac post tot, & tantas controversias maxima in luce positum suscipere voluit, etiamsi discussæ essent nubes, quæ veritatem aliquatenus obtegere poterant; & hinc quidem Cyrillus duas in Christo naturas cum Orientalibus in pace ineunda diserte professus esset; illinc vero Joannes Antiochenus, & alii ejus veteres amici, in id quod paci hactenus obstiterat, concessissent. Neque vero unquam Nestorius de pravo sibi per calumniam affictο sensu, sed de ipsa semper Ecclesiæ sententia conquestus est. Et sane si de solo loquendi modo, & non de ipso dogmate cum ceteris Christianis pugnasset, an monitus ab amicis, ut resipisceret, & verba hactenus usurpari solita non aversaretur, damnatus a summo pontifice & universa Ecclesia, sede sua exturbatus, in exilium pulsus, ab omnibus etiam familiaribus desertus, totique exosus humano generi, an non, inquam, tandem aliquando cessasset litigare de verbis comperta veritate? An Ecclesiam hujusmodi vocabulis vir catholicus turbare perstitisset ad mortem usque, & quosque in eamdem secum ruinam trahere. Facessant igitur, qui firmissima quæque revellere soliti, tam solidum Ecclesiæ judicium ad incudem revocari volunt, & Nestorium infamem totque fulminibns tactum merito ac prostratum, integrum, & sanæ semper doctrinæ fuisse ariolantur.

OBJECTIONES.

OBJICIES I. Joannes Antiochenus, quo nemo melius Nestorii mentem callere potuit, 1. *parte concilii Ephesini cap.* 25. *Epistola ad eumdem*, pro certo habet, ipsum eadem omnino sentire, quæ veteres Patres, & a sola *Deipara* voce abhorrere, cum tamen piam ejus notionem non aversaretur. Idem testatur Acacius Berœensis *epist. ad Cyrillum ibid. cap.* 23. Ergo.

DISTINGUO majorem: Joannes Antiochenus, amicitiæ & anticipatæ de Nestorii recta fide opinioni nimium tribuens, famæ mendaci credens, & malum insuper de industria extenuans, ad frangendam Nestorii pervicaciam; concedo: quod ita se res haberet; nego. Joannes An-

Antiochenus inter initia turbarum hanc epistolam ad ipsum Nestorium scripsit. Cum itaque nondum ejus errorem compertum haberet, ægre sibi persuadebat amicum ita turpiter errare. Non mirum igitur si ex insito amore benignius de eo judicaret. Deinde studiose sparserat ubique Nestorius, se ob meras de verbulo uno controversias exagitari. Huic autem famæ, ut ipsemet ibi loquitur, fidem habuerat Joannes. Denique cum vellet hac epistola Nestorium revocare ab impietate, quam altius imbibisse non credebatur, mollius eum tractandum putavit, ne exulcerato animo, in errore obstinatus persisteret, aut etiam in pejora laberetur. Idem de Acacio existima. Cæterum quid ex familiaribus cum Nestorio colloquiis de eo postmodum senserit Joannes, jam ante retulimus.

Objicies 2. Theodoretus etiam post initam ab Orientalibus cum Cyrillo pacem, iniquo animo tulit suorum in Nestorii damnationem consensum: affirmavit Nestorium sanæ esse doctrinæ, eum appellat *venerabilem & sanctissimum virum*, declarat se cum iis non esse communicaturum, qui ejus doctrinam proscriberent, quia idem est ac si pietatem ipsam anathematizarent. Vide *epist. 2. ad Alexandrum Hierapolitanum*, & aliam ad Andream Samosatenum.

Respondeo Theodoretum quidem diutius quam reliquos Nestorio, a quo deceptus fuerat, favisse. Sed quantus ille esset simulandi artifex postea agnovit; idque nec non & ipsius errorem omnibus exinde palam fecit *lib. 4. hæret. fabul. cap.* 12. ac tandem ei in concilio Chalcedonensi anathema dixit. Illa porro tam diuturna Theodoreti dubitatio fidem nostram firmat; neque sane minus ille nobis profuit tandiu hærendo, quam alii citius assentiendo: quo enim tardius, eo gravius ac maturius fuit Theodoreti de Nestorio judicium.

Objicies 3. Socrates coætaneus Scriptor *lib. 7. hist. cap.* 32. tradit se lectis omnibus Nestorianæ causæ monimentis deprehendisse, quod Nestorius errore lapsus non sit, sed imperitia duntaxat, & quarumdam vocum odio, quas ut larvam reformidabat. Ergo.

Respondeo nos lubenter fidem habituros Socrati, cum historicum aget, non vero cum theologi partes occupabit. Ut enim erat e foro scholasticus, & earum rerum rudis: varias ac subtiles Nestorii tricas percipere non potuit: & quia cernebat ipsum in sermonibus frequenter declamare adversus Pauli Samosateni & Photini impietatem, ad quam implicari vulgo ferebatur, putavit statim eum omnis impietatis purum esse. At præceps Socratis judicium præponderare non debet totius Ecclesiæ auctoritati.

Objicies 4. Nestorius non renuebat confiteri B. Mariam Virginem esse Deiparam: contra *serm. 6. num.* 4. " Si quis, inquit, ... hac „ voce Θεοτόκος gaudet, nulla est de voce invidia: tantum ne virgi- „ nem faciat Deam. " *Sermone* 12. " Damna eos, inquit, qui di- „ cunt secundum Apollinaris & Arii sensum, Dei genitricem; & ego

„ una

„ una tecum clamo *Θεοτόκον*. Filius Dei natus est Deus Vebum & homo. „ Ergo quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix. " Idem *ferm.* 13. & alibi non semel.

DISTINGUO antecedens: confiteri subdole; concedo: sano sensu; nego. Sic enim habet *epist.* 1. *ad Cælestinum num.* 6. " Hoc nomen „ Θεοτόκον, inquit, dicimus .... ferri posse, modo solum nominetur „ de Virgine hoc verbum propter inseparabile templum Dei in ipsa: „ non quia ipsa sit mater Dei Verbi. Nemo enim antiquiorem se pa„ rit. " Proinde Nestorius B. Virginem Dei genitricem appellari posse duntaxat censuit propter moralem hominis, quem peperit, cum Deo conjunctionem. Hinc concilium V. œcumenicum *collat.* 8. *can.* 6. notat eum dixisse Dei genitricem *abusive*, non vere. Adde Vincentium Lirinensem *common.* 1. *cap.* 17. Ferrandum diaconum *in epist. ad Anatolium* &c.

INSTABIS. Ubique contestatur Nestorius se in ea voce solum vitare velle Apollinaris & aliorum hæreseos periculum, qui dicebant Mariam fuisse Christi divinitatis genitricem. Ergo incusari non debet ut hæreticus.

RESPONDEO triplici modo posse B. Virginem agnosci ut Dei genitricem: ac 1. quidem, quia peperit divinitatem, quod aiebat Apollinaris: 2. quia genuit personam, quæ est Deus, quod Ecclesia prædicat: 3. quia hominem genuit, qui morali quodam nexu Deus esset. Ita Nestorius. Itaque Nestorius ab uno extremo in aliud impegit; nec in medio, ut par erat, hæsit. Quo catholicum dogma everteret, prætexuit Apollinaris impietatem, verum ut suam ipse interim astrueret. Solemne autem est hæreticis dogma catholicum cum hæretico in confinio posito involvere, & unum alterius obtentu rejicere, ut incautos facilius decipiant & virus suum imprudentibus instillent. Sic Ariani quondam simulabant se a Sabellianismo velle duntaxat recedere, dum catholicam fidem insectabantur.

OBJICIES 5. Nestorius unam in Christo personam admisit. *In epistola* enim *ad Alexandrum Hierapolitanum*, " Non duas personas, in„ quit, unam facimus; sed una appellatione Christi duas naturas simul „ significamus. " Idem tradit alibi *Epistola* enim *ad Cyrillum*, *conc. Ephes. pag.* 324. eum laudat quod recte " divinitatis & humanitatis con„ junctionem in unam Christi personam prædicaret. " Ergo unam in Christo personam & Cyrilli fidem confitebatur Nestorius.

DISTINGUO antecedens: personam unam moraliter; concedo: unam physice; nego. *Personæ* nomen potest physice ac moraliter usurpari. Personam physicam facit hypostasis; moralem jus. Unde multorum una potest esse juxta jurisconsultos persona, v. g. amborum conjugum. Hoc autem conjugum exemplo utebatur Nestorius in hoc negotio, atque adeo unam moraliter duntaxat in Christo personam admisit ex duabus physicis conflatam. Hinc Verbum divinum in symbolo Nestoriano,

quod

quod Charisius obtulit synodo Ephesinæ, dicitur, " Assumpsisse homi-
„ nem in utero Virginis jam perfectum & subsistentem. " Omnes autem Nestorianorum artes detegit & percellit concilium œcumenicum V. *collatione 6. can.* 4. his verbis: " Si quis, inquit, unam subsisten-
„ tiam Domini nostri Jesu Christi sic intelligit, quasi suscipientem plu-
„ rimarum subsistentiarum significationem, ac per hoc introducere co-
„ natur in mysterio Christi duas subsistentias seu personas & duarum
„ personarum, quas introducit, unam personam dicit secundum digni-
„ tatem & honorem & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius con-
„ scripserunt, ... talis anathema sit. Fucum itaque facere hic voluit Nestorius, & orthodoxam Cyrilli fidem est ementitus, ut imponeret. Verbis nimirum catholicis erroris sui virus implicabat, & causa quidem esse hæc potuit, cur verba catholica usurparet, nempe ut catholicus videretur. At nulla causa esse potuit, cur alias impie loqueretur, nisi error, & in suscepto errore obstinatio.

Objicies 6. Si Nestorius duas esse existimasset in Christo personas, non eum unum filium, non unum Christum appellare potuisset. Atqui unum filium & unum Christum prædicabat. *Sermone* enim 2. " Chri-
„ stus, inquit, secundum quod est Christus, indivisus est; & filius,
„ secundum quod est filius est indivisus... Idem ipse duplex est, non
„ dignitate, sed natura. " *Sermone* autem 12. " Naturæ sunt duplices,
„ filius singularis. " Ergo.

Distinguo minorem: prædicat unum filium moraliter; concedo: physice; nego. Nestorio nihil erat artificiosius. Sub catholicæ enim fidei specie latere volebat, & catholicis illudere. Cum ergo ab Apostolo didicisset eum ut Antichristum esse spectandum, qui Jesum solveret, dicebat eum esse unum Christum, unum filium, non quidem physice (illud enim axioma profert apud Cyrillum *lib.* 1. *Antirrhetici*; " Quorum duæ sunt generationes, duo sint filii necesse est ") sed unum moraliter propter honoris ac nominum communionem. Sic nempe mentem ipsius aperit symbolum ab ipsius asseclis conditum *Ephes. synodi pag.* 678. " Neque duos filios, inquiunt, aut duos dominos dicimus;
„ quandoquidem unus est tantum per essentiam filius, nempe Deus Ver-
„ bum, cui conjunctus hic est homo Dei comparticeps. Consors enim
„ est appellationis & honoris filii. At essentialiter quidem Dominus
„ est Deus Verbum, cui hic copulatus particeps est honoris: ideo
„ nec duos filios, nec duos dominos dicimus. " Hinc synodus V. me-
„ rito observat eos, licet duas evidenter introducerent personas, unum
„ dixisse tamen filium per solam nominationem & honorem, & digni-
„ tatem, & adorationem.

Objicies 7. Nestorius a communione utriusque naturæ in Christo proprietatum & idiomatum non abhorruit. *Epistola* enim *ad Cyrillum*, *Ephesinæ synodi pag.* 325. " Rectum, inquit, evangelicæque traditioni
„ consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse confi-

„ tea-

„ teamur, illudque nexu adeo sublimi divinoque & admirabili ipsi con-
„ junctum, ut dicamus divinam naturam ea sibi vindicare, quæ corpo-
„ ris alioqui sunt propria. " Ergo.

DISTINGUO antecedens: a communione idiomatum moralium; concedo: physicorum; nego. Sic enim subdit: " Verum propter hanc „ appropriationem Dei Verbo ascribere nativitatem, passionem, mor- „ tem, cætcrasque carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis „ est aut ethnicorum more errantis, aut certe insani Apollinaris mor- „ bo, aut alio etiam graviori laborantis.

OBJICIES 8. Nestorius *serm.* 12. Christum esse Deum pronunciat, & a se procul amovet insaniam Pauli Samosateni nudam humanitatem in Christo admittentis. Ergo.

DISTINGUO antecedens: esse Deum nomine & honore tenus; concedo: vere; nego. *Anathematismo* enim 1. diris devovet eos; " Qui „ dixerint eum, qui est Emmanuel, Deum esse verum, & non potius „ a Deo inhabitatum. " Volebat itaque Christum nomine *Dei* improprie donari eo fere modo, quo Moyses eo insignitur. Vide Cyrillum *lib.* 1. *contra Nestorium*, & concilium Ephesinum *quaternione* 27. *pag.* 524.

OBJICIES 9. Nestorius *serm.* 1. *supra*, Incarnationem Verbi recipit. Ergo.

DISTINGUO antecedens: Incarnationis nomine intelligens Verbi divini in Christo homine quasi in templo suo habitationem; concedo: intelligens hypostaticam Verbi divini cum humana natura conjunctionem; nego. Si enim hanc conjunctionem admisisset, consequens erat, ut etiam Deum fateretur esse mortuum. At Deum mortuum *ibidem* negat. Ergo.

OBJICIES 10. Si Nestorius pro hæretico habitus esset, non passus foret imperator eum in antiquum monasterium redire. Atqui hoc passus est Theodosius.

NEGO majorem. 1. Enim tentare voluit imperator, an non hortationibus amicorum ad saniorem mentem sese non reciperet. Ast ubi vidit contra ipsum pluribus afflare pestem, deque eo conqueri Cælestinum summum pontificem (*Ephes. synod. pag.* 1069.) Joannis Antiocheni suasu eum Oasim deportari jussit.

OBJICIES 11. Athanasius & Chrysostomus non minus dure quam Nestorius locuti sunt. Duas enim in Christo personas admiserunt. At non propterea hæretici judicati sunt. Ergo nec eam ob rem hæreseos incusari debet Nestorius.

NEGO consequentiam. Latum enim discrimen est inter sanctos Patres antiquos, & hæreticos, licet iisdem aliquando locutionibus utantur. Veteres enim excusantur, si quid eis per transennam durius excidit. Nulla enim commota quæstione, securius loquebantur, ut pote qui scirent sese intelligi, quomodo in Ecclesia credebatur, ut de Chryso-

sosto-

fostomo observat adversus Pelagianos Augustinus. Deinde vero ex consequentibus & antecedentibus, nec non & ex aliis locis mens eorum innotescit. At hæreticorum non eadem est ratio. Peregrinas enim locutiones illi non sciscunt, nisi ut nova ferant dogmata : consilio id faciunt : monentibus catholicis obluctantur : Ecclesiæ judicio resistunt : in aperta veritate non acquiescunt. Quocirca non excusari; sed damnari merito debent.

Objicies ultimo. Nestoriani, qui etiamnum in Oriente frequentissimi degunt, a catholicis non dissentiunt, nisi forte verbis tenus, ut videre est ex eorum fidei professione anno 1610. Romæ edita, cui consentaneæ sunt aliæ antiquiores, annorum videlicet 12,7. 1445. 1550. & 1562. Vide P. Simon *de fide Orientalium Ecclesiarum*. At ex discipulis de magistri mente dijudicandum est. Ergo.

Distinguo minorem : ex discipulis antiquioribus; concedo : recentioribus; subdistinguo : nisi quid intercesserit quod in doctrinam mutationem invehere potuerit; esto : secus; nego. Poro allegata mox fidei professio, Nestorianorum est recentium. Ex iis autem judicare non licet de Nestorii mente, cum temporum decursu, Patrum lectione, frequenti Latinorum usu ac commercio, apostolorum orthodoxorum in eas partes profectorum sermonibus, redintegratis identidem cum Romana sede fœderibus a seculo duodecimo, prava auctoris sui dogmata tenuare ac corrigere sensim potuerint. Præterea vero ex historia constat omnes has fidei formulas variis temporibus editas, aut a sede Romana improbatas fuisse, aut ad ipsius sententiam fuisse exactas, Nestorii erroribus ejuratis : adeo ut nihil id contra nos faciat. Prima fidei professio fuit patriarchæ Nestorianorum anno 1245. sub Innocentio IV. Expressa autem ea est ad Ecclesiæ Romanæ normam. Secunda a Thimotheo Nestorianorum in insula Cypro principe, oblata est Romæ Eugenio IV. anno 1445. sed ejusdem pontificis jussu exarata est, & ad singulos articulos damnantur concepti prius Nestorii errores. Tertia ibidem est emissa coram Julio III. anno 1550. a Simone Sulacha, cum ad Ecclesiæ Romanæ gremium rediit, & ab eodem Julio in patriarcham Nestorianorum multorum, qui se a cæteris sejunxerant, constitueretur. Ea autem pariter a Romanis dictata est Nestorianis secum communicaturis; cum reliqui interea in suscepto pravo dogmate perseverarent. Quarta est Abdjesu anno 1562. sub Pio IV. Is autem Abdjesu prædicti Sulachæ successor fuit : proinde cum catholicus esset, ejus professionem catholicam esse oportuit. Porro ex historia vitæ ejusdem Abdjesu liquet eum pertinaciter antea Nestorianorum erroribus adhæsisse, & innumeros e popularibus suis ab iisdem erroribus revocasse : quod evidenti argumento est erroris puros non fuisse tum Nestorianos, vel ipso teste. Quinta ac ultima fuit Eliæ, cæterorum Nestorianorum patriarchæ, qui anno 1610. sub Paulo V. in concordiam cum Ecclesia Romana rediit.

diit. In ea autem professione fidei duas naturas, duas hypostases, & unum *parsopa* confitetur, vultque solis vocibus tenus ab Ecclesia Romana dissidere. Sed eam non probavit Paulus V. imo vero declaravit non modo penes verba sed etiam penes dogmata inter utramque Ecclesiam esse controversiam ac dissidium. Quapropter voluit ut errores istos conceptis verbis ejuraret, Nestoriumque anathematizaret: quod ipsius nomine Romæ præstitit Adam ipsius legatus, ecclesiæ Chaldæorum primariæ archidiaconus, ac monachorum generalis præpositus, uti narrat Petrus Strozza Paulo V. a secretis, in libello *de erroribus Chaldæorum*. De his præterea consule Raynaldum *in annalibus*, & Abrahamum Echellensem ad opera Abdjesu, & auctorem *perpetuitatis fidei*, *tom.* 1. *lib.* 5. *caput* 10. præ cæteris vero eruditum Renaudotium.

ARTICULUS III.

An Nestorius canonice damnatus sit.

QUI Nestorio savent recentiores, iidem vulgo sentiunt ipsum non fuisse servata judiciorum legitima forma a concilio Ephesino damnatum.

ASSERTIO.

NESTORII damnatio legitima ac canonica fuit.

ARGUMENTA.

PROBATUR 1. Ea damnatio legitima fuit, quæ lata est a judicibus legitimis in contumacem hæreticum, justa de causa, servata canonica forma, habito sufficienti examine, præscriptoque ac convenienti tempore elapso. Atqui ista omnia in damnatione Nestorii occurrerunt.

Primo Judices legitimi erant, Patres nempe synodi œcumenicæ ad eam rem convocatæ. Aderat Romanus pontifex per legatum suum Cyrillum. Aderat idem Cyrillus patriarcha Alexandrinus, suo & Ecclesiæ suæ nomine, Juvenalis Hierosolymitanus, Memnon Ephesinus, id est præcipua orbis Christiani capita, cum aliis Episcopis numero ducentis, & amplius. Ergo.

Secundo Justa damnationis causa intercessit, error nimirum tanti momenti, ut ipsam Christianæ religionis arcem everteret.

Tertio Summa diligentia res expensa est. Quamvis enim hæc controversia ex præteritis disputationibus jam satis esset explorata, lecta sunt insuper media in synodo omnia causæ instrumenta: Nestorii, qui adef-

adesse noluerat, scripta sunt prolata: audita sunt præsulum de eo testimonia; denique contra adducta pleraque veterum Patrum monimenta, quæ Nestorium impietatis manifestum faciebant. Ergo.

Quarto servata est a canonibus præscripta judiciorum forma. Postquam enim diu monitus fuisset, ut tandem aliquando resipisceret, ter præterea ad synodum frustra vocatus est, ut fidei rationem redderet.

Quinto contumax ille fuit. Ter enim vocatus, judicio sistere se noluit, licet in urbe adesset. Pridie enim quam inchoaretur concilium, quatuor episcopi omnium nomine, ad Nestorium missi sunt, qui eum citarent. Illis autem superbe respondit se tempore opportuno, si liberet, affuturum. Secunda vice præsules ad se eadem de causa adeuntes, ad conspectum non admisit: per milites autem eis duntaxat significavit fore ut interesset concilio cum Orientales advenissent. Tertia tandem vice alios nec conspectu, nec verbo dignatus est, iis autem milites denunciarunt se ad Nestorii ædium vestibulum excubare, ne quis ad eum e synodo introiret. Quod ubi Patres acceperunt, quartam legationem, ad quam erant parati, revocaverunt, *Ephes. synod. pag.* 453. 456. 460. Ergo.

Sexto præscriptum tempus exactum erat. Indicta enim synodus fuerat ad diem Pentecostes 7. Junii, & eam tamen Patres, non nisi die Junii 22. auspicati sunt. Joannem Antiochenum per quindecim & amplius dies patienter expectaverunt, licet interim e præsulibus multi ægrotarent, nonnulli discessissent, & imperator in litteris episcopos monuisset, ut ad præfinitam diem adessent, nullam alioqui tardioris adventus excusationem habituri, *Ephes. synod. pag.* 453. 549. *&* 567. &c. Ergo.

O B J E C T I O N E S.

Objicies I. Nestorii causam synodi œcumenicæ judicio finiri oportuit. At tunc temporis œcumenica non erat Ephesina: aberant legati summi pontificis: Joannes Antiochenus cum suis: denique Nestorius patriarcha Constantinopolitanus. At sine his œcumenica esse non potuit. Ergo.

Distinguo majorem: synodi œcumenicæ, qualis futura erat ad diem Pentecostes; concedo: qualis esse poterat; nego. Synodus sane generalis ad id indicta fuerat; sed simul dicta fuerat dies. Qui ergo tunc aderant, cum præsertim & numero & auctoritate sufficienti essent, Nestorii causam decidere potuerunt: quanto magis postquam dies insuper quindecim expectassent cæteros. Quæ autem contra objiciunt, ea non impediebant, quominus sufficiens tum synodus foret. Nam I. constabat de sententia summi pontificis, qui Nestorium jam proscripserat, suas præterea vices & totius Occidentis Cyrillo Cælestinus mandaverat.

Qui

Qui autem adjecti sunt tres legati, non necessario, sed majoris cautionis gratia, ne Cyrillus suspectus foret, a sede Romana missi sunt. Ipsi vero post adventum suum statim *actione tertia* latam a concilio sententiam probaverunt. 2. Joannes Antiochenus in antecessum consenserat synodo, & in Nestorii gratiam consulto moras nectebat, *pag.* 559. 562. 629. 1028. 1044. Praeterea autem vix episcopos triginta secum habebat, quorum numerus & auctoritas aliis omnibus praeponderare sane in synodo non debuisset. 3. Quod pertinet ad Nestorium, is reus erat, & ter vocatus se sistere noluit.

INSTABIS 1. Joannes Antiochenus expectari debuit. 1. Enim erat Ecclesiae Orientalis caput. 2. Ob itinerum difficultatem morabatur, *pag.* 444. 3. Affuturum se denunciarat intra quatuor aut quinque dies *ibidem;* & revera Ephesum advenit ante legatos summi pontificis. 4. Biduo ante inchoatum concilium Cyrillus ei scripserat se eum expectaturum, *ibidem*, *pag.* 642. Ergo.

NEGO antecedens. 1. Dies praestituta fuerat, ad quam qui non adessent, quantalibet dignitate fulgerent, eos expectari non oportuit. 2. Longius ei spatium concessum fuerat, quam necesse esset ad exhauriendam itinerum difficultatem. Ab Antiochia enim Ephesum usque, iter est triginta circiter dierum. At a paschate, quod erat profectioni fixum tempus, ad primam synodi actionem intercesserunt dies sexaginta quinque, *pag.* 444. 3. Joannes licet absens consensum suum praebuerat agendis a synodo. Quosdam enim e suis episcopis miserat ad Cyrillum, qui ei dicerent, ut si tardior foret, interim agerent Patres quaecunque sibi viderentur, *pag.* 549. 562. 659. 1028. 1044. 4. Cyrillus quidem se eum expectaturum promiserat, sed eodem quo Romani pontificis legatos modo; hoc est, ita ut ante eorum adventum, synodum non absolveret: quod & praestitit. Invitavit honorifice Joannem ut interesset, & eam calculo suo comprobaret. Legati quidem Romani comprobarunt; at renuit Joannes. Unde patuit eum in peccato excusationes quaesiisse, & unam tot morarum causam esse Nestorii studium. Quod cum animadvertissent Patres, affectum negotium peregerunt.

INSTABIS 2. Nestorius debebat ter, & distinctis quidem diebus citari. Sic enim leges imperatorum edicunt: atque id in Eutychetis negotio diligenter & accurate fuit observatum; *tom.* 4. *conc.* 151. 191. 198. 211. Atqui ut ex historia constat, illud idem adversus Nestorium neglectum est. Ergo.

NEGO majorem. Canones enim id quidem praescribebant, ut ter ad judicium vocaretur reus, sed interstitia non definierant, & nullo hactenus exemplo id fuerat usurpatum: Certe monitiones suas canonicas vocant Patres Ephesini *pag.* 457. 626. Imo & in concilio Chalcedonensi ter eadem die appellatus Dioscorus damnationis sententiam pariter tulit, *tom.* 4. *p.* 384. 396. 397. 416. 417. Licet autem quidam episcopus monuisset ut diversis diebus fierent, has citationes suas pariter juxta

regulas esse affirmant, *ibid.* 421. 425. 463. Neque vero id synodo unquam objecit, nec in conciliabuli sui favorem obtendit Joannes Antiochenus, *pag.* 698. *ad* 747. Adde quod jampridem monitus fuisset Nestorius; quin etiam Cælestinus summus pontifex ei olim scribens jam ante declaraverat suam hanc epistolam tertiæ admonitionis loco futuram esse, *tom.* 3. *conc. pag.* 357. Quapropter cum non resipisceret, statim damnari potuit, cum præsertim leges civiles Ecclesia nondum ascivisset.

Objicies 2. Cyrillus in eo concilio judex esse non potuit, nedum præesset. 1. Enim vir erat, imperatore teste, turbarum amans & solers architectus, *pag.* 433. 2. Graves cum Nestorio inimicitias susceperat, *ibid.* 3. Ipse Apollinaristarum hæreseos incusabatur a Nestorio: vide *epistolas ad Cyrillum*: 4. Jam in inferiori tribunali sententiam tulerat de Nestorio, cujus causa erat retractanda. Atque adeo ipsum ininter judices sedere non oportuit. Sic enim actum est cum Flaviano, qui Eutychetem damnaverat, & quidem imperatoris jussu, *tom.* 4. *conc. pag.* 106. 5. Ita iniquitatis suæ sibi conscius fuit Cyrillus, ut cum a Joanne Antiocheno exauctoratus esset, se ea censura solvi palam ac publice postularit, *tom.* 3. *conc. pag.* 696. & 698.

Respondeo ad 1. imperatorem Nestorio episcopo suo, & aulicis, quos Nestorius sibi obnoxios habebat, male credulum, temere incusasse Cyrillum ob turbas, quarum unus auctor erat Nestorius. Calumniam autem postmodum agnovit Theodosius. * 2. Cyrillum amicum semper fuisse Nestorii, antequam hic errorem patefaceret, *tom.* 3. *conc.* 313. 316. proinde nonnisi fidei causa bellum cum eo gessisse: quod non obstat quominus in eadem fidei causa judex esse potuerit. 3. Cyrillum Apollinarismi suspectum Nestorio visum non esse, priusquam Cyrillus ejus impietatem oppugnasset. Is autem mos hæreticorum est, ut errantes ipsi aliis per calumniam errores imponant: quod nunquam impediit quominus de hæreticis judicarent. 4. Judices tribunalium inferiorum omni ex parte a superioribus distinctorum, non posse eamdem causam, de qua sententiam tulerunt, retractare: posse autem, quando judices tribunalium inferiorum iidem in superioribus sedendi jus habent, & eorum partem constituunt. Sic in republica magistratus singularum provinciarum, qui de re aliqua inter suos judicarunt, iidem, si res isthæc ad commune totius gentis judicium referatur, possunt in ejusdem totius nationis conventu iterum dicere sententiam una cum aliis. Ita Alexander Alexandrinus præsul, qui Arium primus damnaverat, idem postea concilio Nicæno affuit inter judices. Et vero si ita res esset, nulla unquam habita fuisset legitima synodus œcumenica. Neque vero officit exemplum Flaviani Constantinopolitani. Cum eo enim inique actum est, & insanus ille foret, qui ista latrocinii Ephesini gesta in agendorum normam proponeret 5. Cyrillum quidem & Memnonem satis agnovisse sententiam a Joanne Antiocheno latam, esse nullam & irritam, ut pote ab eo latam qui nulla in eos auctoritate.

tate polleret: sed tamen, ne aliqua suspicio apud plebem resideret, voluisse prudenter ut ea a synodo generali rescinderetur.

INSTABIS 1. Iidem judices esse non possunt testes, & accusatores. Atqui Cyrillus, Theodotus Ancyranus, & Acacius Melitinensis in concilio Ephesino testimonium simul & sententiam dixerunt adversus Nestorium. Ergo.

RESPONDEO Nestorium proprie accusatum fuisse a monachis Constantinopolitanis, qui synodum postularunt, *pag.* 425. Cyrillum autem nec testem nec accusatorem extitisse. Equidem alii duo aliquid contra Nestorium protulerunt; sed inter sententiam ferendam, & ad eam confirmandam, quod judicibus licet in re jam manifesta.

INSTABIS 2. Imperator mandaverat, ut quisque metropolitanus duos sibi tantum e sua provincia adjungeret episcopos, teste Joanne Antiocheno *pag.* 706. At Cyrillus quinquaginta & Memnon quadraginta secum habebant e suis, ut cæteros numero vincerent. Ergo.

DISTINGUO majorem: mandaverat Joanni; esto: aliis; nego. Esto itaque fides habeatur Joanni id testanti, sed ita ut ad illum duntaxat imperatoris mandatum pertinuisse censeatur. Habemus enim etiamnum imperatoris epistolam ad Cyrillum, *pag.* 436. ubi ejus permittit arbitrio, quoscumque vellet e suis episcopis adducere.

OBJICIES 3. Isidorus Pelusiota & Gennadius Constantinopolitanus, (apud Facundum *lib.* 2.) invecti sunt in Cyrillum, quasi odio impulsus Nestorium eodem oppressisset modo, quo olim Chrysostomum oppresserat Theophilus ejus avunculus. Ergo.

RESPONDEO Isidorum a fautoribus Nestorii ac Cyrilli inimicis circumventum id primo credidisse; sed postea eum tam præcipitis judicii ac temerariæ credulitatis pœnituisse. De quo Baronius *ad annum* 431. *num.* 84. Petavius *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 8. *lib.* 6. *cap.* 11. Idem de Gennadio puta.

OBJICIES 4. Omnium episcoporum, ut pote a sese invicem diffidentium, testimonia hac in parte nulla habenda sunt; longeque tutius est laicis, qui affuerunt, fidem addere. Atqui Candidianus comes ab imperatore missus Ephesum, obtestatus erat Cyrillum ne tam præcipitem in Nestorium sententiam ferret, *pag.* 590. De eo pariter conquestus est Irenæus alter comes *pag.* 718. imo Joannes sacrorum comes post querelas episcoporum hinc & inde diffidentium auditas, legatus ab imperatore ut pacem restitueret, post diligentem inquisitionem, Nestorium quidem ut reum habuit, sed simul Cyrillum & Memnonem ut canonum violatorum reos in custodiam dedit, *pag.* 723. Ergo.

RESPONDEO nullam esse fidem habendam istorum comitum relationibus. 1. Enim Candidianus palam ac publice favebat Nestorio, *pag.* 560. 2. Irenæus summus ejusdem Nestorii amicus erat, & in ejus solius gratiam Ephesum profectus est teste ipso imperatore *pag.* 441. & 444. 3. Joannes comes Orientalium perfidia deceptus, & catholicorum

offensus constantia, qui ut Nestorii, ita Cyrilli ac Memnonis depositionem probare renuebant, rem aliter, quam erat, retulit, *pag.* 759. Et vero imperator veritatem demum agnovit, & Nestorium, cui antea patrocinabatur, patefacto errore, in exilium egit.

ARTICULUS IV.

An Joannes Antiochenus hæresi Nestorii, an ejus duntaxat personæ faverit.

ASSERTIO.

JOANNES Antiochenus hæresi Nestorii nunquam adhæsit.

PROBATUR. Tria enim temporis intervalla in eo negotio distingui possunt; scilicet ante concilium Ephesinum, in concilio, & post concilium. At nullum ex his assignari potest, quo hæresi adhæserit.

Ac 1. quidem non ante concilium; Cælestinus enim, cum Nestorium damnasset, scripsit ad Joannem Antiochenum, *pag.* 370. Joannes autem acceptis his litteris, ad Nestorium scripsit, *pag.* 388. eumque quibuscunque poterat momentis impulit, ut errorem deponeret. Et vero Acacius Berœensis *epist. ad Cyrillum*, *pag.* 381. testatur Joannem nihil aliud in hoc capite sentire, quam quod Ecclesia ipsa sentit.

2. Non tempore concilii. Quamvis enim conventiculo schismaticorum habito, Nestorium tunc damnare noluerit, non est tamen ejus blasphema prædicatione deceptus, ut post Ecclesiæ pacem loquitur Sixtus summus pontifex *epist. ad Cyrillum*, *pag.* 1175. Nam, quantum exitus docuit, suspendit sententiam suam, non negavit. Cyrillus ipse *ad Acacium Melitinensem*, *pag.* 1112. pariter significat Joannem in errore non fuisse versatum, licet propter suam cum Nestorio necessitudinem in ejusdem impietatis suspicionem venerit. At id luculentius patet ex ipso conciliabulo. Si enim legantur acta, si evolvantur relationes ad imperatorem, aut epistolæ expendantur, errorem Nestorianum nusquam offendes: imo nequidem negant Nestorium esse reum, quamvis Cyrillum de vi in ipsum & de Apollinaristarum dogmate reprehendant.

3. Non post synodum. Joannes enim epistola ad Sixtum summum pontificem *pag.* 1088. testatur ipse se depositioni Nestorii assentiri noluisse, ea tantum de causa, quod præpropera festinatione peracta esset, sed in ea tandem lubenter se acquiescere, " Eo quod Ecclesia nostra, inquit, perinde ac vestra sanctitas, rectam semper inculpatamque fidem tenuit ac servaverit. " Pace autem restituta, communionem deinceps cum Cyrillo & Maximiano Nestorii successore perpetuam fovit.

Ob-

OBJICIES. Patres Ephesini *in epistola ad Cælestinum & in epistola ad clerum Constantinop. pag. 767. ad Theopemptum & alios, pag. 772. &* 1044. *in relatione ad imperatorem*, & alibi passim, Joannem hæreseos Nestorianæ insimulant. Ergo.

DISTINGUO antecedens: conjectura ducta ex obstinata hæretici defensione; concedo: certis argumentis; nego. Dubitant enim an Nestorianus error, an solus in Nestorium amor, an alia causa Joannem moverent, ut synodo resisteret, quemadmodum liquet ex *conc. pag. 667.* 745. & 747. At triplex causa subesse potuit: 1. summa cum Nestorio amicitia: 2. Nimia, ut ipsi videbatur, in eo damnando synodi celeritas: 3. Cyrilli anathematismorum obscuritas, & quædam, ut putabatur, cum Apollinaristarum dogmate convenientia.

INSTABIS. 1. At in eo Joannis hæresis sita erat quod anathematismos S. Cyrilli plane catholicos rejiceret. Ergo.

NEGO antecedens. Non enim ea hæresis fuit, sed merus in facto error seu prava intelligentia, quod anathematismos eo tantum sensu rejecerit, quo ad Apollinaristarum insaniam accedere videbantur, quem tamen sensum anathematismi non habebant.

INSTABIS 2. At hæreticus est, qui synodo œcumenicæ refragatur. Atqui Joannes obluctabatur synodo Ephesinæ, quæ tertia œcumenica est. Ergo.

DISTINGUO majorem: qui refragatur synodo œcumenicæ approbatæ, in iis quæ ad fidem pertinent; concedo: secus; nego. Porro Joannes non habebat Ephesinam synodum pro œcumenica, cum nec Oriens nec Thracia ei consensissent, nec dum ab universa Ecclesia comprobata esset.

INSTABIS 3. Joannes Antiochenus auctor fuit Theodoreto, ut anathematismos Cyrilli, scripto refelleret, quemadmodum asserit ipsemet Theodoretus & Liberatus *cap.9.* Atqui ea Theodoreti adversus Cyrillum scripta postmodum a concilio V. in causa trium capitulorum judicata sunt ut hæresi infecta. Ergo Joannes autor hæreseos fuit.

DISTINGUO majorem: auctor fuit ut scriberet, sed scripta non probavit; concedo: probavit; nego. Potuit enim longius progredi Theodoretus quam Joannes vellet.

Adde quod non pauci excusent Theodoretum. Sed de eo & reliquis, quæ ad concilium V, & famosam de tribus capitulis causam spectant, agere jam non vacat. Consulantur historiæ ecclesiasticæ monimenta, & qui super ea disputationes habent ex professo.

QUÆSTIO SEXTA.

De duplici Christi natura.

TRia erunt hujus controversiæ capita : in primo agemus de duabus Christi naturis: in secundo speciatim de natura ipsius divina : in tertio de natura ejus humana.

ARTICULUS I.

De ambabus Christi naturis generatim.

PErspicuitatis causa istum articulum in tres partes distribuere juvat, quarum prima hæresim Eutychianam exponemus ; secunda dogma catholicum stabiliemus; tertia tandem de Sancti Cyrilli, quem patronum jactabat Eutyches, mente disputabimus.

SECTIO I.

De hæresi Eutychiana.

DUarum in Christo naturarum discrimen sustulit Eutyches Constantinopolitanus archimandrita, & dum vehementiori suo contra Nestorium studio indulget, in contrariam plane hæresim incidit. Ob hunc vero errorem ab Eusebio Dorylecensi episcopo apud Flavianum Constantinopolitanum antistitem anno 448. delatus, & post multas tergiversationes, se sistere, fideique suæ rationem reddere coactus, sacerdotio, monasteriique administratione dejectus est a synodo, quæ tunc forte habebatur, licet ei Chrysaphius eunuchus, quem e sacro fonte susceperat Eutyches, quique per id temporis gratia non parum valebat apud imperatorem, ipsaque Augusta Eudoxia impense faverent. Acta autem synodi a Flaviano relata sunt ad S. Leonem Romanum pontificem, qui ea rata habuit.

Verum Eutyches, cum eadem acta falsi apud imperatorem accusasset, facile ab eo impetravit, ut novum super ea re Constantinopoli institueretur judicium. At quamvis dati judices ea esse incorruptæ fidei declarassent, imperator uxoris suæ ac Chrysaphii impulsu generale concilium haberi voluit Ephesi VI. idus Augusti anni 449. cui præfuerunt Dioscorus Alexandrinus præsul, Cyrilli successor, Eutychis amicus, & Julianus episcopus, Hilariusque diaconus, Leonis Romani pontificis vices agentes. Interfuerunt autem episcopi circiter 390. quos inter primas post hos tenebant Dominus Antiochenus, & Juvenalis Hierosa-

Rei non judicis locum habuit Flavianus Constantino- conventu exclusus est Theodoretus Cyrensis, nomine oris, sed revera Eutychianorum illius doctrinæ ac fa- formidantium artibus. Eo contra vocatus est Barsumas adrita, sicarii quam monachi nomine dignior. Uno ver- contra fas & per vim acta sunt. Unde & conciliabulum illud ium Ephesinum solet appellari. Epistolam Leonis ad Patres ne quidem passus est Dioscorus. Flavianum quidem in synodum admm, sed ita ut rei non judicis locum haberet. Eusebius vero Dorylеensis submotus e conventu est. Ambo exauctorati. Ad hæc autem Flavianus a Dioscoro, & Barsuma pugnis & calcibus ita male mulctatus est, ut triduo post mortem oppetierit. Denique Eutyches in concilium introductus in integrum restitutus est. Quæ cum rescisset Romanus pontifex Leo, omnia illius synodi acta rescidit, ac Dioscorum damnavit. Par autem ut pari referret Dioscorus, eo audaciæ progressus est, ut ipse quoque vicissim summum pontificem excommunicaret.

Hæc omnia fiebant connivente Theodosio imperatore a suis deluso, absente vero Pulcheria ejus sorore. Verum agnito tandem errore imperator Chrysaphium malorum omnium architectum relegavit, ipsamque conjugem suam objurgationibus crebris Hierosolymam abire coegit; Pulcheriam vero, quam e conspectu suo, & reipublicæ gubernaculis amoverat, reduci jussit, quæ quidem mortuo non ita multo post fratre, Martiano ejus successori parisque secum in catholicam fidem studii nupsit.

Martianus religiosissimus princeps statim post adeptum imperium in id unum incubuit, ut quæ nimia Theodosii facilitate acciderant, corrigeret. Quapropter edictum tulit in Eutychen: Flaviani ossa honorificentissime Constantinopolim revehi curavit. Synodum denique œcumenicam Chalcedone celebrari voluit anno 451. cui præsules 520. aut 630. affuisse existimantur. In ea Ephesina latrocinantium synodus abrogata est: Eutyches ob hæresim damnatus: Dioscorus vero dignitate omni spoliatus fuit.

Hujus tamen concilii tantique principis auctoritate compressi non sunt Eutychiani: imo vero innumeris exinde cædibus ac turbis Orientalem Ecclesiam miscuerunt, in varias inter se sectas divisi, quas inter celebratissimæ sunt duæ, *Theopaschitarum* scilicet, & *Acephalorum*. Theopaschitis initium dedit Petrus Gnaphæus Antiochenus episcopus, cum anathema concilio Chalcedonensi dixisset, & trisagio clausulam illam adjunxisset, *qui passus es pro nobis*, *miserere nobis*. Cum autem Petrus Moggus sedem Alexandrinam invasisset, & Chalcedonensi synodo anathema dicere cunctaretur, ab eo scissi sunt Eutychiani, qui in iis partibus degebant, & ea de causa dicti sunt *Acephali*, quasi *sine capite*. Hi porro Acephali in duo postmodum divortia abierunt. Alii enim Severo Monacho duce *Corrupti-*

rupticolæ ſunt appellati, quod carnem Chriſti corruptelæ ſuiſſe obnoxiam ſtatuerent. Alii autem *Incorrupticolæ* duce Juliano Halicarnenſi epiſcopo, quod eam incorruptibilem fuiſſe profiterentur. Quæ quidem ut intelligantur, obſervandum eſt hanc fuiſſe Eutychiani erroris ſummam, quod nimirum in Chriſto unica natura ſit. Id autem explicuiſſe ſic Eutychem, ut duas quidem ante adunationem fuiſſe naturas in Chriſto diceret, unam vero duntaxat poſt adunationem ſupereſſe: ex quo etiam conſequens eſſe aiebat, ut Chriſtus nobis conſubſtantialis ſecundum carnem eſſe non exiſtimaretur.

Qua vero ratione iſta interpretari oporteat, non ſatis compertum eſt. Nunquam enim adduci potuit Eutyches ut ſententiam ſuam dilucide exponeret. Cum ergo ſtatuebat 1. ante adunationem duas fuiſſe in Chriſto naturas, ambiguum eſt an vellet humanitatem aut animam ſaltem Chriſti, tempore aut natura prius extitiſſe, quam cum Verbo conjungerentur. Cum autem addebat 2. unam ſupereſſe naturam poſt adunationem, non omnino liquet quo ſenſu id uſurparet; an nempe admitteret unam quamdam naturam ex duabus conflatam, an ſentiret unam ex his in alteram fuiſſe mutatam: tum ſi ita eſt, utram converſam eſſe contenderet, an humanam in divinam, an divinam contra in humanam. Denique quid de carne Chriſti arbitraretur non conſtat.

Quod igitur pertinet ad primum caput; Leo *epiſtola* 11. *ad Julianum epiſcopum Oenſem*, opinatur Eutychem exiſtimaſſe animam a Chriſto aſſumptam in cœlo prius extitiſſe, quam idem de B. Maria Virgine naſceretur.

Quod ſpectat ad ſecundum, ex Theodoreti dialogo 2. colligitur hanc fuiſſe vulgarem Eutychianorum mentem, quod nimirum humana natura a divina abſorpta eſſet: hinc divinitatem eſſe paſſam pronunciabant: hinc illi *Theopaſchitæ* nominati ſunt: hinc denique cum in Eccleſia decantari ſoleret hic hymnus, *Sanctus Deus*, *ſanctus fortis*, *ſanctus immortalis*, iſti triſagio clauſulam a nobis memoratam addiderunt, *qui paſſus es pro nobis*, ut ſignificarent pro nobis eſſe paſſam totam SS. Trinitatem. Attamen Acephali videntur paſſim eſſe opinati ex duabus unam quamdam coaluiſſe. Hinc apud eos diſſidia illa mox memorata de carne Chriſti corruptioni obnoxia vel non.

Verum undenam hæc caro originem duceret juxta Eutychem, non eſt omnino indubitatum. Plerique enim veteres ſic errorem ejus narrant, quaſi voluiſſet ille carnem Chriſti e cœlo delapſam per Virginem duntaxat tranſiiſſe, eaque de cauſa nollet eam eſſe noſtræ conſubſtantialem, quæ inſania fuit Valentinianorum inter ipſa Chriſtiani nominis exordia. Sed hanc impietatem longe a ſe amolitur Eutyches in profeſſione fidei quam edidit, quæque refertur *actione* 1. *Concilii Chalcedonenſis*.

Sed de his Petavium vide *lib.* 1. *de Incarn. cap.* 13. 14. 15. 16. ubi diligenter hac de re differit ac copioſe.

SE-

SECTIO II.

An duæ reipsa naturæ in Christo admittendæ sint.

ASSERTIO.

Duæ sunt in Christo naturæ.

ARGUMENTA.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ plura in eam rem nobis momenta sufficiunt.

1. Petitur ex iis locis, quæ adversus Nestorium *supra* attulimus. Si enim Christus duplicem formam idem habeat; si vere est homo, vereque Deus; si quæ propria sunt Dei & quæ hominum, ipsi tribuantur; si B. Maria, quæ humanam naturam Christo dedit, eadem Dei mater sit, profecto oportet duas esse in Christo naturas, ut liquet.

2. Ex iis locis ubi opposita plane Christo ascribuntur, v. g. quod sit Patri æqualis, & cum eo quid unum; & tamen sit eo minor *Philip.* 2. 6. *Joan.* 10. 30. & *Joan.* 14. 28. Quod duas habeat voluntates, *Matth.* 26. 39. *Lucæ* 22. 42. Quod a nobis abscesserit, & nobiscum tamen æternum maneat, *Joan.* 26. *Matth.* 28. 20. Quod descendisset e cœlo, & in terra versaretur, & tamen simul esset in cœlo; *Joan.* 3. 13. Quod certo tempore natus sit, & egressus tamen ejus sit a diebus æternitatis; *Mich.* 5. 2. & alia id genus sexcenta, quæ sane tam diversa, tam contraria in unum Christum non competerent, nisi ex duabus ille naturis coalesceret.

PROBATUR 2. ex symbolis, apostolico scilicet ac Nicæno. In iis enim Christus postquam Dominus noster, ac Filius Dei unicus, Deusque verus esse prædicatus est, dicitur postmodum incarnatus, conceptus, passus, mortuus &c. quod duplicem naturam evidenter & necessario arguit.

PROBATUR 3. auctoritate conciliorum contra hæresim Eutychis habitorum, Constantinopolitani nempe ac Chalcedonensis, quorum fidem, ut a Christo & apostolis ad se transmissam, omnis deinceps Ecclesia suscepit ac venerata est. Adde quæ *supra* in Nestorium allegavimus.

PROBATUR 4. ex sanctis Patribus, quorum plures *actione* 2. *concilii Chalcedonensis* prolati sunt. S. Ignatius martyr *epist. ad Ephesios*, " Verbum caro factum est, inquit, incorporalis in corpore; impassibilis in corpore passibili; immortalis in corpore mortali. " Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.* " Cum sint utraque, inquit, (divina & humana) suis gesta naturis, unum tamen Jesum Christum memento esse, qui & utrumque est. " Augustinus *lib.* 2. *contra Maximinum cap.* 10. " Christus una persona est, inquit, gemina substantia; quia Deus & homo est. " Leo Ma-

Magnus *epist. ad Flavianum*, quam universa synodus ut vere apostolicam suspexit & amplexa est, idem luculentissime non professus est modo, sed etiam probavit valide. Innumerabiles alii adjungi possent, quos apud Petavium vide.

PROBATUR 5. duplici ratione.

Prima est, Quod duplex natura omnino necessaria fuerit ad humani generis redemptionem, & satisfactionem exhibendam: humana enim natura pati quidem poterat ad satisfaciendum; sed infiniti valoris illa non erat: divina infinitæ erat dignitatis; sed pati non poterat. Deus ergo factus est homo, ut idem simul esset mortalis conditione, & infinitus dignitate.

Secunda est, Quod, cum Eutychiani confiterentur naturam divinam & humanam in Christum per se unum coaluisse, non potuerit post conjunctionem ex duabus illis naturis una superesse, nisi aut per conversionem, aut per confusionem, aut per veram compositionem. At 1. certe non per conversionem: hinc enim natura divina in humanam verti non potest, utpote omnino immutabilis: illinc autem natura humana in divinam non est conversa. Præterquam quod enim id repugnat, hæc conversio corpus solidum ac mortale a Christo tolleret: ex quo consequens foret eum non esse pro nobis mortuum. 2. Non per confusionem. Fieri enim non potest ut divina natura cum alia ita misceatur, ut amplius non sit quod antea erat. 3. Denique non per compositionem. Duplex enim est duntaxat compositio proprie dicta: altera continui ex variis quantitatis partibus; altera corporis naturalis ex materia & forma. At neutra in Christi personam cadit. Non prima, ut perspicuum est: non secunda; neque enim ambæ naturæ divina & humana ut materia & forma in Christum coalescunt.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Joannis 1. 14. *Verbum caro factum est*. Atqui hæc loquendi ratio conversionem unius rei in alteram sonat, ut cum *ibidem cap.* 2. 9. dicitur in nuptiis Cana aquam vinum factam. Ergo Verbum in carnem est mutatum.

DISTINGUO majorem: Verbum caro factum est, id est homo, per hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo conjunctionem; concedo: per mutationem; nego. Multiplici igitur modo unum potest fieri aliud, nempe per novæ rei accessionem, ut cum *Genesis* initio dicitur Adam primo e limo effictus, postea factus esse in animam viventem: vel per conversionem, ut cum in nuptiis aqua dicitur vinum facta. Porro cum Verbum dicitur esse factum caro seu homo, id intelligitur de accessione naturæ humanæ, quam assumpsit: statim enim subjungitur, *& habitavit in nobis*. At in nobis non habitaret, nisi adhuc maneret & superstes foret. Hoc autem non potest accipi de conversione: idque mul-

multis de causis. 1. Enim istud naturæ divinæ repugnat, ut in aliam mutetur. 2. Ipsimet Eutychiani non id vulgo contendebant. Nedum enim vellent Verbum esse in carnem conversum, passim contra ajebant naturam humanam fuisse a Deo, utpote valentiore, absorptam. Rem illam exemplo satis apposito illustrat S. Augustinus *ferm. 23. de tempore.* " Sicut Verbum, inquit, quod intra nos concipitur, cum sit vox, „ & exterius profertur, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem; ita Verbum divinum in se manens caro factum est.

INSTABIS. *Philipp.* 2. 7. Verbum dicitur sese exinanivisse formam servi accipiens. Atqui se non exinanivisset, si id semper mansisset. Ergo.

NEGO minorem. In eo enim semetipsum exinanivit quod, cum sit immensæ majestatis, copulare sibi dignatus sit naturam nostram, quæ vilis admodum est, & infinito ab eo distat intervallo.

OBJICIES 2. Plurimi e sanctis Patribus Incarnationem *permixtionis* nomine appellant. Irenæus *lib.* 2. *cap.* 21. Tertullianus *apologet. cap.* 21. Cyprianus *de idolorum vanitate*; denique Augustinus omnium accuratissimus loquendi magister *epist. ad Volusianum* &c. Ergo confusio naturarum est admittenda.

DISTINGUO antecedens: *permixtionis* nomine appellant improprie, ad denotandam duarum in unius personæ communionem naturarum intimam conjunctionem; concedo: proprie, ad indicandum earum inter se confusionem; nego. Exemplum ab Augustino sumatur: sic enim illico adjicit. " Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. „ In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis: in hac persona est mixtura Dei, & hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quamquam & in ipsis corporibus aeri „ lux incorrupta misceatur. " Attamen cum *commixtionis* vocabulum haud adeo proprium sit & accuratum, atque adeo illud studiose usurparent Eutychiani, hanc ipsam vocem ab Incarnationis negocio removendam censent Ambrosius, & Theodoretus eum laudans *dial.* 2. *contra Eutychianos* &c.

INSTABIS. S. Gregorius Nyssenus *lib.* 4. *contra Eunomium* asserit humanam naturam a Christo assumptam sic in divinam mixtione transiisse, " Quemadmodum si quis dicat aceti guttam pelago immixtam, esse hac mixtione mare factam; quod non amplius naturalis qualitas „ in prævalentis immensitate maneat. " Et *in libro contra Apollinarem*, „ Quidquid, inquit, illa (humana natura) est imbecillum & morti obnoxium, divinitati commixtum, illud ipsum, quod est divinitas, est „ factum. " Ergo.

RESPONDEO Gregorium loqui non de naturæ ipsa substantia; imo nec

nec de proprietatibus, quæ naturam ipsam per se ac necessario consequuntur. Has enim & illam in Christo perstitisse tum alibi frequenter docet, tum in hoc ipso *contra Apollinarem* libro, & quidem disertissime, " Nos, inquit, *tom.* 2. *pag.* 696. salvam esse naturam humanam „ Verbo unitam ex mysterio ipso didicimus & credimus. " Quocirca loquitur tantum de iis affectionibus, quæ sunt peccati consectaria, & quæ aliunde ad nostrorum peccatorum expiationem non erant necessariæ, qualis est concupiscentia, ægritudo cæteraque animi aut corporis vitia: ea enim, cum Christo non inessent, asserit Gregorius humanas in se proprietates extinxisse, & in divinas transformasse. De quo Petavius suse *lib.* 1. *cap.* 15. & *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 6.

Objicies 3. Nihil frequentius occurrit apud veteres, quam animæ & corporis in unum hominem coalescentium exemplum ad illustrandam Verbi divini Incarnationem. Atqui ex corpore & anima una conflatur natura totalis ac composita. Ergo pariter ex Verbo & natura humana.

Distinguo majorem: nihil frequentius ad illustrandam Incarnationem, quatenus in ea unus est Christus & una persona ex duabus coalescens; concedo: quasi una ex duabus natura efflorescat; nego. Hæc ergo comparatio tendit, ut ex Deo & homine unus Christus esse cogitetur, quemadmodum ex corpore & anima unus homo conflatur: ita enim loquitur Augustinus *supra*; ita symbolum vulgo dictum Athanasianum: non vero eo exemplum pertinet ut natura una esse existimetur. Natura enim una non exsurgit nisi ex partibus incompletis & natura sua ad sese invicem tendentibus. At tales profecto non sunt natura divina & humana.

SECTIO III.

De S. Cyrilli in eo negotio mente.

Eutyches ejusque discipuli quondam nihil in ore frequentius habuerunt, quam S. Cyrilli auctoritatem, quo velut magistro ac patrono ubique ac perpetuo gloriabantur.

Eumdem errorem Cyrillo imponunt, qui a nobis *supra* memorati sunt e Calviniana secta scriptores, imprimis autem David de Rodone, qui non alia de causa videtur suum *de supposito* librum scripsisse, quam ut Cyrillum & universam Ecclesiam tempore Cyrilli infamia istius hæresis cooperiret.

ASSERTIO.

Cyrillus ab eo errore immunis semper fuit.

A R-

A R G U M E N T A.

PROBATUR 1. variis ipsius sententiis. Catholicus enim omni ex parte Cyrillus est, si duas in Christo post adunationem naturas admiserit integras, inconfusas, immutatas. Atqui ita sentit Cyrillus. *Libro* enim 1. *in Nestorium*, *pag.* 9. ait Christum " Eumdem existere & ex Patre Verbum, & ex muliere hominem nostri similem, ita ut cum eo tamen
„ Deus maneat .. " *Libro* 2. in Christo " Aliam esse carnis rationem,
„ aliam divinitatis. Non enim in carnem mutatam esse divinitatem. "
„ *Ibidem pag.* 31. " Illud quoque haud inutiliter addiderim, aliam esse
„ carnem a Deo Verbo (quod ad suæ naturæ rationem attinet) aliam-
„ que rursus essentialiter ipsam Verbi naturam : sed quamvis hæc dif-
„ ferre intelligantur, & naturali diversitate esse disjuncta, unus tamen
„ ex utroque Christus intelligitur, dum per veram unitatem deitas si-
„ mul & humanitas invicem conveniunt. " Hoc illustrat comparatione ducta ex carbone ignito quo Isaiæ labia sanctificata sunt. " Jesum
„ Christum, inquit, esse dicimus spiritualem illum carbonem .... Di-
„ citur autem carboni persimilis, propterea quod ex duabus ac dissimi-
„ libus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus,
„ ut in unitatem propemodum conjungantur " *Dialogo de Incarnatione*, in Christo " Conventionem quamdam esse factam inæqualium dis-
„ similiumque naturarum. " *In epistola ad Nestorium*, " Differentes
„ sunt, quæ in veram unitatem coactæ sunt naturæ; sed unus ex am-
„ babus Christus & filius existit : non quod naturarum differentia unio-
„ ne sublata sit; sed quod unum nobis Dominum Jesum Christum di-
„ vinitas & humanitas effecerint. " *Libro* 3. *contra Nestorium*, " Alte-
„ ra res est divinitas, inquit, altera naturæ similis humanitas, si eam,
„ quæ naturis inest, rationem consideres; verum conventione, quæ in
„ veram unionem fit, unus ex ambobus Christus existit.

PROBATUR 2. Cælestini summi pontificis judicio. Tres enim scripsit epistolas, in quibus integram Cyrilli fidem commendat. Prima est ad ipsum Cyrillum, ubi significat se eiusdem cum eo fidei esse; fidem catholicam ab eo esse firmatam, & per eum triumphasse. Secunda ad Nestorium, in qua Alexandrinæ Ecclesiæ (cui præerat Cyrillus) fidem a se probari testatur. Tertia ad Joannem Antiochenum : in ea quippe S. Cyrillum *summum catholicæ Ecclesiæ & fidei defensorem* vocat.

PROBATUR 3. auctoritate concilii Ephesini generalis. *Actione* enim 1. Cyrilli ad Nestorium epistolam examini subjecit ac comprobavit : post actionem vero 2. *in relatione ad imperatorem*, & post actionem 5. *in relatione ad Cælestinum*, referunt Patres se conscriptas a Cyrillo de fide epistolas expendisse, ac suffragiis suis firmasse.

PROBATUR 4. ex concilio Chalcedonensis. *Actione* enim 1. 2. & 5. ejusdem sancti doctoris ad Nestorium epistolæ recensentur & laudantur.

PRO-

Probatur 5. consensione V. synodi œcumenicæ. Non enim alia de causa Theodoreti scripta proscribit & hæreseos insimulat, quam quod adversus orthodoxam S. Cyrilli doctrinam & anathematismos scripsisset. Consule *canones* 13. 14. &c.

Probatur 6. omnium exinde ætatum totiusque Ecclesiæ erga S. Cyrillum veneratione. Adversus Ecclesiam autem pugnare, insolentissimæ insaniæ est.

OBJECTIONES.

Objicies 1. S. Cyrillus *epist.* 1. *ad Successum tom.* 5. *part.* 2. *pag.* 137. *epist.* 2. *ad eumdem*, *pag.* 143. *epist. ad Acacium Melitinensem & Valerianum Iconiensem*, *lib.* 2. *contra Nestorium*, *& in commonitorio ad Eulogium*, unam prædicat Christi naturam. Atqui ea est Eutychiana hæresis. Ergo.

Distinguo majorem: unam Christi naturam incarnatam; concedo: unam simpliciter; nego. Fatemur itaque hanc esse celebratissimam apud S. Cyrillum sententiam: sed contendimus ea perimi Eutychianorum dogma, nedum illa roboretur. Passim enim sanctus doctor addit, *Incarnatam*. At quemadmodum observat Theodoretus *dialogo* 2. qui unam Christi naturam incarnatam agnoscit, eo ipso duplicem in Christo naturam confitetur. Alia enim est, quæ carnem assumit, alia vero natura est carnis assumptæ. Idem urget ad Cyrilli defensionem Eulogius Alexandrinus *apud Photium*, *cod.* 230. Maximus martyr in libello *de singularibus vocabulis in Incarnationis negotio usurpari solitis*, & Petrus diaconus *de Incarnatione*, *cap.* 2. Ante hos vero omnes id ipsum notaverat ipse Cyrillus. Cum enim argueretur, quasi hac loquendi ratione humanitatem Christi extingueret, huic criminationi respondens sanctus doctor *epist.* 2. *ad Successum* sic habet; „ Si cum unam, inquit, diximus naturam, tacuissemus „ nec statim adjunxissemus *incarnatam*, probabilitate forte non careret „ eorum sermo: .....sed quoniam humanitatis perfectio, & eadem no„ biscum substantia ea voce exprimitur, desinant confidere super bacu„ lum arundineum " &c. Et vero hæc locutio adeo Eutychianæ impietatis pura est, ut hanc ipsam post Eutychem sine ulla cunctatione usurparint, & adversus istam impietatem contorserint Patres. Ita Flavianus Constantinopolitanus patriarcha *in sua fidei professione*, quæ a Chalcedonensi synodo *parte* 1. lecta & approbata est. Ita Justinianus imperator *in sua* pariter *fidei professione*, quam synodus V. similiter admisit; ut sileam Eulogium, Ephremium, Maximum martyrem, & alios. Imo eam locutionem in fidei dogma suscepit synodus I. Lateranensis sub Martino I. pontifice his verbis: " Si quis unam naturam Dei Verbi in„ carnatam dicens, non sic voces has intelligit, sicut sancti Patres do„ cuerunt, quod ex divina natura & humana, unitione secundum sub„ stantiam facta unus Christus factus est, anathema sit. " Eadem etiam loquen-

loquendi ratione usos esse plures antiquiores, ac nominatim B. Athanasium, Cyrillus ipse asserit *epist.* 1. *ad Successum*, *lib. ad reginas*, & *ad* 8. *suum anathematismum*. Quod idem de Athanasio aliisque Cyrillo vetustioribus perhibent Basilius Seleuciensis in concilio Chalcedonensi contra Eutychem; Ephremius, Eulogius, Joannes Damascenus, & Theorianus, frustra repugnante Leontio. Itaque in suspicionem Eutychiani erroris venire non debet Cyrillus propter illud dictum, quod ante ipsum multi, & post eum plures usurparint & ipse ab omni vitio vindicaverit; præsertim cum eo inductus non sit, nisi ut Nestorio sese opponeret, & nexum naturarum in Christo, quem ille solvebat, arctius stringeret.

Quid autem nomine *naturæ Verbi incarnatæ* Cyrillus intellexerit, non ita liquet. Censent aliqui S. Cyrillum nomine *naturæ incarnatæ* intellexisse ipsam Verbi personam. Ita Ephremius, Eulogius & alii nonnulli.

Alii vero, Leontius nempe, Gelasius, Rusticus diaconus, Anastasius Sinaita & Theorianus naturam ipsam divinam Verbi designatam ea locutione arbitrantur: quod longe probabilius est. 1. Enim Cyrillus ubique naturam unam appellat, non *Christi*, sed *Verbi* & *Dei*. 2. In libro *de fide ad reginas* mentem suam aperiens appellat *naturam deitatis*; quod & ait Gelasius. 3. De naturis Christi inter Nestorium, Orientales, & Cyrillum disputabatur. Has esse divisas ac per se subsistentes contendebat Nestorius: hoc negabat Cyrillus; sed easdem interim post conjunctionem remansisse integras & superstites Orientalibus concedebat; ita tamen ut non tam *duæ naturæ* dicendæ essent, quam *una Verbi incarnata*; ut nempe Christi unitas magis ac magis firmaretur.

INSTABIS 1. Eutyches in synodo Constantinopolitana, cujus acta referuntur *actione* 1. *concilii Chalcedonensis*, hanc Cyrilli sententiam usurpans & sequens, nihilominus damnatus est. Ergo &c.

NEGO antecedens. Ex iisdem enim actis constat Eutychem, cum se Athanasii ac Cyrilli nomine & auctoritate jactaret, Basiliusque Seleuciensis eum hortaretur, ut quemadmodum illi, sic ipse quoque confiteretur *unam naturam incarnatam*, id impudenter detrectasse: adeo sentiebat hacce locutione errorem suum jugulari. Magnum ergo est Cyrillum inter & Eutychem ea in parte discrimen: Eutyches enim unam tantum naturam astruebat, non solum Dei Verbi, sed etiam Christi; & eam nolebat dici *incarnatam*; præterea vero duas post unitionem naturas superbe inficiabatur: contra vero Cyrillus unam quidem naturam profitebatur, sed Dei Verbi, & eam quidem incarnatam: aliunde vero duas in Christo perfectas, inconfusas, & immutatas, etiam post adunationem, naturas agnoscebat. *Epistola* enim *ad Joannem Antiochenum*, " Christum, qui perfectus in divinitate, & idem in humanitate " sit perfectus, in una intelligi esse persona. Unus enim est Dominus " Jesus Christus, tametsi non sit ignota naturarum differentia, ex qui" bus arcanam unitionem factam esse dicimus. " *In epistola* autem *ad*

Aca-

Acacium Melitinensem. " Christum esse consubstantialem Patri secundum „ divinitatem, & matri secundum humanitatem. " Denique certum est Orientales Syros & Joannem Antiochenum duas professos esse in Christo naturas, etiam post adunationem, & quidem ita ut in Nestorium inclinare putarentur. Atqui eorumdem fidei formulam, cum pax iniretur, Cyrillus admisit, & adversus obtrectatores ad vitæ usque finem tutatus est, ut ex horum temporum historia constat. Ergo longe aliter quam Eutyches sensit.

INSTABIS 2. Dioscorus Alexandrinus *actione* 1. *concilii Chalcedonensis* anathema dixit iis, qui confusionem, conversionem aut commixtionem in Christum inveherent, nec ab iis minus quam Cyrillus abhorruit. Atqui inter Eutychianos nihilominus recensetur, & in synodo Chalcedonensi depositus est. Ergo Cyrillus non ideo ab omni errore immunis est.

DISTINGUO minorem: inter Eutychianos recensetur, quod Eutychis patronus foret; concedo: quod Eutychiana hæresi laboraret; subdistinguo; unam in Christo naturam compositam admittendo; concedo: secus; nego. Depositus itaque Dioscorus fuit non ob hæresim præcise, ut quidem multi sentiunt, sed ob Eutychis hæretici defensionem, insolentissimam in Romanum pontificem temeritatem, aliaque scelera. Quod si ob hæresim depositus esse censeatur, profecto ejus error non in eo positus fuit, quod aut confusionem aut conversionem aut commixtionem naturarum in Christo admitteret; sed quod unam ex duabus conflatam naturam induceret: quæ opinio fuit Acephalorum, & etiam est omnium vulgo Jacobitarum, qui tamen Eutychiani reputantur. Eutychi enim anathema dicunt, Dioscorum autem ut sanctum venerantur: de quo vide Simonium & Renaudotium.

OBJICIES 2. Cyrillus *epistola* 2. *ad Successum* sic ait: " Duas quidem „ naturas unitas asserimus; post unionem vero, sublata in duas divisione, „ unam esse credimus Filii naturam tanquam unius, sed inhumanati, & in- „ carnati. „ Ita quoque *epist. ad eumdem* 1. & *epist. ad Acacium*. Ergo unam omnino in Christo naturam agnovit.

DISTINGUO antecedens: unam naturam principalem, alteri assumptæ conjunctam, nempe divinam; concedo: unam omnino aut simplicem aut ex duabus compositam; nego, Calvinianus quidem Scriptor contendit a Cyrillo admissam esse in Christo naturam unam ex divinitate, & humanitate efflorescentem, quomodo in homine est una natura ex anima, & corpore conflata. At Cyrillus de ista composita natura ne somniavit quidem. Quoties enim *unam naturam* dixit *incarnatam* aut *incarnati Verbi*; toties naturam ipsam divinam Verbi intellexit, quæ carnem assumpsit, seu potius ei conjuncta est. Id autem multis momentis confici potest. 1. Enim id arguunt verba ipsa mox memorata. Non enim natura composita incarnari potuit. 2. Hanc naturam, non *Christi*, sed *Verbi* & *Dei* constanter Cyrillus vocat: quod Leontius

tius quoque animadvertit. 3. *In libro de fide ad reginas* unus Christus diserte dicitur *assumptus in unam deitatis naturam* 4. *In dialogo de uno Christo*, " Unam, inquit, ipsius naturam esse dicimus, tametsi car-„ nem assumpserit intelligente anima præditam. " Quod sane de natura jam composita affirmari non potest. 5. Auctores *supra* allegati ita Cyrilli sententiam interpretantur, & naturam hanc incarnatam ab altera assumpta secernunt. 6. Paulinus Aquileiensis idem *in sacro syllabo* exponens *incarnatam divinitatem* nuncupat. Ergo.

INSTABIS 1. Illic Cyrillus eodem modo unam esse pronunciat unione peracta naturam, quo ante unionem duas concipiebat. Atqui cum duas animo informabat, ante adunationem Christi naturas, de naturis proprie dictis cogitabat. Ergo post unionem naturam proprie loquendo unicam agnoscebat.

DISTINGUO majorem: unam *naturæ* nomine insigniendam; concedo: unam simpliciter; nego. Licet humana natura Christi nunquam extiterit non conjuncta; attamen quia prius est esse, quam uniri, ea de causa ambas Christi naturas Cyrillus duplici in statu spectabat, ante unionem videlicet & post unionem. Ante unionem eas spectabat, ut quadantenus divisas: quia alia est natura divina per se subsistens; alia vero humana ad subsistendum apta, sed abstrahens a propria vel aliena subsistentia; propter illam vero divisionem mente conceptam naturas illas appellabat duas; sed post unionem duas non ita vocabat, quod nempe nulla inter eas divisio tunc mente statueretur: unde ait duas quidem esse ante unionem; post unionem vero, sublata divisione, unam tantum esse. Quam autem unam agnoscebat in Christo naturam post unionem, ea erat natura divina Verbi: non quod ea sola superesset, sed quod ea sola ipsi videretur digna quæ *naturæ* nomine insigniretur. Quamvis porro unam duntaxat conceptis verbis naturam commemoret, nempe divinam; simul alteram, nimirum humanam, oblique demonstrat, cum addit, eam esse *Verbi incarnati*.

INSTABIS 2. Ita locutus est Cyrillus etiam post pacem cum Orientalibus initam, & cum illi Orientales duas naturas profiterentur, Cyrillus unam prædicavit. Atqui duas illi naturas juxta catholicam fidem agnoscebant. Ergo unam duntaxat naturam contra catholicam fidem Cyrillus admittebat.

DISTINGUO majorem: unam prædicavit naturam, cum Orientales duas profiterentur, ab iis sola loquendi ratione dissidens; concedo: sensu; nego. Idem ergo cum Orientalibus sentiebat Cyrillus: unde & eorum fidei formulas admittebat, & cum iis communione jungebatur; sed loquendi tamen ratione ab iis recedebat. Cum enim Orientales vellent post unionem duas prædicari naturas, Cyrillus satius esse existimabat, si una Verbi natura *incarnata* diceretur.

OBJICIES 3. Cyrillus *epist. 2. ad Successum*; *epist. ad Eulogium*; *in synodica ad Nestorium*; *lib. de Incarnatione cap. 7. epist. ad Ægypti mo-*

nachos; *dial. de uno Christo*; *lib. 2. contra Nestorium*; *in defensione 4. anathematismi*; *& commentario in Joannem* aperte docet humanitatem, & divinitatem sic in Christum coaluisse, quomodo in hominem conveniunt anima & corpus. Atqui in hominem ista sic conveniunt, ut unam naturam conficiant. Ergo.

Distinguo majorem: eodem modo quoad aliqua; concedo: quoad omnia; nego. Eo tendit comparatio, ut ex humanitate & divinitate ita exurgere putetur unus Christus, quomodo ex corpore & anima unus fit homo; non vero ut utroque una fieri censeatur natura ex duabus conflata: adeoque comparatio illa spectat ad personam, non ad naturam. Ea itaque diversum in finem usi sunt catholici & hæretici; catholici, ut ea personæ unitatem illustrarent; hæretici, nempe Acephali, ut duas naturas in unam confluxisse declararent; sed in eo protriti sunt a scriptoribus catholicis, ita ut hoc exemplo vulgo jam abstineatur. Porro si Cyrilli verba expendantur, statim patebit ea de uno Christo, non de una Christi natura esse, & in unitatem personæ tantummodo collimare.

Objicies 4. Ex S. Cyrillo *dial. de uno Christo*, & *epist. 2. ad Succesſum*, ita ambæ naturæ in unum Christum coierunt, ut sola deinceps cogitatione dirimantur. Atqui si duæ reipsa superessent, reipsa etiam distinguerentur. Ergo.

Distinguo majorem: sola cogitatione dirimuntur, quod sint subjecto & supposito conjunctæ; concedo: quod non sint amplius per se distinctæ; nego. Isthæc igitur loquendi ratio longe aliud apud antiquos sonabat, quam quoad nos sonet: nos enim ea dicimus sola mente dirimi, quæ reipsa a se invicem non distinguuntur, v. g. misericordiam & justitiam in Deo. At apud veteres sola cogitatione dirimi dicebantur, quæ licet etiam a se invicem reipsa distinguerentur, sic tamen subjecto & supposito uniebantur, ut a se invicem divelli non possent. Atque id a priscis philosophorum scholis hauserant. Ita statuebant corpus & animam in homine, tres in Deo personas sola cogitatione dirimi. Ephremius Antiochenus apud Photium *cod. 229.* " Duas naturas „ in homine consideramus, unam animæ, alteram corporis. Verum nudis cogitationibus distinguentes, ac velut .... mentis imaginationibus „ discrimen accipientes, neutiquam seorsim naturas ponimus. " S. Cyrillus Alexandrinus *in Joan. pag.* 48. " Separari quodammodo cogitatione „ videtur gignens ab eo quod gignitur, & sine ulla divisione prodit: unum „ tamen est natura & idem utrumque. " Gregorius Nazianzenus *orat.* 13. „ *de Trinitate*, " Persona unaquæque, si separatim consideretur, est „ Deus, mente videlicet ea, quæ separari nequeunt, separante. " Plures vide apud Petavium *lib. 1. de Deo cap. 10. lib. 4. de Incarnat. cap. 3. & lib. 6. cap. 9.* Unde ipsemet Cyrillus *epist. eadem ad Succesſum*, explicans quid sibi vellet hæc locutio, " Ignorant, inquit, quæcunque non „ sola consideratione dividi amant, ea prorsus in diversitatem, quæ

seor-

„ seorsim omnino ac privatim constituuntur , a se mutuo discedere. “ Non est ergo propterea hæreseos accusandus Cyrillus ; quasi hoc ipso naturarum distinctionem sustulerit . 1. Enim in criminis ejusdem societatem vocandi forent Patres ipso antiquiores , qui in hac locutione usurpanda Cyrillo præiverant ; nempe Sanctus Basilius *lib.*4. *contra Eunomium* , “ In his omnibus , inquit , de Christo non duo dicimus , „ Deum seorsim , & hominem seorsim , (nam unus erat) ; sed co„ gitatione naturam cujuslibet cogitamus . “ Sic etiam Gregorius Nazianzenus *orat.* 36. &c. 2. In ejusdem hæreseos suspicionem venirent alii Cyrillo posteriores , qui tamen haud dubie ab hæresi Eutychiana maxime alieni fuerunt . Eamdem enim loquendi formulam deinceps usurparunt : nimirum Justinianus , qui *in sua fidei professione* ait , “In „ mysterio Christi facta unitione , diversa intelligi , quæ unita sunt , „ sed non ipsa re : “ Patres V. synodi , qui *canone* 7. sic loquuntur, „ Si quis in duabus naturis dicens , ... non intellectu tantummodo „ differentiam excipit earum ex quibus compositus est , ... sed in „ hoc numero utitur , ut separatim unaquæque natura suam habeat „ subsistentiam , talis anathema sit . “ Agatho etiam summus pontifex *epist. ad imperatores*, *in actis* VI. *synodi*, qui de naturis Christi lo„ quens , “ Sola intelligentia, inquit , quæ sunt unita secernente . “ Ita & Maxentius *in libello contra Acephalos*, “ Duas, inquit, nobiscum „ in Christo profiteantur esse naturas , qui eas non rebus ipsis dividi„ mus , sed cogitatione tantum discernimus & probamus . “ Quin & Theodotus Ancyranus *hom.* 1. *de Nativitate Domini in concilio Ephesino*, asserit ne cogitatione quidem esse secernendas duas Christi naturas , adeo arcta est earum conjunctio . “ Sed intelligentia sola divido , in„ quis . Ergo eadem intelligentia unitatem solvisti . Nam quo disjun„ gis ab altero alterum , eodem copulationem dividis . “ 4. Res ipsa arguit non potuisse id a Cyrillo dici eo sensu , qui jam vulgo obtinet . An enim ambæ naturæ divina & humana ita in unum Christum coaluisse dici queunt, ut post adunationem non nisi cogitatione distinguantur ? an non ratio manifeste docet duas illas naturas , ubicunque sint , reipsa semper a se invicem distingui . 5. Denique Calvinianus scriptor , quem hic impetimus , unice pugnat , ut Cyrillus unam putetur in Christo admisisse naturam ex duabus compositam, eo fere modo , quo humana natura ex corpore , & anima coalescit . At hoc ipsum evertitur , si ambæ naturæ Christi sola cogitatione distinguantur . Ad id enim requiruntur duæ naturæ distinctæ , sicut ad hominem constituendum requiruntur anima & corpus, quæ reipsa a se invicem distinguuntur. Ergo Calvinianus ille scriptor non tantum cum Cyrillo sed etiam secum ipse pugnat.

ARTICULUS II.

De divina Christi natura.

CHRISTUM esse merum hominem senserunt ejusque divinitatem impugnarunt plures variis temporibus hæreticis ac primo quidem seculo Cerinthiani, & Ebionitæ; Secundo Carpocrates, Valentinus, & Theodotus Coriarius; Tertio Paulus Samosatenus; Quarto Ariani, Photiniani, quos omnes impietate Sociniani superant.

Cum autem de hoc argumento abunde alibi disputaverimus, eo fiet ut impræsentiarum breviores simus. Ea autem seligemus momenta, quæ ad Messiam proprie pertinent, ut non solum hos hæreticos, sed etiam Judæos, qui Messiam a se expectatum, pro mero homine habent, simul refellamus.

ASSERTIO

CHRISTUS verus est Deus.

PROBATUR variis Scripturæ testimoniis. 1. Enim Isaias *cap.* 7. describens Messiæ ortum, *Ecce*, inquit, versu 14. *Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum nobiscum Deus*, inquit Matth. 1.12.

Secundo idem propheta *cap.* 8. *vers.* 13. qualis futurus esset Messias prænunciat his verbis, *Dominum* (Jehovah) *exercituum*, inquit, *sanctificate. Ipse pavor vester, & ipse terror vester; in lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel, & in ruinam habitantibus Jerusalem*. Illic, ut liquet, sermo est de vero Deo, qui vocatur *Jehovah, & Dominus exercituum*. Is autem est Messias a Judæis reprobandus, & in eorum ruinam deinde futurus, *Lucæ* 2. 34. *Rom.* 9. 33. 1. *Petri* 2.

Tertio apud eumdem 9. 6. futura Messiæ nativitas sic exprimitur: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, ... & vocabitur nomen ejus admirabilis ..... Deus* (El) *fortis, Pater futuri seculi* (æternitatis.)

Quarto ibidem 35. 1. aliud extat de Messiæ adventu vaticinium, *Lætabitur deserta*, inquit sacer vates, ... *& exultabit solitudo. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri* (Jehovæ) .... *Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet, sicut cervus, claudus*. Quod de Messia esse accipiendum, & res ipsa clamat, & Christus ipse ostendit *Matth. cap.* 11. v. 4. At idem est Deus: vocatur enim *Jehovah*, & cum emphasi *Deus ipse*.

Quin-

Quinto Jeremiæ 23. 5. Messiam promittens Deus, *Ecce*, inquit, *dies veniunt, ... & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit .... In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, Hebraice, *Jehovah justitia nostra*.

Sexto Osee 1. 7. *Et domui Jacob miserebor, & salvabo eos in Domino suo* (Jehovah.)

Septimo Zachariæ 11. 12. Deus ipse de se ita loquitur, *Dixi ad eos* (Judæos): *Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: ... & appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus* (Jehovah) *ad me, Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Idem autem Deus est Messias triginta argenteis vendendus, *Matth.* 27. 9.

Octavo ibidem 12. 10. de se iterum verba faciens, *Et effundam*, inquit Deus, *super domum David & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt*. Quod de Messia dictum est, *Joan.* 19. 36.

Nono Malachiæ 3. 1. Deus adhuc de se sermonem habens, *Ecce ego*, inquit, *mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum*. At hoc ipsum in Messiam & præcursorem ejus Joannem competit, *Matth.* 11. 10. *Marci* 1. 2. *Lucæ* 1. 76. & 7. 27.

Decimo Michæas Messiæ ex Bethleem originem aperiens cap. 2. versic. 2. *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Ibi enim æternitas, quæ propria est Dei dos, Messiæ ascribitur.

Cætera mittimus ex his, quæ *in tractatu* DE TRINITATE diximus, repetenda.

ARTICULUS III.

De humana Christi natura.

CUM late pateat, quæ a nobis hic instituitur de humana Christi natura disputatio, juvat, quæ dicenda sunt, in tres partes distribuere, quarum prima de ea generatim agemus; secunda de ejus corpore; tertia de ipsius anima.

SECTIO I.

An humanam naturam veram assumpserit Verbum divinum.

CAPUT I.

In quo recensentur, qui circa id erraverint.

HUMANA Christi natura non minori quam ejus divinitas furore, & insania, etiam apostolorum ævo impetita est, ab iis nimirum hæreticis, quos *Docetas* seu *Phantasiastas* appellarunt, eo quod humanam naturam a Christo non reipsa, sed specie tenus duntaxat sumptam fuisse statuerent.

Eos haud dubie percellit apostolus Joannes epist. 1. cap. 4. 1. *Multi*, inquit, *pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spritus Dei; Omnis spiritus qui confitetur Dominum Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*, &c. Ut autem ordine recenseantur, in hac hæresi versati sunt

Primo Simon Magus illius amentiæ antesignanus, genere Samaritanus, qui præstigiis suis populares suos, & plerosque alios in admirationem primo sui, deinde etiam in adorationem convertit. Is a Philippo diacono baptizatus, & ob tentatam sacrorum nundinationem ab Apostolo Petro repulsus, excussa e corde suo fide, qua imbutus fuerat, magnam orbis partem peragravit, ut sese Simoni Petro apostolorum principi opponeret, cujus precibus ad terram afflictus Romæ, cum sublimis in aere volare cœpisset, confractis cruribus, miserabiliter expiravit. Prædicare ille non erubuit, se summum esse Deum, qui in monte Sina legem olim Judæis dedisset in persona Patris; tempore autem Tiberii in persona Filii, non vera quidem carne, sed sola carnis specie amictus apparuisset; & qui demum tanquam Spiritus sanctus in apostolos linguarum ignearum forma delapsus esset: de quo *act. apost.* 8. 20. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 20. Arnobius *lib.* 2. *adversus Gentes*; Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 6. Epiphanius *hæresi* 21. *num.* 5. Philastrius *de hæresibus cap.* 3. Sanctus Augustinus *de hæres. cap.* 1. & alii. Inter recentiores autem Baronius *ad ann.* 68. Valesius *ad cap.* 15. *lib.* 2. *hist. Eusebii* &c.

Secundo Saturninus, seu, ut aliis placet, Saturnilus, Antiochia oriundus, de quo Irenæus *lib.* 1. *cap.* 22. Tertullianus *lib. de præscript. cap.* 46. Eusebius *lib.* 4. *hist. cap.* 7. Epiphanius *hæresi* 23. Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 3.

Tertio Basilides, qui in Ægyptum profectus, hæresim eamdem ibi propagavit, addens Christum non fuisse revera a Judæis in cruce suffixum; sed ejus loco Simonem Cyrenæum cui speciem suam dederat,

Ita Irenæus & Eusebius *supra*; Theodoretus *lib.* I. *cap.* 4. Epiphanius *hæresi* 24.

Quarto Julius Cassianus, qui cæteros in disseminanda hac impietate superavit: quem idcirco Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Strom.* appellat *principem apparentis speciei.*

Quinto Marcus quidam magicarum artium peritissimus, impurus homo, de quo Irenæus *lib.* I. *cap.* 8. Tertullianus *contra Valentinianos, cap.* 3.

Sexto Heracleonitæ, & Ophitæ, quorum illi ab Heracleone magistro; hi vero a serpente quem adorabant ita dicti, de quibus Sanctus Epiphanius.

Septimo Cerdo, ejusque discipulus Marcion Ponticus, ut perhibet Irenæus *lib.* I. *cap.* 28. *&* 29. Tertullianus *de præscript. cap.* 51. *lib. contra Marcionem, & de carne Christi cap.* I. *&* 3.

Octavo Manes Persa seu Manichæus, qui e vili, & inerudito mancipio factus impietatis doctor, plurimos doctrinæ suæ peste afflavit, ut refert Augustinus &c.

Nono Priscillianistæ, qui ut loquitur S. Leo *epist.* 95. Christum Deum in vera hominis natura natum esse non credebant &c.

CAPUT II.

In quo astruitur dogma catholicum de humana Christi natura.

ASSERTIO.

CHRISTUS naturam humanam vere assumpsit.

PROBATUR ex Scripturis, quæ, ut in re certa, evidenti, nec amplius in controversia posita, abunde satis erunt. Ex iis autem quadruplex momentum erui potest.

Primum ex diserto Joannis testimonio, qui ut in Christi divinitatis gratiam evangelium conscripsit, ita epistolas in ejus humanitatis argumentum magna ex parte edidit. Sic ergo pronunciat epist, I. cap. 4. I. *Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui solvit Jesum*, (seu ut in Græco codice est, *qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse*) *ex Deo non est, & hic est Antichristus.*

Secundum ex descriptione mysterii Incarnationis. Is enim vere homo fuit, qui caro factus est, qui formam servi accepit, & similis nostri evasit. Atqui hæc omnia de Christo dicuntur Joannis I. 14. *Et Verbum caro factum est* Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, ... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ad Hebr. 2. 14. *Quia ergo pueri*

communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem; Et versu 17. *Unde & debuit per omnia fratribus similari.*

Tertium ex nominibus Christi: vocatur enim homo, vir, filius hominis, Davidis, &c. Isaiæ 53. 3. *Despectum & novissimum virorum; virum dolorum.* Jerem. 3. 22. *Creavit Dominus novum super terram. Femina circumdabit virum.* Joan. 8. 48. *Nunc quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Act. 2. 22. Petrus Judæos alloquens, Christum appellat *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo*, 1. Tim. 2. 5. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Joan. 17. 1. *Filius hominis tradendus est in manus hominum* &c.

Quartum ex iis, quæ Christo tribuuntur, genealogia videlicet, origine, nativitate, communi vivendi ratione, morte, sepultura, resurrectione & ascensione. 1. Enim ejus genealogia describitur *Matth.* 1. 14. & *Lucæ cap.* 3. 2. Dicitur esse ex semine Abrahæ, Jesse, David, *Genesis* 12. 2. *act.* 3. 5. *Lucæ* 1. 31. 3 Factus ex muliere, *Galat.* 4. 4. 4. Vitam nostræ similem duxit; fatigatus ex itinere est, *Joan.* 4. 6. flevit *Lucæ* 19. 4. 5. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. 2. 8. Expiravit & emisit spiritum, *Matth.* 27. 5. 6. In monumento positus est, *Matth.* 27. 60. 7. Post mortem redivivus surrexit, *Matth.* 28. 8. 8. Post resurrectionem carnem & ossa habuit; cum apostolis manducavit & bibit, *Joan.* 21. 10. *act.* 1. 4. & *cap.* 10. 41. 9. Denique in cœlum ascendit *act.* 1. &c.

Quintum ex variis Christi officiis, quæ humanam naturam postulabant: ac 1. quidem mediatoris. Debuit enim Deus & homo simul esse, qui Dei & hominum mediator foret: homo quidem, ut satisfacere posset; Deus vero, ut satisfactioni pretium ac dignitatem conciliaret. Unde apostolus *supra*. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*. 2. Pontificis; ad Hæbreos enim 5. 1. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*. Cap. 4. 15. *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. 3. Prophetæ; Deut. 18. 15. Moses Israeliticum populum compellans, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis* &c. act. 4. 22. Lucæ 24. 19. &c.

Sextum ex iis locis ubi de corpore & sanguine & anima Christi sermo est; quæ a nobis *infra* referentur.

Objicies. Qui in similitudinem hominum factus est, is non fuit verus homo. Atqui Philipp. 2. 7. *Christus in similitudinem hominum factus* esse dicitur.

Distinguo majorem: in similitudinem adumbratam; concedo: naturalem: nego. Duplex est similitudo: altera in externa duntaxat specie posita est, qualis est statuarum; altera in ejusdem naturæ communione, ut cum Adamus *Gen.* 5. 3. dicitur Sethum procreasse ad similitudi-

tudinem suam. At Christus hac postrema ratione dicitur esse factus nostri similis, quia nempe formam servi accepit, sicut antea formam Dei habebat.

INSTABIS. At *ibidem* additur, *Et habitu inventus ut homo*. Ergo ut homo habitu fuit, non autem natura homo.

NEGO consequentiam. Particula enim *ut* non semper minuit, sed aliquando rem qualis est explicat. Vide *Joan.* 1. 14.

SECTIO II.

De Corpore Christi.

QUÆCUNQUE hic a nobis de corpore Christi disputabuntur, ea ad sex capita revocantur.

CAPUT I.

An Christus verum corpus habuerit.

QUI *supra* memorati sunt circa humanam Christi naturam errasse, verum Christi corpus præsertim impugnarunt.

ASSERTIO.

CHRISTUS verum corpus habuit.

PROBATUR variis Scripturæ testimoniis, præter illa quæ *supra* allegavimus. 1. Enim Incarnatio in eo posita est, quod Christus carnem & corpus assumpserit. Joan. 1. 14. *Dei verbum caro factum est*. Psal. 39. 7. & Hebr. 10. 5. *Hostiam & oblationem noluisti*; *corpus autem aptasti mihi*. 2. Christus idem inter prædicandum, carnis & corporis sui mentionem facit, *Joannis* 6. 5. &c. 3. Omnis vita ejus mortalis *dies carnis ejus* dicuntur, Hebr. 5. 7. *In diebus carnis suæ*. 4. Pridie mortis suæ corpus adhuc habuit, Matth. 26. 26. *Hoc est corpus meum*. 5. Corpus habuit in cruce, utpote quod in ea suffixum fuerit, & a milite confossum, imo tunc homines reconciliavit *in corpore carnis suæ*, Coloss. 1. 22. *Et peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1. Petri 2. 24. 6. Sepulcro conditum est corpus Jesu, *Matth.* 27. 10. ibi tamen caro ejus non vidit corruptionem, *Act.* 2. 31. 7. Post resurrectionem suam manus & pedes & latus ostendit Thomæ *Joan.* 20. *Lucæ* vero 24. 39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. 8. Inter ascendendum in cœlos corpus gessit: Lucæ enim 24. 50. *Elevatis manibus, benedixit eis*. 9. Carnem, quam gestaverat, cœlos ingressus non deposuit. Angeli enim, Zachar. 13. 6. *Quid sunt plagæ istæ*, inquiunt Christo, *in medio manuum tuarum?* 10. Ulti-

Ultimo judicii die carnem indutus apparebit. Job enim *cap.* 19, *v.* 25. ſperabat ſe viſurum oculis Deum ſalvatorem ſuum. Et Zachar. 12. 10. Judæi dicuntur eſſe aſpecturi, quem confixerint. 11. Poſthac corpus ſuum perpetuo ſervabit; Philip. 3. 21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Objicies. Rom. 8. 3. ſic ait Apoſtolus, *Deus miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis.* Ergo non erat vera caro.

Distinguo antecedens: in ſimilitudinem carnis peccati, ut *ibidem* ſubjungitur; concedo: carnis ſimpliciter; nego. Hæc ergo ſimilitudo erat penes externam ſpeciem: Chriſtus autem viſus eſt ſub ſpecie carnis obnoxiæ peccato, licet peccatum non fecerit, *Iſaiæ* 53. & 2. *Cor.* 5.

Instabis 1. cum Manichæis, qui illud Apoſtoli frequenter intentabant, 2. Cor. 5. 16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem; & ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus.* Ergo carnem jam ſaltem non habet Chriſtus.

Distinguo antecedens: ſecundum carnem id eſt ob ea, quæ honori aut emolumento eſſe poſſunt; concedo: quaſi neminem noſſet, qui carne præditus foret, aut Chriſtus omnis carnis expers eſſet; nego. Hic ergo eſt Apoſtoli ſenſus, neminem colimus aut diligimus ob dotes humanas aut opum ac fortunæ ornamenta. Atque etiamſi antea nobis placeremus in Chriſto, quod ex gente noſtra natus & in ea verſatus ſit, ne de eo quidem ipſo ita nunc cogitamus.

Instabis 2. eodem Apoſtolo 1. Cor. 15. 5. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Ergo &c.

Distinguo antecedens: caro & ſanguis, id eſt qui ſecundum carnem & ſanguinem vixerint; concedo: hoc eſt, qui carnem habuerint; nego.

CAPUT II.

An Chriſti corpus e cœlo delapſum; an e Maria aſſumptum fuerit.

Valentinus natione Ægyptius, Theodadis, qui apoſtoli Pauli diſcipulus fuerat, ut quidem jactabat, auditor, in antiquis poetarum fabulis verſatus, Romæ ab Eccleſia ſemel & iterum ejectus, præter reliqua, illud etiam confinxit, Chriſtum e cœlo corpus attuliſſe & per Mariam virginem, quaſi per canalem, duntaxat tranſiſſe, ita ut nihil ex ipſa ſumpſerit: de quo Irenæus *lib.* 1. *cap.* 1. Tertullianus *contra Valentinum cap.* 15. Epiphanius *hæreſi* 31. *num.* 7. Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 7. Ab eo virus ſuum expreſſerunt Secundus, cujus mentio fit ab Irenæo, & a quo orti ſunt Secundiani; Heracleon Origeni perſæpe memoratus; Iſidorus Carpocratis hæretici filius; Ptolemæus inter II. ſeculi hæreticos notiſſimus; & Apelles Marcionis aliunde ſectator. Is enim, ut ait Tertullianus *de præſcript. cap.* 51. " Chriſtum neque

" in

„ in phantasmate dicit fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri „ corporis, ut evangelium docet; sed in eo quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aeream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in „ descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse; & sic dispersis „ quibusque corporis sui partibus, in cœlo spiritum tantum reddidisse.

A S S E R T I O.

CHRISTUS corpus suum non e cœlo asportavit, sed ex B. Maria assumpsit.

PROBATUR ex Scripturis. Ac 1. quidem ex iis locis in quibus dicitur Christus e B. Virgine factus, conceptus, natus &c. Isaiæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium* &c. Quod in B. Virgine impletum esse asseverant Scripturæ, *Matth.* 1. 23. & *Lucæ* 1. 32. Matthæi autem eodem cap. v. 21. *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus*. Lucæ 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum*. Gal. 4. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere* &c. 2. Ex aliis in quibus ejus ab hominibus origo describitur. Sic enim *filius hominis* dicitur in evangelio passim, & apud Danielem 10. 16. Profecto ab Israelitis eum esse prognatum affirmat Paulus *ad Rom.* 9. 5. Ac 1. quidem ab Adam oriundus fuit, *Lucæ* 3. 38. 2. Ab Heva, cujus semen futurus esse prædicitur *Gen.* 3. 5. 3. Ab Abraham, *Matth.* 1. & *Lucæ* 3. quod prænunciatum fuerat *Gen.* 12. 3. & alibi; quodque in Christo impletum esse asserit Petrus *actuum* 3. 25. & Paulus *ad Gal.* 3. 16. quo fit ut semen Abrahæ apprehendisse dicatur, *Hebr.* 2. 16. 4. A Juda: *Manifestum est*, inquit idem Apostolus ibid. cap. 7. v. 14. *quod ex Juda ortus sit Dominus noster*. 5. E David, cujus propterea filius passim in evangelio prædicatur; *Fructus* vero *lumbi ejus*, Act. 2. 30. Unde etiam *factus ex semine David secundum carnem* asseritur Rom. 1. 3. Fuse denique ipsius genealogia texitur a Matthæo *cap.* 1. & Luca *cap.* 3.

OBJICIES 1. At istæ genealogiæ, utpote non concordes, nec iisdem majoribus contextæ, prorsus repudiandæ sunt, & eas revera Manichæi respuebant.

NEGO antecedens. Non enim pugnant duæ ab evangelistis allatæ genealogiæ. Matthæus enim eam retulit, quæ generationum serie contexitur; Lucas autem illam, quæ secundum legem instituebatur. Unde primus *generandi* vocem, alter non item usurpavit. Sed ea de re consule interpretes.

OBJICIES 2. Angelus Josephum alloquens, *Matth.* 1. 20. ait quidem Jesum esse natum in B. Virgine, sed non ex ea; *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*.

NEGO consequentiam: utrumque enim verum est. Hinc Tertullianus de *carne Christi cap.* 20. " In ea natum erat, inquit, quod ex ea erat.

OBJI-

OBJICIES 3. Christus sæpe dicitur e cœlo descendisse, aut e cœlo esse, aut desursum &c. *Joan.* 3. 13. & 6. 33. & 1. *Cor.* 15. 47.

DISTINGUO antecedens: e cœlo descendisse &c. ratione personæ, quæ se exinanivit, formam servi accipiens; concedo: ratione inferioris suæ naturæ; nego.

OBJICIES 4. *Joan.* 2. 4. Christus ad B. Mariam, *Quid mihi & tibi est, mulier*, inquit? hoc est quid commune nobis est. Ergo eamdem cum ipsa naturam non sortitus fuerat.

DISTINGUO antecedens: quid commune mihi & tibi, quoad vim patrandorum miraculorum; concedo: quoad naturam; nego. Magna quidem fide & fiducia miraculum a Christo poscebat B. Virgo; sed horam antevertebat: idcirco sic eam accipit filius, quod tempus anticiparet.

INSTABIS. *Matth.* 12. 48. Christus quibusdam sibi nunciantibus adesse ipsius matrem ac fratres, sic arguens respondet, *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei?* Ergo B. Mariam ut matrem non agnoscebat.

NEGO consequentiam. Ita enim locutus est, non quod eam pro matre non agnosceret; sed ut ostenderet cognationem spiritalem humanæ esse præferendam: itaque beatiorem esse virginem Mariam, quod mente, quam quod carne Christum tulisset.

CAPUT III.

An Christi corpus e B. Maria prodierit, illibata ipsius virginitate.

TRIFARIAM patet hæc quæstio. Beatæ enim Mariæ integritas considerari potest vel ante partum, vel in partu, vel post partum.

Mariæ integritatem ante partum oppugnarunt quicunque arbitrati sunt olim Jesum more cæterorum hominum e Mariæ & Joseph communi satu procreatum fuisse. Ita autem senserunt I. seculo Cerinthus, de quo Irenæus *lib.* 1. *cap.* 25. Epiphanius *hæresi* 28. Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 3. & Ebion de quo Origenes *lib.* 4. *de principiis*; Eusebius *lib.* 3. *cap.* 28. II. seculo Carpocrates, de quo Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 1. ut alios omittamus; Petavius *lib.* 1. *cap.* 2. *lib.* 14. *cap.* 3. Arnaldus *contra Malletum*.

Ipsius in partu virginitatem impetierunt qui eam inter & vulgares feminas in eo casu nihil intercessisse discriminis existimarunt: ita seculo IV. Jovinianus juxta Ambrosium *epist.* 42. *ad Siricium lib.* 1. Augustinum *hæresi* 82. & *lib.* 1. *contra Julianum capit.* 4. &c. IX. seculo quidam alii, contra quos pugnat Paschasius *in tractatu de partu Virginis tom.* 12. *spicil.* XIV. seculo Lothardus, Valterus juxta Trithemium *in chronico Hirsaugiensi*, & ex eo Spondanus *ad an.* 1305. In eadem vero opinione versantur recentiores e Calvini secta heretici; de quo con-

confule Sanderum *lib.* 7. *de vifibili monarchia*; Bezam *tom.* 2. *operum theologic. in refp. ad Jacobi Andreæ calumnias*; Albertinum *de Eucharistia* Ludovicum de Dieu *in notis ad hiftoriam Chrifti ab Hieron. Xaverio Perfice editam*; Maldonatum *in cap.* 1. *Lucæ*; Petavium *lib.* 14. *de Incarn.* &c.

Beatæ autem Mariæ poft partum impudenter profciderunt intemeratum pudorem, qui ftatuerunt ipfam, poftquam edidiffet Chriftum, cum Jofepho marito congreffam, plures ex eo filios fufcepiffe, qui in evangelio dicantur fratres Chrifti. Ita quidam Origenis ætate, de quibus mentionem facit *hom.* 7. *in Lucam*; Apollinaris juxta Epiphanium *hærefi* 77. *&* 78. Eunomius apud Philoftorgium *lib.* 6. Helvidius, Jovinianus, Bonofus, ex Ambrofio *epift.* 5. *ad Siricium*, Hieronymo *contra Helvidium*.

Atque hi quidem de B. Virginis integritate minus honorifice fenferunt: fed eam jufto plus extulerunt, qui VIII. feculo cenfuere Chriftum per ipfius latus prodiiffe, quos refellit Damafcenus *lib.* 4. *cap.* 15. & qui IX. feculo putarunt ipfum effe alia, quam folita partus via profufum, quos perftringit Ratramnus in fuo *de nativitate Chrifti* libello, *tom.* 1. *fpicil.*

ASSERTIO I.

Beata Virgo Maria ante partum virgo fuit; nec ex Jofepho Chriftum concepit.

Probatur 1. ex Scripturis. 1. Enim *Ifaiæ* 7. 11. fic habet, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quod quidem ad Jefum retulerunt Evangeliftæ. 2. *Matth.* 1. 18, conceptis verbis id afferit, dum ait Mariam *inventam fuiffe in utero habentem de fpiritu fancto, antequam convenirent* (eadem Maria & Jofeph) 3. Lucas *cap.* 3. 23. arguit Dominum Jefum non Jofeph filium reipfa fuiffe, licet ita opinione falfa putaretur, *ut putabatur*, inquit, *filius Jofeph* &c.

Probatur 2. conftanti omnium ecclefiarum a primis ufque feculis traditione. Qui enim aliter fenferunt, hi ut abominandi & impii ab omnibus habiti funt.

Nec obftat id quod ait Apoftolus *ad Gal.* 4. 4. Chriftum videlicet factum effe ex muliere, quafi hoc *mulieris* nomen delibatum virginitatis florem fonet.

Certum enim eft hoc vocabulo non corruptelam, fed fexum exprimi. Sic enim *Genefis* 22. 2. Heva in ipfa origine, ut & cap. 3. 1. *mulier* appellatur ante ullum cum Adamo congreffum.

ASSERTIO II.

Beata Maria etiam in partu virgo fuit.

Probatur 1. ex Scripturis. Ifaiæ enim 7. 11. *Ecce virgo concipiet, & pa-*

& pariet filium. Ibi quippe beata Maria non dicitur tantum virgo conceptura, sed etiam virgo paritura filium.

PROBATUR 2. Ecclesiæ judicio, quæ ut hæreticos semper habuit quicunque illam in partu corruptam fuisse dicere non erubuerunt.

PROBATUR 3. auctoritate conciliorum quæ B. Mariam semper virginem *ἀειπαρθένον* appellare consueverunt de quo Petavius *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 8.

PROBATUR 4. omnium Patrum consensione, quos ex latina græcaque ecclesia collectos diligenter ac prolixe refert Petavius *lib.* 14. *cap.* 3. 5. *&* 6. quos inter multi sunt, qui id esse certum fidei dogma conceptis verbis definiunt, ut Gennadius *de ecclesiæ dogm. cap.* 69. Paschasius Ratbertus *de partu virginis* &c.

Ut autem hoc dogma explicent & muniant, varia proferunt. 1. Enim cum Ezechiel propheta 44. 2. dicat, *Porta hæc clausa erit : non aperietur, ... quoniam Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa* : id de Maria pariente interpretantur Amphilochius *de occursu*, Ambrosius *epist. ad Siricium*; Hieronymus *ad hunc prophetæ locum*; Eusebius, falso dictus Emisenus, *serm.* 2. *de nativ.* Theodoretus *ad ista Ezechielis verba* &c. 2. Ita asserunt Christum e matre prodiisse, quomodo e sepulchro illibatis sigillis ac minime fracto lapide redivivus exiit; Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 484. 3. Quemadmodum in evangelio legitur Christus post resurrectionem intrasse janius clausis in locum ubi erant Apostoli, ita in partu exiisse ex utero B. Virginis non reseratis claustris affirmant Gaudentius *tract.* 9. Augustinus *epist. ad Volusianum*. 4. Sanctissimam Virginem sine ullo dolore peperisse pronunciant Ephrem *de pretiosa margareta*, Bernardus &c. 5. Denique inter gestandum Christum non solita prægnantium fastidia sensisse Fulgentius *serm. de B. Virgine*, Petrus Chrysologus *serm.* 142. *de Annunciatione* &c.

OBJICIES 1. Lucæ 2. 2. sic habetur de Maria & Christo, *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino, vocabitur*. Ergo Christus vulvam matris aperuit.

Nego consequentiam. Ea enim locutione primogenitus quilibet significatur, quia videlicet ea est vulgaris ratio partus : at necesse profecto non erat ut primogenitus Domino consecrandus vulvam aperiret. Quid enim si cæso matris latere prodiisset, an idcirco non fuisset Deo addicendus?

OBJICIES 2. Multi sunt e veteribus, qui apertum esse B. Virginis uterum confiteantur, v. g. Tertullianus *de carne Christi cap.* 23. " Peperit, inquit, quæ ex sua carne, & non peperit quæ non ex viri „ semine, & virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu " &c. Sic etiam Origenes *hom.* 14. *in Lucam*, " Matris Domini, inquit, eo „ tempore vulva reserata est. " Ita etiam Hieronymus *in Helvidium*

& *ad*

& *ad Eustochium de custodia virginitatis*. Denique Ratramnus *de nativitate Christi*.

Respondeo hos durius esse locutos, & Tertullianum vix ac ne vix quidem explicari posse. At Origenes exponi potest, ut & alii, si benignius cum eis agere quis velit. Nihil enim aliud forte significare voluerunt, quam Christum ex utero B. Virginis solita partus via prodiisse. De quo consulendi sunt Baronius, Pamelius, Mabillonius ad 2. *partem* IV. *seculi Bened. & Spicilegii* auctor. Fortasse vero fidei non interest, sive quis B. Virginis uterum in partu clausum mansisse existimet, sive apertum fuisse censeat, modo id factum esse censeatur citra ullam integritatis ejus læsionem: de quo legi possunt Durandus *in* 4. *sentent. dist.* 44. Erasmus *in cap.* 1. *Lucæ*; Suares, Vasquesius &c. In his enim immorari non juvat, in quæ modesti hominis non fuerit, nedum theologi, curiosius inquirere.

ASSERTIO III.

Beata Maria etiam post partum virgo mansit, nec ullos e Josepho liberos sustulit.

Probatur variis momentis.

Ac primo quidem Ecclesiæ judicio & usu. Eos enim qui in contrario errore versati sunt, ut a fide sua & Apostolorum doctrina alienos e sinu suo semper expulit: præterea vero in hymnis & precibus inviolatam B. Mariæ post partum integritatem prædicat.

Secundo omnium sanctorum Patrum consensione. Nullus enim est, qui ab aliis dissentiat: adversam vero huic dogmati impietatem appellat *magnam insaniam* Origenes; *sacrilegium*, Ambrosius; *blasphemiam*, Epiphanius & Gennadius *supra*.

Tertio Synodorum generalium auctoritate. Concilium enim Chalcedonense, v. g. *in allocutione ad Marcianum imperatorem* asseverat "Virgnitatem (B. Mariæ a Christo) sacratam esse, etiam post partum; uterumque ejus fuisse integritate obsignatum," ut nullius injuriæ deinceps pateret.

Quarto multiplici ratione. 1. Enim nemo *Mariam* appellat, quin simul & *virginem* dicat. At id dici non posset, nisi perpetuo servasset integritatem. Ita S. Epiphanius *hæresi* 78. *num.* 6. 2. Ita virginitatis votum emiserat ex evangelio, ut cum ejus jactura ne in angeli quidem promissa consensura fuisse videatur. Ita Gregorius Nyssenus *orat. in natali Domini*, & Augustinus *de sancta Virginitate cap.* 5. 3. Incredibile est hinc B. Mariam post Deum editum degeneri satu inquinari se voluisse; illinc B. Josephum virum sanctissimum id attentare ausum esse. Ita S. Ambrosius & Epiphanius *supra*. 4. Josephus ætate provectus erat cum Mariam virginem duxit, ita ut ad custodiam potius virginitatis, quam ad liberorum opus assumtus sit: de quo Baronius *in annalibus*.

5. Mor-

5. Mortuo Josepho conjuge, si multi ex eo liberi superstites fuissent, iis sane Christus moriens potius commendasset matrem, quam Joanni apostolo. Ita Hieronymus & Epiphanius.

OBJICIES 1. Multi Christi fratres in evangelio comparent, v. g. *Matth.* 13. 55. Ergo fratres saltem erant uterini, hoc est ex Maria & Joseph.

DISTINGUO antecedens: fratres, id est, cognati aut consobrini; concedo; vere fratres; subdistinguo: quod e Josepho oriundi forent, sed ex alio ac priori conjugio; esto: quod e Josepho & Maria: nego. Duplex est circa B. Josephum & istos Christi fratres, antiquorum opinio. Alii enim ut Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus *in Glaphyris*, censent Josephum Mariam in uxorem accepisse cum viduus esset, & ex priori conjugio multos jam liberos suscepisset, qui in evangelio *fratres Christi* ideo nuncupentur: alii (ut Hieronymus *contra Helvidium*) Josephum virginem semper fuisse arbitrantur; *fratres* autem *Christi* vocari genere aut affinitate propinquos, more Judæis consueto; quod longe est probabilius.

OBJICIES 2. Matthæi 1. 18 Maria dicitur *inventa in utero habens, antequam convenirent* ipsa & Joseph. Ergo postea saltem convenerunt.

NEGO consequentiam. Ut enim monet Hieronymus, Scriptura quid factum non sit aperit, non quid postmodum contigerit. Agebatur enim duntaxat de Christi ex virgine ortu: eum autem Evangelista describit, nec ultra progreditur.

INSTABIS 1. Ibidem, v. 25. additur, *Et non cognoscebat eam* (Mariam Joseph), *donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo saltem postea cognovit.

NEGO consequentiam. Vox enim *donec* quid antea factum non sit ibi tantummodo demonstrat, ut alibi non semel: sic v. g. 2. Regum 6. 23. *Michol filiæ Saul*, inquit Scriptura, *non est natus filius usque in diem mortis suæ*. Non enim inde colligere fas est natum ipsi filium esse post mortem.

INSTABIS 2. At Christus ibidem dicitur *primogenitus* B. Mariæ. Ergo alii post ipsum ex eadem filii prodierunt.

NEGO consequentiam. *Primogenitus* enim in Scripturis nominatur is ante quem nullus, non post quem necessario alius: quod & apud Latinos scriptores est usitatum.

CAPUT IV.

An Christi corpus formosum fuerit.

QUÆ de Christi specie dici queunt, ea in certas quæstiones distribuemus.

QUÆRES itaque 1. an quidpiam super ea re ex Scripturis exsculpi possit. RES-

Respondeo non posse quidquam certi ex iis erui. Nam psal. quidem 44. Christus dicitur *speciosus forma præ filiis hominum*; sed id ad animam ejus pertinere, non ad corpus, vetustissimi quique interpretes censuerunt. Isaias autem contra cap. 52. 14. de eodem sic loquitur, *Inglorius erit inter viros aspectus ejus inter filios hominum*: & cap. 53. 2. *Non est species ei, neque decor*. Hæc autem licet de ejus oris specie, qualis per omnem vitam mortalem fuit, antiquiores interpretati sint; attamen ad vilem & abjectam vitæ conditionem ac sortem, aut ad mortis tempus refertur.

Quæres 2. an qui viderant Christum, aut ab iis, qui ipsum vidissent, qualis specie foret audierant, id nobis scripto reliquerint.

Respondeo nihil super ea re extare. Scilicet majores nostri cum cœlestia tantum spirarent, & ejusmodi rerum essent incuriosi, de eo ne cogitasse quidem videntur, ut quali ore esset, depictum Christum nobis relinquerent.

Quæres 3. an non iis tamen temporibus aliquæ Christi imagines extarent.

Respondeo extitisse; sed ignorari an ad vivum essent expressæ. Ut enim omittam de iis dicere, quæ Abgari & Veronicæ fuisse memorantur, quæ a multis revocantur in dubium, lege Baronium *an.* 34. Henschenium *ad* 4. *februarii*, Gretserum *de imaginibus Christi non manu factis*, Cangium verbo *Veronica*, Natalem Alexandrum, Tillemontium &c. Quædam profecto statua Cæsareæ Philippi in honorem Christi adhuc viventis ab illa Hemorrhoissa, cujus evangelium meminit, posita fuerat, teste Eusebio & Sozomeno. Sic etiam Alexander imperator Mammææ filius a Lampridio perhibetur Christi, ut & aliorum virorum illustrium, imagines in sacrario habuisse & coluisse. Marcellina quoque mulier, e secta Carpocratis, ab Irenæo, Epiphanio, & Augustino dicitur, aliquam Christi imaginem ostentasse, quam plebeculæ ad adorandum proponeret. Atque hæc de externis & ab Ecclesia alienis. In ipsa vero Ecclesia, Christus referente Tertulliano *lib. de pudic.* sub pastoris specie in sacris calicibus depingebatur. Augustinus denique *lib.* 1. *de consensu evang. cap.* 10. testatur post Eusebium Christum una cum Petro & Paulo pingi solitum.

Quæres 4. quid de ejus forma senserint qui ævo Christi propiores rem istam melius quam recentiores rescire potuerunt.

Respondeo omnes veteres, tam Christianos quam Gentiles, nullo excepto a secundo seculo ad quartum usque desinens, & plures etiam postea longe abfuisse ab ea formositate Christo tribuenda quam ei vulgo affingimus: imo pro certo habuisse Christum non fuisse specie oris commendabilem, sive id ex majorum traditione vulgarique fama derivatum accepissent; sive id haberent compertum ex imaginibus quæ tum supererant, sive id potius colligerent ex adductis *supra* Isaiæ aliisque Scripturæ testimoniis, quæ sola revera laudant in assertionis suæ gratiam,

quod sane mirum est, cum alia Christi formæ argumenta eis suppetere possent. Quidquid sit, Celsus Epicureus philosophus, qui non procul ab Apostolorum ætate sub Adriano floruit, cum in Christianos scriberet, „ id eis vitio vertebat apud Origenem *lib. 6.* quod scilicet " Christum ho- „ minem corpore pusillum, deformem specie, ac minime generosa facie, „ instar Dei colerent. " Origenes autem ei respondens excipit quidem de staturæ brevitate ac figura humili; sed de Jesu specie deformi non am- „ bigit, & eam velut apud omnes in confesso positam admittit. " Extra „ controversiam, inquit, scriptum est Jesu Christi corpus deforme fuis- se. " In eumdem modum Clemens Alexandrinus Origenis magister asserit „ *pædag. lib. 3. cap,* 1. " Christum non tantum servili forma extitisse; „ sed aspectu quoque turpem. " Quod quidem adhuc exaggerat *Strom. lib.* 1. *&* 6. Id autem a Christo factum esse consulto notat, ut omnes ad invisibilia erigeret, nec quisquam in ipsius pulchritudine acquiesceret. Tertullianus Græcis consonat, tum *in libro de patientia*, ubi affirmat Christum gestiisse non agnosci, & insuper sibi contumeliosum fuisse: tum *in libro de carne Christi*, in quo sic ait: " Adeo nec humanæ honestatis „ corpus fuit, nedum cœlestis claritatis..... An ausus esset aliquis un- „ gue summo perstringere corpus novum? sputaminibus contaminare fa- „ ciem, nisi merentem? " Adde *contra Judæos cap.* 14. Cyprianus ejus discipulus *lib.* 2. *adversus Judæos* pariter ex Isaia colligit Christo, quandiu vixit, figuram non fuisse nec speciem: figuram ejus fuisse sine honore & deficientem præter cæteros homines. His autem accessisse videntur Basilius *in psal,* 44. Isidorus Pelusiota *epist.* 130. *lib.* 3. & Theodoretus *in psal.* 44. Eadem tradit, Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *Glaphyrorum*, " Fi- „ lius Dei, inquit, in specie apparuit admodum deformi. " Id autem factum putat, quia Incarnatio exinanitio fuit, nec in ea quidquam esse debuit, unde caro gloriari posset. Augustinus *in psal.* 43. " Ut homo, „ inquit, non habebat speciem neque decorem, sed speciosus forma; „ ex eo quod est præ filiis hominum. " *Ad psalmum* autem 127. " Perse- „ quentibus, inquit, fœdus apparuit; & nisi eum fœdum putarent, non „ insilirent, non flagellis cæderent, non sputis inhonestarent, sed quia „ illis apparebat, fecerunt illi ista. Non enim habebant oculos, unde „ Christus pulcher videretur. " Vide & *tract.* 9. *in Joan.* & *in psal.* 118. Sic illi veteres de forma Christi senserunt; arbitrati id non in contumeliam, sed in masculæ potius ac divinæ religionis argumentum cedere. De quo Rigaltius in singulari de hac re *dissertatione*.

QUÆRES 5. an eadem recentiorum opinio fuerit.

RESPONDEO dici non posse quantum recentiores ab iis recesserint, qui secum invicem in eo certasse videntur, ut ad Christi formositatem aliquid adderent: rati id suæ esse in ipsum observantiæ aut etiam religionis. Atque ut pictores prætermittam, quibus audere quidlibet semper licuit, Græci sane ac Latini nihil quod ad eam rem pertineret, omiserunt: figuræ nimirum majestatem, dignitatem frontis, conjunctionem supercilio-

liorum, oculorum vim & aciem, capillitii crispi ac promissi venustatem, nasi aquilini justum modum, eximiam oris conformationem, barbæ bifidæ decus, cervicis mediocrem flexum, digitorum longitudinem, pedum gratiam, triticeum cutis colorem, & cætera id genus minutissime persecuti, antiquis ignorata Patribus. His autem lineamentis depinxerunt Christum Joannes Damascenus, Theophanes, Nicephorus, Antoninus *in itinerario terræ sanctæ*, & alii. De quo consule nummos Vaseri, & Cangium *in appendice ad Glossarium Latinum Cangii* &c. Petavium *lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 11.

His autem recentioribus veteres aliqui quadantenus præiverant, Origenes *tract.* 35. *in Matth.* testatur ex Christi vultu splendorem quemdam insolitum, quo homines ad se traheret, identidem erupisse pro eorum, qui ipsum aspicerent dignitate & merito. Id autem ad omnem ejus vitam extenderunt Hieronymus & Chrysostomus. Hieronymus enim *ad Principiam* scribens, ait Christum, nisi in vultu & oculis quiddam sidereum habuisset, nunquam uno verbo Apostolos fuisse tracturum. Chrysostomus autem *ad Matth.* 8. 18. *hom.* 27. asseverat Christum, non modo cum miracula ederet, sed etiam ipso aspectu gratum fuisse.

CAPUT V.

An Christi corpus doloribus obnoxium fuerit.

NOTANDA.

MULTA hic observanda sunt.

Ac. 1. quidem corpus humanum seorsum & in se consideratum, ex natura & conditione omnium corporum secari ac dividi posse.

2. Idem corpus ex sua cum anima conjunctione, conjunctionisque istius legibus habere, quod necessariarum sibi rerum & ictuum in se irruentium, animum commonefaciat.

3. Ex ea conjunctione præcise non habere quod dolorem statim aliasque affectiones necessario inferat: sic v.g. in Adami insontis corpus poterat aliquid noxium occurrere; sed obtinebat ille ex status sui beatitudine, ut nullum ex eo molestiæ & ægritudinis sensum caperet, nisi quem vellet ac libens in animo suo excitasset.

4. Aliud esse Adamum potuisse nec esurire, nec dolere, nec mori, quia ipsi suppetebant ea omnia quibus id facile vitari poterat, cibi nimirum, lignum vitæ &c. aliud sine rei cujusquam ope, ex sola corporis firma constitutione potuisse nec esurire, nec dolere: ex his enim duobus primum quidem verum est; non item alterum.

5. Peccato factum esse, ut dolor non modo voluntatem antevertat, sed etiam vulgo ei dominetur eamque obruat.

6. Christum considerari posse vel penes divinam naturam, vel penes naturam humanam divinæ copulatam.

Magnus *epist.* 97. *cap.* 2. Theodoretus *dial.* 3. quanquam Apollinarium aliquando pudebat hujus impietatis, eamque a se amoliebatur, ut liquet ex Gregorio Nazianzeno *orat.* 52. Theodoreto *lib.* 5. *hist. cap.* 3. Liberato *cap.* 3. *&c.*

Secundus error est eorum, qui censuerunt contra ne Christi quidem corpus corruptelæ fuisse obnoxium, cujus erroris insimulantur

1. Valentinus, qui docebat Christum ita manducasse & bibisse, ut tamen non egereret, quod ex ejus *ad Agatopodem epistola* refert Clemens Alex. *lib.* 3. *Strom.*

2. Quidam Eutychiani *Apthartodocetæ*, seu *Incorrupticolæ* eam ob rem nominati, de quibus *supra* mentionem fecimus.

3. Theodorus Pharanita e Monothelitarum grege, ut patet ex Concilio Lateranensi I. *secretario* 2. & concilio VI. *act.* 13.

Variæ antiquorum sententiæ, aut loquendi rationes.

Cum omnes antiqui in eo consentiant, quod Christi corpus dolori, tristitiæ, morti obnoxium fuerit; non tamen eodem omnes illud exponunt modo.

Primo enim ex iis non pauci existimarunt id ex sua cum Verbo divino conjunctione habuisse Christi corpus ut corruptelæ subditum non esset: quod autem esurierit, manducaverit, doluerit, & passus sit; miraculo vim illius conjunctionis comprimente factum esse. Coercitam autem esse vim illam, tum ad carnis veritatem evidentius significandam, tum ad satisfactionem obeundam, & redemptionis nostræ opus peragendum. Ita Clemens Alexandrinus *lib. 6. Strom.* qui hac in parte longius, quam par sit, progressus esse videri queat. Leo Magnus *in Dominicam* 1. *Quadrag.* Maximus *homil.* 1. *de jejunio Quadrag.* quidam catholici apud Leontium *lib.* 2. *contra Eutychianos*; Theodorus Abucara *tom.* 11. *bibliot. Patrum*: auctor *Elucidarii* apud S. Anselmum, a quo non admodum recedunt Athanasius *orat.* 30. Cyrillus *lib.* 9. *de adoratione*; Augustinus *tract.* 31. 49. *&* 60. *in Joannem*; & Hugo Victorinus *lib.* 2. *de sacram. parte* 1. *cap.* 7. In illius autem sententiæ suæ argumentum afferunt: 1. quod Christus non nisi post quadraginta dies esurierit, non vero ante: 2. quod posuerit animam, cum voluit: 3. quod mori noluerit, nisi post impleta in se omnium prophetarum vaticinia: quod mortuus sit statim atque dixit *Consummatum est*; ita ut non naturæ lege, sed voluntate potius, aut ut loquuntur, potestate mortem oppetierit. Quo pertinet illud, quod *supra* monuimus, e Christi fronte identidem emicuisse fulgorem illum, quo, cum liberet, homines ad se pertrahebat.

2. Ex iisdem alii definierunt carnem a Cristo fuisse assumptam, non qualis est nostra post peccatum, sed qualis Adami insontis fuit: & ex Christi ab omni peccato immunis cum Adamo innocente comparatione

affirmarunt Christum natura sua positum fuisse extra dolendi necessitatem: ita Honorius summus pontifex *epist.* 1. *ad Sergium*; quidam orthodoxi apud Leontium, *lib.* 2. *contra Eutychianos*; Joannes Damascenus *lib.* 3. *cap.* 20. Theodorus Abucara; Philippus Abbas bonæ spei *in epistolis*, *de sententia Hilarii*, qui quidem eo etiam extendit hanc doctrinam, ut crederet sola hujus a peccato immunitatis, & firmæ corporis constitutionis vi, citra ullum rei cujuslibet alterius subsidium, Christum potuisse nec esurire, nec pati, nec mori: in quo castigatus est ab Hunaldo, de quo postea mentionem faciemus.

3. Alii ex adverso statuerunt a Christo assumptam esse carnem, nostræ citra peccatum similem, atque adeo ejusdem omnino cum nostra infirmitatis, ac iisdem plane doloribus obnoxiam. Ad id autem decernendum eo potissimum momento adducti sunt, quod eam carnem assumere debuerit, quam liberaturus venerat. At homines lapsos susceperat erigendos, non Adamum innocentem: proinde non hujus, sed illorum simile corpus suscipi par fuit. Ita opinantur aut etiam arguunt Augustinus *lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 29. ubi etiam ait Christum ad senectutem temporis decursu; & a senectute ad mortem perventurum fuisse, nisi ipsum mors violenta occupasset; Boetius *de duabus naturis*; Leontius *lib.* 2. Bernardus *serm.* 1. *de Epiphan.* Joannes Præpositus *contra Philippum bonæ spei abbatem*, *de sententia Hilarii*; & Hunaldus ab utroque illius controversiæ delectus arbiter.

His positis jam duo sunt expendenda: primum, an revera Christus habuerit corpus natura sua doloribus obnoxium: alterum, an contra senserit Hilarius, ut nonnulli suspicati sunt.

ASSERTIO.

CHRISTUS habuit corpus dolori, & cæteris humanæ vitæ affectionibus obnoxium.

PROBATUR 1. ex Scripturis. *Psal.* 21. Christus mediis in cruciatibus, quibus se premi sentit, opem Patris implorat, ne sub onere doloris fatiscat: *Ne discesseris a me*, inquit, *quoniam tribulatio proxima est .... Foderunt manus meas ..... Domine ne elongaveris auxilium tuum a me*. Isaiæ 53. eum appellat *Virum dolorum*, *& scientem infirmitatem*: Matthæi 4. 2. *Esurivit*: Joan. 19. 28. *dixit Sitio*: Joan. 4. 6. *Fatigatus ex itinere* fuit: Lucæ 19. 41. *Flevit super* Jerusalem. Joann. 11. 23. & 35. *Infremuit spiritu*, *& lacrymatus est*. Matthæi 26. *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem*. Lucæ 22. 43. & 44. *Factus* (est) *in agonia*, *& factus est sudor ejus*, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*; *& apparuit illi angelus de cœlo confortans eum*. Matt. 27. 46. præ tristitia & dolore: *Deus*, *Deus meus*, inquit, *quare dereliquisti me?* Lucæ 24. 16. *Oportuit Christum pati*, *& ita intrare in gloriam suam*. Ad Hebr. 2. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis*, *gloria*

gloria & honore coronatum. Et vero Incarnationis causas expendens ibidem Apostolus, *Unde debuit*, inquit versu 17. *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret : . . . in eo enim in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & in iis, qui tentantur, auxiliari*, & cap. 4. v. 15. *Non habemus pontificem*, ait, *qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*, &c.

Probatur 2. omnium ad unum Patrum auctoritate. Nimirum Tertullianus *lib. 3. cap.* 8. Marcionem, qui Christi corpus verum fuisse negabat, sic impugnat, " Jam nunc cum mendacium deprehenditur " caro Christi, sequitur ut & omnia, quæ per carnem Christi gesta " sunt, mendacio gesta sint. . . . Sic nec passiones Christi ejus fidem " merebuntur. Nihil enim passus est, qui non vere est passus. Vere " autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei " opus. " Vide & *lib.* 2. *cap.* 27. Origenes *lib.* 2. *contra Celsum, p.* 79. " Si ut ait Celsus, inquit, nihil doloris ac molestiæ Jesus sensit per " illud tempus; quonam pacto . . . . Jesum adducere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quælibet ? " Athanasius *de Incarnatione*; Ambrosius *in Lucam*; Basilius *de gratiarum actione in concil. Later. secretario* 2. " Fatigatus est . . . . corpore, quæ naturam sequuntur admittente; ita & lacrymas admisit, naturalem passionem carni super-" induci permittens. " Hieronymus *ad Isaiæ cap.* 53. 11. " Qui vero, " inquit, languores nostros & peccata portavit, & pro nobis dolet, non " putative, . . . ut nova & vetus hæresis suspicatur, sed vere crucifixus " est, vere doluit. " Augustinus *epist.* 205. *ad Consentium & lib.* 2. *de pecc. merit.* Fulgentius *de Incarn. cap.* 8. *&c.*

Objicies. Dionysius Alexandrinus *tom.* 1. *Conc. pag.* 838. respondens Paulo Samosateno, qui ex his Christi verbis, *Nunc anima mea turbata est*, colligebat Christum non esse Deum, id se dixisse quemadmodum Deus apud Osee dicit, *Conturbata est pœnitentia mea*; & quo pacto Paulus *Ephes.* 4. de Spiritu-sancto ait, *Nolite contristare Spiritum-sanctum*. Atqui cum id de Patre & Spiritu-sancto dicitur, non propria est, sed metaphorica locutio, nec ideo illi vere sunt dolori obnoxii. Ergo nec Christus.

Respondeo 1. hanc epistolam videri Dionysio Alexandrino perperam suppositam.

Respondeo 2. eam ascribi hæretico Eutychiano ab eo, qui Joannis Damasceni opera nuper in lucem edidit, quem vide.

Respondeo 3. distinguendo majorem : ait Christum, ut Deum, ita illud de se dixisse; concedo : ut hominem; nego. Hæc ergo Christi verba ad ipsius divinitatem refert Dionysius Alexandrinus. Atque hoc quidem non satis est ad mentem evangelistarum : sed quidquid sit, eo sensu sane verissimum est Christum non magis fuisse dolori obnoxium, quam Patrem aut Spiritum-sanctum.

Instabis. *Ibidem pag.* 862. cum idem Paulus Samosatenus inde ar-

gueret ſanguinem Chriſti fuiſſe corruptelæ obnoxium, quod dictum olim eſſet a Chriſto, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur* : ad id reſpondet Dionyſius, non magis inde conſequi Chriſti ſanguinem eſſe corruptelæ obnoxium, quam conſequatur Spiritum-ſanctum eſſe corruptelæ ſubditum ex hoc vaticinio Joelis cap. 2. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*. Atqui Spiritus-ſanctus corruptelæ profecto obnoxius non eſt. Ergo.

DISTINGUO majorem : non magis fuiſſe corruptelæ obnoxium & revera corruptum; concedo : corruptelæ obnoxium duntaxat; nego. Paulus Samoſatenus non modo ajebat ſanguinem Chriſti eſſe corruptelæ obnoxium, ſed etiam reipſa eſſe corruptum, idque ex *effuſionis* vocabulo colligebat. Negat Dionyſius hoc duntaxat poſtremum, quod nempe ſanguis Chriſti corruptus ſit, & argumenti vim ex ea voce petiti elevat, quod ſi nomen iſtud corruptionem neceſſario importaret, eadem de cauſa dicendus eſſet Spiritus-ſanctus fuiſſe corruptus, quia dicitur eſſe effuſus.

De S. Hilarii circa hoc caput mente.

HAC in parte uſque adeo difficilem ſe præbet Hilarius, ut peculiaris de ipſius mente diſſertatio inſtituenda ſit.

Erroris eum accuſarunt 1. Claudianus Mamertus *lib. 2. de ſtatu animæ cap. 9.* 2. Berengarius apud Lanfrancum *epiſt.* 50. 3. Joannes quidam Præpoſitus, ſcriptis ex profeſſo ſuper ea re ad Philippum Bonæ ſpei abbatem litteris. 4. Guillelmus Pariſienſis, qui tamen addebat, teſte S. Bonaventura *in 3. ſent. diſt. 16.* ſe librum Hilarii vidiſſe ac perlegiſſe in quo ſanctus doctor priorem ſententiam revocabat. 5. Baronius *ad annum* 563. *num.* 4. ut Eraſmum & Sculterum omittamus, qui ipſum pariter in eo erraſse arbitrantur, ut & Petavium *libro de Trin. cap.* 5.

At B. Hilarium contra non modo generatim commendant Gelaſius papa, Auguſtinus &c. non modo Hieronymus *epiſt. 7. ad Lætam* aſſerit, " Omnia ipſius opera. inoffenſo pede decurri " poſſe; ſed etiam quoad hoc caput ejus defenſionem ſuſceperunt 1. Lanfrancus *contra Berengarium* : 2. Philippus abbas Bonæ ſpei *contra Joannem Præpoſitum*: 3. Hunaldus ab iiſdem Philippo & Joanne controverſiæ delectus arbiter, ut videre eſt ex epiſtolis ultro citroque editis, quæ extant inter opera Philippi : 4. Petrus Lombardus 3. *ſent.* 5. S. Thomas 3. *parte, quæſt.* 15. 6. S. Bonaventura *in 3. diſt. 16. quæſt.* 1. 7. omnes paſſim theologi : 8. denique nuper monachi Benedictini in doctiſſima ad Hilarium *præfatione*.

AS-

A S S E R T I O.

Beatus Hilarius ſenſit Chriſtum per omnem vitam mortalem fuiſſe dolori, triſtitiæ, cæteriſque humanæ conditionis affectionibus obnoxium.

Probatur variis ex ipſo petitis teſtimoniis.

1. Enim *in pſal.* 53. *num.* 4. ita Chriſtum oraſſe docet, " Ut qui
„ omnia ſecundum hominem paſſus eſt, omnia ſecundum hominem &
„ loquatur, & quorum infirmitates portavit, eorum ad Deum depre-
„ cetur eloquio. " *Ibidem num.* 7. " Ut abſolutiſſimum nobis humanæ
„ humilitatis eſſet exemplum, omnia quæ hominum ſunt, oravit &
„ paſsus eſt : & ex communi noſtra infirmitate ſalutem ſibi eſt depre-
„ catus a Patre, ut nativitatem (id eſt naturam) noſtram cum ipſis
„ infirmitatis noſtræ iniiſse intelligeretur officiis. Hinc illud eſt quod
„ eſurivit, ſitivit, dormivit, laſsatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœ-
„ ſtus fuit, & flevit, & paſsus & mortuus eſt. " *Ibidem nu.* 8. " Po-
„ tentes animam ejus exquirunt, quæ frequenter in evangelio triſtis &
„ mœſta eſt.

In pſal. 54. *num.* 6. " Et hæc quidem in eum omnia, quæ noſtræ
„ neceſſitatis ſunt, irruerunt ; ſed ab eo naturæ ſuæ virtute ſuſcepta
„ ſunt, dum mortem noſtram, potens non mori, etiam timorem in ſe
„ mortis ingruentem non renuit. " *In pſal.* 57. *num.* 5. " Peccatorum
„ vim & dolorem ſignificari meminimus in ſpina, cum dicitur, in
„ ærumnam incidi, dum configitur ſpina.

In pſal. 68. *num.* 1. " Univerſarum itaque humanarum paſſionum ſor-
„ te perſunctus, ſecundum ſuſceptas infirmitates noſtras loquitur : &
„ dolet ipſe quidem extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris.
„ Sed his ſe tamen, quæ ſuſcepit accomodans : ut qui carnis noſtræ
„ homo natus eſset, & dolorum noſtrorum querelis, & infirmitatis no-
„ ſtræ precatione loqueretur.

Ibidem num. 23. " Percuſsus eſt, Dominus peccata noſtra ſuſcipiens
„ & pro nobis dolens . . . . Hunc igitur ita a Deo percuſsum perſe-
„ cuti ſunt, ſuper dolorem vulnerum dolorem perſecutionis hujus ad-
„ dentes. Pro nobis enim ſecundum prophetam dolet.

Ibidem num. 25. " Pauper eſt (Chriſtus,) qui ſecundum apoſtolum,
„ cum eſset omnium dives, ſeipſum, ut nos diteſceremus, pauperta-
„ vit : dolens eſt, qui ſecundum prophetam pro nobis dolet : ſed hunc
„ pauperem & dolentem ſalus ea quæ vultus Dei eſt, ſuſcepit.

In pſal. 139. *num.* 11. exponens cur trepidans ſimul & ſecura fuerit Chriſti oratio, " Hoc autem, inquit, ab eo dici ex ratione poterit, qui
„ gerens hominis Deique naturam, habeat & ex hominis infirmitate
„ trepidationis affectum, & ex conſcientia divinitatis fiduciam ſecuri-
„ tatis.

In

In psal. 141. *num.* 1. causam afferens cur Christus tam frequenter oraverit, & in tribulatione ad Deum clamaverit, id ab ipso factum esse pronunciat, " Ut affectum hominis, quem gerebat, ostenderet, ... „ ut . . . & ipse non simulatus homo, sed verus posset intelligi.

Atque hæc quidem *in psalmos*; sed cum in eo opere Petavius putet id esse ab Hilario non emollitum duntaxat, sed etiam revocatum, quod ante in libris *de Trinitate* docuerat; ex his ipsis *de Trinitate* libris nonnulla delibanda sunt, ut pateat ipsum ejusdem semper sententiæ fuisse.

Libro itaque 3. *num.* 10. " A cunis & infantia, inquit, usque ad „ consummatum venerat virum per somnum, famem, sitim, lassitudi„ nem, lacrymas, hominem egerat.

Libro 6. num. 25. " Neminem, inquit, tam alienum a communi sen„ su existimo esse, ut cum . . . . ex professione filii assumptionem cor„ poreæ humilitatis intelligat, cum ait . . . . *Nunc anima mea turbata* „ *est valde*, tamen &c.

Libro 9. ad finem, explicans qua ratione Christus dixerit se nescire diem judicii, " Non ergo, inquit, quia nescire diem & momentum „ Filius dicit, nescire credendus est: sicuti neque cum secundum ho„ minem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut „ lacrymis, aut timori, aut somno est confitendus; sed salva unigeni„ ti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, fletum, somnum, „ inediam, sitim, lassitudinem, metum (passus esse) pari necesse est „ secundum hominem natura, diei atque horæ professus esse intelliga„ tur inscientiam.

Libro 10. *num.* 36 " Qui, inquit, non propter mortem, sed usque „ ad mortem tristis est, quærendum est unde sit tristis.

Ibidem num. 48. Triumphus est . . . . secundum hominem pro nobis „ infirma omnia pati; sed secundum Deum in his omnibus trium„ phare.

Ibidem, *num.* 54. " Vagit infans. " *Num.* 56. " Flevit & doluit.

Ibidem, *num.* 62. " Habes, inquit, in conquerente ad mortem se re„ lictum esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem „ se in paradiso regnare, quia Deus est.

Ibidem, *num.* 63. addit " Christum non sibi flere; sed nobis, ut as„ sumpti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudi„ nis susceptus protestaretur.

Ibidem, *num.* 67. " Passus quidem est unigenitus Deus, quæ homines pati possunt.

Nihil sane hic deest eorum quæ ad rectam fidem possunt desiderari. 1. Enim prædicat eum secundum hominem, hoc est, more cæterorum hominum fuisse infirmum: 2. eum passum reipsa esse: 3. non naturalibus modo affectionibus, id est, fami, siti, lassitudini & aliis id genus obnoxium fuisse, sed & lacrymis, tristitiæ, animæ conturbationi, timori, dolori, vagitui, querelis &c. denique ne qua exceptio fieret, uni-

universarum passionum sorte fuisse persunctum, & ab eo susceptas esse nostras infirmitates.

OBJECTIONES.

Objicies. Multa sunt loca in quibus Hilarius omnem doloris sensum a Christo removet.

Capite enim 31. *in Matth. num.* 5. contendit Christum non fuisse tristitia affectum propter mortem: " Ait (Christus) inquit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Nunquid ait .... propter mortem? certe non ita.

Ibidem, *num.* 7. explicans hæc verba: *Transeat a me calix iste*, "Transire, inquit, a se calicem rogat: nunquid ait, Transeat me calix „ iste? Hæc enim futura erat pro se timentis oratio. Sed aliud est, „ ut se transeat; aliud ut a se transeat deprecari .... Totus igitur „ super his, qui passuri erant metus est. .... Pro his rogat dicens, „ *Transeat calix a me:* id est, Quomodo a me bibitur, ita ab his bi„ batur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.

Libro autem 10. *de Trin. num.* 23. " Homo itaque Jesus-Christus, „ inquit, propter carnem & Verbum ut hominis filius, ita & Dei fi„ lius, hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non „ deficiens a se Deo, sumpsit: in quo quamvis aut ictus incideret, aut „ vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, „ afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passio„ nis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans aut ignem com„ pungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ „ suæ infert ut perforet, ut compungat, ut vulneret; sed naturam „ suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel „ aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari, quamvis natu„ ræ teli sit & vulnerare & compungere & forare. Passus quidem est „ Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum cruci„ figitur, dum moritur; sed in corpus Domini irruens passio non fuit „ passio; nec tamen naturam passionis exeruit, dum & pœnali ministe„ rio desæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se de„ sævientis excepit. Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri „ naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & su„ per fluctus eat, ... penetret etiam solida, nec clausæ domus obsta„ culis arceatur ... Quid per naturam humani corporis conceptam ex „ spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est, panis ille de cœlis est, „ & homo ille de Deo est; habens ad patiendum quidem corpus, & „ passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Naturæ enim pro„ priæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam conformatur „ in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo format „ oculos.

Ibi-

Ibidem, *num.* 24. " Neque enim tum cum sitivit, aut esuriit, aut flevit, bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est.

Ibidem, *num.* 25. " Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens &c.

Ibidem, *num.* 35. " Non ambiguum est, inquit, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse; cui in virtute naturæ fuerit omnem corporum depellere infirmitatem, & passionem illam, licet illata corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse. Quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti virgo progenuit.

Ibidem num. 47. " Fallitur humanæ æstimationis opinio putans hunc dolere quod patitur: . . . & pro nobis dolet, non & doloris nostri dolet sensu: quia & habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi: dum & ut hominis habitus est, & origo non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus-sancti &c.

Ergo Christus dolori subditus non fuit.

Respondeo 1. eorum, qui in explicando Hilario laborarunt, non unam esse illius exponendi, & ab errore vindicandi rationem.

1. Enim de divinitate ipsa Christi hic agere S. Hilarium, & ab ea duntaxat omnem dolorem ac infirmitatem removere voluisse, censuerunt quondam aliqui, de quo S. Bonaventura *supra*: & ipsum hac præsertim ratione excusandum arbitrantur monachi Benedictini *in sua ad illum præfatione*.

2. De natura humana Christi Hilarium cæteri acceperunt: sed secum invicem illi non concordant. Philippus enim abbas Bonæ-spei dolendi necessitatem ab eo duntaxat excludi credidit vi ipsius originis; quasi nempe, cum Christus ab omni labe immunis semper fuerit, eo ipso doloris omnis vacuus pro jure suo esse deberet. Petrus autem Lombardus putavit ab eo solum submoveri doloris causam ac meritum, quasi Hilarius pugnaverit tantum ut evinceret nullum in Christo extitisse meritum, nullam causam, cur eum pati oporteret.

Respondeo 2. si promendum sit nostrum de eo judicium, non videri Hilarium hic de una sollicitum esse divinitate, ita ut ab ea sola, non vero ab humana natura dolorem sejungeret. Etsi enim divinitas Christi & stolida Arianorum de ea opinio causam & occasionem quæstioni dedit, longius progressus est sanctus doctor, & a Christo non tantum ut Deo, sed etiam ut homine dolendi naturam removit. Nam eatenus ait Christum non doluisse, quatenus tamen in eum ictus incidebat, aut perforari poterat & vulnerari. At sane Christi divinitas, nec patebat ictibus, nec vulnerari poterat, nec perforari: proinde in divinitate non hæsit B. Hilarius.

„ larius. Et vero conceptis verbis afferit. " Virtutem ipsam corporis „ sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepisse. " Denique hanc non dolendi causam in Christo repetit passim ex ejus singulari de Spiritu-sancto conceptu, & ab omni culpa immunitate. Atqui id de divinitate intelligi non potest, sed in solam humanitatem cadit, quæ una de Spiritu-sancto concepta est. Ergo de sola divinitate hic non loquitur S. Hilarius.

Quapropter nostra quidem sententia plura simul conjungenda sunt ad illius mentem omni ex parte percipiendam, quæ obscurissima est. Ac 1. quidem juxta B. Hilarium Christus ut Deus propter naturæ divinæ conditionem nullatenus dolere potuit nec pati. 2. Christus ut homo, sed homo Deus, propter arctam utriusque naturæ conjunctionem, etiam corpore dolere non debuit, nec ex natura sua doluit, ut pote quod vi istius nexus gauderet omnibus corporis gloriosi dotibus, quas vellet, & quatenus vellet: imo etiam majoribus, v. g: miraculorum patrandorum facultate. 3. Si corpus Christi spectetur etiam seorsum ab illa hypostatica conjunctione, illud propter singularem conceptus sui rationem ex virgine, & omnimodam a peccatis immunitatem juxta eumdem sanctum doctorem dolere non oportuit, licet tamen pati, id est pungi & perforari posset, adeo ut non secus ac Adam innoxius dolorem ex nulla re quantumvis noxia invitus capere cogeretur: quanto minus ergo dolorem illum intolerandum & obruentem quo nos in peccati pœnam aliquando opprimimur. 4. Adjecit insuper Hilarius Christum in omnibus Scripturæ locis, quæ maxime ab Arianis objiciebantur, ut ex ipsius infirmitate ostenderent ipsum non esse Deum, adjecit, inquam, Christum in his ipsis locis non propter se sibique imminentia mala dolere; sed propter futura, quæ prævidebat, discipulorum pericula; ita ut non sui, sed aliorum duntaxat causa; non infirmitate, sed benevolentia doluerit. Quæ quidem interpretatio (licet non ita communis, nec evangelistarum menti satis consentanea esse videatur) causæ ab Hilario susceptæ necessitati, & ipsius ardenti Arianis repugnandi studio condonanda est.

Primo itaque B. Hilarius omnem dolendi facultatem ex professo & ipso disputationis suæ scopo, submovet a Christi divinitate, cum *lib.* 10. *de Trinitate*, tum *cap.* 31, *in Matth. num.* 2.

Secundo dolendi naturam abjudicat Christi corpori ex ipsis hypostaticæ cum Verbo unionis juribus *eodem lib.* 10. *de Trin. num.* 23. cum ait *supra*, " Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri natu„ ram, si corpus nostrum id naturæ habet ut calcet undas & super flu„ ctus eat, penetret etiam solida .... Naturæ enim propriæ ac suæ „ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam conformatur in monte. „ Eadem de causa *num.* 24. Christum quidem flevisse, esurisse & sitisse agnoscit; sed quia id Christus præter naturam corporis Deo conjuncti „ voluerat, id vocat " Fletus, esuritionis & sitis sacramentum; "non

ad

Jam vero ut iſta ſingula reſumamus, & ea reducamus ad ſolitam ſcholæ formam, Diſtinguo conſequens : Hilarius ſenſit Chriſtum dolori non ſubjacuiſſe quoad divinitatem ; concedo : quoad humanitatem ei conjunctam ; ſubdiſtinguo : non ſubjacuiſse, ſi ſpectentur jura hypoſtaticæ conjunctionis, & naturalia ipſius conſectaria ; concedo : ſi ſpectetur ipſius carnis conditio ſeorſim ; iterum ſubdiſtinguo : dolori non ſubjacuiſſe ex neceſſitate & ex vi ipſa ictuum, propter ſuam ab omni etiam originis labe immunitatem ; concedo : non ſubjacuiſse ſaltem ex voluntate ; iterum ſubdiſtinguo : dolori non ſubjacuiſſe, ſui cauſa & ob imminentia ſibi mala ; concedo : diſcipulorum & malorum ipſis imminentium cauſa ; iterum ſubdiſtinguo : non ſubjacuiſse dolori obruenti ; concedo : ſimpliciter ; nego. Detur quæſo tot diſtinctionibus venia. Has autem omnes ſimul eſse jungendas duximus, ut ſub oculis tota ſimul de hoc capite Hilarii doctrina poneretur.

Ex his vero jam facile eſt intelligere, 1. cur v. g. *cap. 31. in Matth. num. 5. & 7.* verba iſta : *Triſtis eſt anima mea* &c. Et *Tranſeat a me calix*, de diſcipulis Chriſti interpretetur. 2. Cur *lib. 10. de Trin. num. 23.* dicat ictus quidem in Chriſti corpus incidere potuiſſe ; ſed tamen dolorem non potuiſse inferre, non magis quam ſi telum aquam perfoderet, quia videlicet juxta ipſius mentem, Chriſti quidem corpus ex natura ſua dividi & vulnerari poterat, ſed horum ictuum vi percuſsum non idcirco dolorem neceſsario trajiciebat in animam, ut pote quæ dolorem, ſi quem caperet, non ex ictuum impetu, ſed ex propria voluntate ſuſciperet : adeo ut virtus illa eximia corporis, derivata ex illius cum Verbo conjunctione, & Chriſti ab omni etiam originis peccato immunitate, vim quidem pœnæ in ſe deſævientis, id eſt ictuum in ſe irruentium violentiam exciperet, ſed ſine ullo pœnæ ſenſu, quandiu vellet.

Quæ profecto ſi bene capiantur, nullus jam erit difficultati locus.

CAPUT VI.

De Chriſti ſanguine.

DUo hic in controverſiam vocari queunt.

Primum eſt, an Chriſtus una cum corpore ſanguinem aſsumpſerit : alterum, an etiamnum in cœlo ſanguinem habeat. De primo nulla eſse poteſt difficultas : ſed de altero litem movent recentiores hæretici. Oſiander enim Lutheri diſcipulus, primus negare auſus eſt corpus Chriſti nunc eſse ſanguine præditum. Ab ea opinione non multum receſſit Calvinus, quam in dubio reliquit Albertinus *lib. 1. de Euchariſtia*. Eos ſecuti ſunt poſtmodum ex eadem ſecta miniſtri, Dallæus, Delaroque & Alix ; in eam rem allegato Auguſtino *epiſt. 205. ad Conſentium*.

A S-

ASSERTIO I.

CHRISTUS non modo corpus humanum, sed etiam sanguinem assumpsit.

PROBATUR ex Scripturis, ubi illud disertissime asseritur. Hebr. 2. 14. *Quia ergo pueri*, inquit Apostolus, *communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Certe inter obeunda prædicationis munera Christus sui sanguinis mentionem facit, *Joan. 6.* 52. ut & in ultima cœna *Matth. 26. 26.* &c. Eumdem sanguinem fudisse, eoque nos redemisse dicitur *Act.* 20. 28. *Rom.* 3. 25. *Ephes.* 1. 7. *Coloss.* 1. 14. *Hebr.* 9. 1. *Petri* 1. 2. & 19. *Apoc.* 7. &c.

ASSERTIO II.

NE nunc quidem exangue est corpus Christi.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Apostolus enim *Hebr.* 9. asserit Christum *per proprium sanguinem*, hoc est cum proprio sanguine *introisse in sancta* seu in cœlum; quod etiam ex Christi cum summo Judæorum pontifice, & cœli cum sancto sanctorum instituta comparatione evidenter consequitur. Ut enim summus pontifex primo fundebat victimæ sanguinem extra sancta sanctorum; deinde vero hunc ipsum sanguinem in eadem sancta sanctorum inferebat, ut peccatorum remissionem & beneficia a Deo impetraret; ita Christus primo in terra sanguinem suum pro nobis fudit; deinde vero hunc ipsum sanguinem in cœlum inferre debuit.

PROBATUR 2. ex instituto a Christo venerabilis Eucharistiæ sacramento. Hoc enim sacramentum in futura etiam post Christi resurrectionem secula institutum est. At illud idem sacramentum Christum continet, ut nunc est: continet autem ipsius corpus simul & sanguinem. Ergo.

PROBATUR 3. omnium Patrum consensione; Clementis Alexandrini *lib.* 2. *pædag. cap.* 2. Athanasii *epist. ad Epictetum*; Gregorii Nazianzeni *orat.* 42. &c.

PROBATUR 4. ratione theologica. Vulgatissimum enim illud est in scholis adagium, Quod semel assumpsit Christus, id nunquam amisit. Atqui mox probavimus a Christo fuisse assumptum sanguinem. Ergo.

SECTIO III.

De anima Christi.

CAPUT I.

An in Christo fuerit anima humana.

DUPLEX circa id error fuit.

Primus est Arianorum, qui animam nostris similem in Christo non

non agnoscebant, sed quamdam animæ loco divinitatem inferioris ordinis, de quo *supra*.

Secundus Apollinaristarum ab Apollinario Laodiceno, qui primo vir maximi in Ecclesia nominis fuit, ac deinde pestilentis hæreseos auctor, ita dictorum. Is autem error varios gradus habuit. 1. Enim Apollinaristæ docuerunt Verbum divinum animæ vices in Christo supplevisse, ita ut caro cum Verbo in unam naturam coalesceret. Sed postea, cum ipsos istius amentiæ puduisset, eo conversi sunt ascito Platonis dogmate animam a mente dividentis, ut dicerent animam quidem assumptam esse a Verbo; sed animam illam fuisse mentis expertem; ita ut Verbum divinum loco mentis foret in Christo. De quo post veteres Petavius *lib. 1. de Incarnatione*.

ASSERTIO.

Anima a Christo assumpta est.

Probatur 1. ex Scripturis, *Psalmo* enim 15. *v.* 10. qui ad Christum refertur, *Act.* 2. 31. & 13. 35. Jesus Patrem alloquens, *Non derelinques*, inquit, *animam meam in inferno*. Isaiæ 53. 10. Pater de filio verba faciens, *Si*, inquit, *posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum*. Joannis vero 10. 17. Christus ipse mortem futuram annuncians, *Ego*, inquit, *pono animam meam, ut iterum sumam eam*.

Probatur 2. auctoritate conciliorum ac Patrum, non ita pridem in eam rem contra Arianos allegatorum, ubi de corpore Christi doloribus obnoxio egimus.

Probatur 3. ratione. Si enim Christus anima non fuisset instructus, nec pati, nec dolere, nec tristis esse potuisset. Atqui, ut *supra* probavimus, iis omnibus obnoxius fuit Christus.

CAPUT II.

An anima Christi mentem habuerit sibi propriam.

ASSERTIO.

Anima Christi propriam mentem habuit.

Probatur 1. ex Scripturis. 1. enim Lucæ 2. 52. dicitur *ætate & sapientia profecisse*. At illud mentem humanam arguit. Neque enim id in animam mentis expertem competere potest, ut nec in divinitatem. 2. Isaiæ 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini*, inquit, *spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii*. At ea pertinent ad mentem. 3. Ad Coloss. 2. 3. *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*.

Probatur 2. conciliorum, quæ Apollinaristarum impietatem damnarunt,

narunt, judicio: Alexandrini anno 362. cujus *synodicam ad Antiochenos* refert Athanasius; Romani sub Damaso anno 373. in quo lata est depositionis sententia in Apollinarium, & Timotheum quendam inter ipsius asseclas notissimum; Antiocheni anno 378. de quo Theodoretus *lib. 5. histor. cap. 9.* Constantinopolitani I. cujus ea de re decretum commemorant idem Theodoretus, & Justinianus *in edicto contra tria capitula.*

PROBATUR 3. consensione Patrum, cum antiquiorum, v. gr. Tertulliani *de carne Christi*, *& de resurrectione*; Origenis *lib. 6. contra Celsum* &c. tum æqualium Apollinario aut ipsi supparium, qui miserabilem ejus lapsum notarunt, aut hæresim refellerunt, verbi g. Sancti Athanasii *in epist. syn. ad Antiochenos*; Sancti Basilii *epistola* 74. Sancti Gregorii Nazianzeni *epist. ad Nectarium*, *& ad Cledonium*; Theophili Alexandrini *paschali* 1. Sancti Epiphanii *heresi* 77. *&* 78. &c.

PROBATUR 4. ratione. Is enim vera mente instructus fuit, qui verus homo fuit, & humanam voluntatem habuit. Atqui Christus verus homo fuit, ut antea demonstravimus, & voluntatem humanam habuit, ut mox ostendemus. Ergo.

CAPUT III.

An anima Christi peculiarem sibi operationem habuerit ac voluntatem, & an duplex fuerit voluntas & operatio in Christo.

TRIA in hoc capite exequemur. 1. Enim referemus historiam Monothelitarum: 2. dogma catholicum astruemus. 3. de Honorii summi pontificis mente ac damnatione disputabimus.

De Heresi Monothelitarum.

MONOTHELITARUM error in eo positus, quod unam in Christo voluntatem agnoscerent, unamque operationem, ex Eutychianorum impietate quasi radice pullulavit, & Ecclesiam dirum in modum turbavit ab anno 630. usque ad 680.

Novæ hujus amentiæ princeps extitit Athanasius quidam patriarcha Eutychianorum, qui in Syria Armeniaque erant, *Jacobitæ* vulgo nominati, a Jacobo quodam Syro obscurissimi quidem generis homine, sed audaciæ summæ, qui populares suos eo furoris adduxit, ut synodum Chalcedonensem, & imperatorum eam probantium edicta procaciter abjicerent, catholicosque harum regionum sibi oppositos *Melchitarum* seu *Imperatoriorum* nomine ad invidiam traducerent. In hunc igitur Athanasium, qui & ipse natione Syrus erat, & mira calliditate, cum forte Hierapoli incidisset Heraclius imperator, post devictum Cosroen im-

imperii provincias lustrans ac componens, eique pollicitus esset Antiochenam sedem, si duas cum ecclesia catholica naturas in Christo admitteret; statim annuit Athanasius: sed quasi aliud agendo ab imperatore vicissim sciscitatus est, an duas simul in Christo voluntates, & operationes dici oporteret? Hæsit Heraclius, & super ea quæstione sententiam rogavit Sergii Constantinopolitani antistitis, qui (eadem gente prognatus, & eodem imbutus errore, quem animo nunquam exuerat: quantumlibet se extrinsecus catholicum præferret) labantem jam ac dubium imperatorem in præceps impulit.

Utrique se adjunxere ad fallendum & ludificandum Heraclium Theodorus Pharanites homo versipellis, & Cyrus Phasidis primo in Cholchide episcopus, deinde vero Alexandrinus patriarcha, qui primus inter præsules palam ac publice hæresim profiteri ausus est decreto promulgato, in quo una Christi operatio sub anathematis pœna credenda proponebatur.

Contra hanc impietatem reclamavit illico Sophronius monachus vir egregius, qui cum diu frustra obstitisset, Constantinopolim profectus ad Sergium, id effecit 1. ut hæc quæstio in utramque partem silentio premeretur. Brevi autem postea factus Hierosolymitanus præsul, cum latius malum serperet, classicum cecinit adversus Monothelitas, missis tum ad Sergium Constantinopolitanum litteris, in quibus duas operationes astruit, tum aliis ad Honorium Papam, in quibus eum emergentis hæreseos admonet, ut eam auctoritate sua comprimeret. Ad eumdem Honorium per id temporis scripsit quoque Sergius, specie quidem tenus pacis conciliatorem agens, sed ita tamen ut in unius voluntatis assertores inclinans, aliis invidiam faceret, quasi nempe, cum duas in Christo voluntates confiterentur, duas in eum humanas voluntates sibi invicem contrarias, quales ex peccato nobis insunt, imprudenter inveherent, auctorque pontifici fuit, ut a duarum voluntatum perinde ac unius professione utrimque abstinendum esse decerneret. Dolum non sensit Honorius, & secundum Sergii vota incautus respondit.

Sic undequaque in errore confirmatus Heraclius ecthesim approbante Sergio, renitentibus autem admodum ecclesiæ Romanæ legatis, Constantinopoli proposuit anno *639.* quæ Monothelitis clanculum favens, id unum tamen exerte statuebat, ne quis unam aut duas in Christo voluntates, & operationes nominaret.

Heraclio interim mortuo successit Constantinus ejus filius, catholicæ fidei studiosus princeps, Constantino Heracleonas ejus frater; Heracleonæ Constans Constantini filius, qui Heraclio quam patri similis esse malens, typum famosum edidit, in quo duarum voluntatum non minus quam unius professionem damnabat.

Sergium autem Constantinopolitanum Pyrrhus excepit in Africam a Constante relegatus, & ab eruditissimo juxta ac sanctissimo monacho ac postmodum martyre nomine Maximo, erroris convictus; Pyrrhum autem

S 2 Pau-

Paulus, qui Constanti suasit ut typum ederet. Ita tres ex eadem secta Constantinopolitani antistites continua serie extiterunt. Post eos Ecclesiam Constantinopolitanam rexit Theodorus, vir dubiæ fidei, qui cum e sede sua exturbatus esset, in eam postmodum restitutus fuit.

Jam vero summo pontifici Honorio successit Severinus; Severino Joannes IV. qui ad Constantinum scripsit in gratiam Honorii pontificis, qui hæreseos & initæ cum hæreticis societatis accusabatur; Joanni Theodorus, qui Pyrrhum ad meliorem frugem a Maximo conversum in communionem primo recepit Romæ, dein autem in impietatem relapsum, ob perfidiam abdicavit; Theodoro denique Martinus I. qui coacta Lateranensi prima synodo ex 105. episcopis, tam ecthesim Heraclii, quam typum Constantis, nec non & primarios hæreticorum duces Theodorum Pharanitem, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos antistites proscripsit: quo facto ita commovit imperatoris animum, ut ab eo Constantinopolim accitus & indignis modis habitus, ejectus demum fuerit Chersonam, ubi post quatuor exilii menses, martyr clarissimus occubuit.

Constantem paulo post interemptum excepit Constantinus alter, Pogonatus dictus, seu Barbatus, & Martinum Agatho, qui communicatis ad constituendam Ecclesiæ pacem consiliis, concilium generale VI. indixerunt, quo hæresis Monothelitarum profligata est anno 680. damnatis præcipuis ejus ducibus, quos inter Honorii Papæ nomen legitur.

Cæterum ut isthæc hæresis penitus intelligatur, duo observanda sunt.

Primum est, nomine operationis ac voluntatis, non actum aut facultatem ab iis designari consuevisse, sed utrumque simul, ita ut operationis vox latius pateat, quam voluntatis, utpote cum operatio quamlibet agendi facultatem, & quodlibet opus complectatur: voluntas autem certum duntaxat operationis, & facultatis genus significet.

Alterum est, de hujus unius voluntatis, & operationis intellectu non convenisse inter Monothelitas, quamvis omnes idem præ se ferrent: alii enim non nisi humanam in Christo agendi potestatem admittebant: alii contra ab humana natura omnem penitus agendi facultatem auferebant; & ii erant eruditiores Monothelitæ ac genuina eorum Eutychianorum propago, qui naturam humanam in ipsa conjunctione a divina absorptam esse arbitrati sunt: alii facultates humanas remansisse autumabat; sed veluti mortuas, & quæ sese non moverent, sed instrumenti ad instar a divina voluntate ad quælibet impellerentur; unde una utriusque naturæ operatio evidenter consequitur: alii demum duas revera in Christo operationes duasque voluntates agendi capaces esse opinabantur; sed ex iis duabus unam compositam conflari volebant, quo fere modo Eu-

Eutychiani plures, ii nempe, qui tolerabilius errabant, olim statuerunt ex duabus naturis humana, & divina, unam exurgere compositam, ut in homine fit ex corpore & anima.

Quocirca Monothelitæ errorum suorum primi architecti non fuerunt; sed eos ab Eutychianis, Apollinaristis, & Arianis hauserunt: qui licet non una eademque ratione inducti, attamen omnes in prædicanda una Christi voluntate consentiebant. Iis vero præluserat Bero quidam III. seculo, cujus impietatem pro merito castigaverat Hippolytus martyr, ut videre est *in Anastasii bibliothecarii collectaneis*.

Quid de duplici Christi voluntate sit sentiendum.

ASSERTIO.

Duplex in Christo voluntas & operatio agnoscenda est.

ARGUMENTA.

Probatur 1. ex Scripturis. Ille enim humanam, & earumdem nobiscum affectionum & operationum capacem voluntatem habuit, qui voluntatem habuit distinctam a voluntate Patris, mala imminentia formidantem, tristem in adversis, & Deo subditam. Hæc enim & similia in divinam ipsius & communem cum Patre voluntatem non cadunt. Atqui Christus 1. voluntatem habuit a Patris voluntate distinctam: Matth. 26. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; veruntamen, non sicut ego volo, sed sicut tu*. Lucæ 22. 42. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Joan. 6. 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. 2. Voluntatem habuit mala sibi imminentia formidantem: Marci 14. 33. *Cœpit pavere & tædere*. 3. Cum ad Lazari sepulchrum venisset, Joann. cap. 11. vers. 33. *Infremuit spiritu & turbavit se ipsum*. 4. Voluntatem habuit sese divinæ subjicientem, *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*. Psal. cap. 39. 9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui*, &c.

Probatur 2. Ecclesiæ judicio & synodorum auctoritate. Simul enim exorta hæc hæresis, cum in variis minoribus conciliis, tum in VI. generali proscripta est. Quam quidem sententiam universa deinceps Ecclesia amplexa est & secuta.

Probatur 3. ex Patribus.

Hippolytus enim Portuensis *in expositione Psalm.* 2. apud Theodoretum, *dial.* 2. " Nam hominem quidem ipsius, inquit, facile est intelligere cum esurit, lassatur, fatigatus sit & metuens fugit, & orans „ tristatur. " *Fragmento* autem 1. *adversus Beronem*, " Dei Verbum, „ inquit, vere ut nos caro factum, humanitus operatum est, & passum

„ quæcunque naturæ sunt absque peccato . . . . Deum infinitum simul „ & circumscriptum hominem se esse intelligi significans , . & habere „ perfectam singulorum substantiam cum operatione ipsa . " *Fragmento* autem 5. Beronem notat, quod Valentini phantasmate relicto , in majorem pravitatem incurrerit, dicens assumptam a Verbo carnem, " Ejusdem esse cum divinitate operationis.

Athanasius *de adventu Verbi*, " Cum dicit Christus , inquit , *Pater si „ fieri potest , transeat a me calix iste ; verumtamen non mea voluntas, sed „ tua fiat : & Spiritus quidem promptus est ; caro autem infirma*; duas hic „ voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quæ carnis est propria ; „ alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem , mortem „ deprecatur ; divina vero ipsius est prompta.

Gregorius Nyssenus *in libro adversus Apollinarium* in eadem verba , " Quoniam igitur, inquit, alia est voluntas humana, alia divina tanquam „ ex natura hominis sic loquitur.

Ambrosius *lib. 2. de fide*, eadem verba expendens , " Una ergo voluntas , inquit , ubi una operatio ; . . . . sed alia voluntas ho„ minis , alia Dei . . . . . suscepit voluntatem meam , suscepit tristi„ tiam meam.

Chrysostomus *in hunc locum*, " Ac propriam quidem, inquit, habere se „ voluntatem significat manifeste, sed ubique paternam voluntatem ante„ ponit suæ.

Augustinus *in eumdem*, " Hæc humana voluntas erat, inquit, proprium „ aliquid, & tanquam privatum volens.

Alios addere superfluum foret, cum omnes in eamdem doctrinam conspirent.

Probatur 4. multiplici ratione . 1. Enim unaquæque natura propriam habet operationem : humana autem non potest non habere propriam sibi voluntatem . Atqui juxta Monothelitas ipsos vera erat in Christo natura humana. Ergo. 2. Ut aiunt post Gregorium Nazianzenum & Joannem Damascenum , theologi , Illud est a Verbo assumptum , quod ab eo curatum est . Atqui Christus ad curandam hominis voluntatem, maxime venit , utpote quæ curatione potissimum indigeret . Ergo voluntatem humanam assumpsit . 3. Nihil unquam mereri potuisset Christus nec sibi nec nobis , si voluntate & libertate præditus non fuisset. Ergo.

Quin etiam necesse est triplicem quodammodo in Christo admitti voluntatem. Licet enim voluntas humana in Christo proprie fuerit; attamen duplex vulgo humana in eo voluntas distinguitur, naturalis una & inferior, altera superior & rationalis.

OB-

OBJECTIONES.

Objicies 1. Operatio sequitur personam. Atqui in Christo una est persona. Ergo & una operatio.

Nego majorem. Operatio enim sequitur potius naturam, quam personam: cum natura principium sit motus, & quietis ejus in quo est; hypostasis vero per se sit iners ac minime actuosa: hinc est quod ibi unica sit operatio, ubi unica est natura, licet aliunde sin ibi tres personæ; nimirum in Deo, ut acute observat S.Maximus martyr & post eum Agatho summus pontifex, & Joannes Damascenus. Ergo sicuti una operatio est, ubi una duntaxat natura reperitur, quamvis alioqui triplex sit persona; ita duplex operatio esse debet, ubi duplex est natura, licet aliunde unica sit persona.

Instabis. Actiones sunt suppositorum. Ergo actio sequitur personam.

Distinguo antecedens: actiones sunt suppositorum attributione & nominatione; concedo; influxu; nego. De quo philosophi.

Objicies 2. Non potest in Christo propria & humana voluntas elici ex his verbis, *Transeat a me calix iste*, quin simul in ipsum inferatur voluntas divinæ non consentiens. Atqui istud Christo indignum est. Ergo.

Nego majorem. Cum enim duplex in Christo voluntas humana insederit, superior nempe & inferior, neutra cum divina pugnavit, sive cum mortem aversatus est, sive cum ei se subjecit. Nedum enim pars inferior resistat Deo, cum mortem fugit, ad eum contra se conformat, qui illi vivendi cupiditatem, & mortis metum indidit: proinde utraque ex parte divinis legibus obtemperavit Christus, sive cum mortem naturali instinctu deprecatus est parte sui inferiore, sive cum eam superiore sui parte, & efficaci voluntate juxta Dei præceptum admisit.

Objicies 3. Instrumentum nullam habet propriam actionem aut voluntatem. Atqui humana natura a bene multis Patribus dicitur *instrumentum divinitatis*. Ergo.

Distinguo majorem: instrumentum inanime; concedo: animatum; nego. Brutæ enim animantes sunt hominum instrumenta, & servus dicitur ab Aristotele esse heri sui instrumentum. Atqui non idcirco brutæ animantes sua destituuntur operatione, aut servus propria voluntate, licet eam ad heri nutum ac voluntatem accommodet. Ergo nec humana natura ideo propriæ voluntatis expers erit.

Objicies 4. S.Athanasius in libro *de salutari adventu Christi* ita ait: „Genitus est ex virgine (Christus) prima ex creatione humanam sibi formam excitans, exhibita carne sua sine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis in imagine novitatis; siquidem divinitatis solius voluntas fuit." Ergo una fuit in Christo voluntas, nempe divina.

 Di-

DISTINGUO consequens : una, quæ regnaret, & omnem aliam culpabilem, qualis in nobis est, excludens; concedo: omnem aliam, etiam naturalem aut rationalem, eamque innoxiam, & divinæ plane subjectam excludens; nego. Ita Theophanes *act.*8. *synodi* IV. ubi asserit Athanasium a Christo duntaxat amandare voluntates pravas ex peccato natas & ad peccatum inclinantes, quas ideo *carnales* appellat.

OBJICIES 5. Gregorius Nazianzenus *orat.* 36. ait Christi voluntatem non fuisse Deo contrariam, ut pote totam deificatam. Ergo nulla erat in Christo humana voluntas.

NEGO consequentiam. Ut enim optime animadvertunt Maximus martyr & Basilius Gortinensis in VI. synodo, id humanam voluntatem arguit, nedum perimat. Si enim in Christo sit quædam voluntas divinæ non contraria, sed deificata, ea humana profecto est. 1. Enim divina non posset dici deificata. 2. De divina non nisi absurde quis pronunciaret eam non esse Deo contrariam. Ergo &c.

OBJICIES 6. Gregorius Nyssenus *in Eunomium* scribens, *in actis* VI. *synodi*, *actione* 12. " Divinitas, inquit, per corpus, quod induit, ho-
„ minum omnium revera salutem operatur, ut propria carnis sit per-
„ pessio, Dei autem operatio. Ergo nulla est humanæ voluntatis ope-
„ ratio.

DISTINGUO antecedens : Dei autem operatio maxima ex parte, & præsertim quoad valorem ac pretium redemptionis; concedo : quasi homo nihil operatus omnino fuerit; nego : Hæc ergo Gregorii Nysseni verba non absolute, sed comparate, ut loquuntur, intelligenda sunt. Deus enim revera præcipuas partes habuit in salutis nostræ negotio. Omnia enim opera naturæ humanæ una cum ipsa operatus est, & iis insuper congruam dignitatem addidit : sed humana tamen natura iners non fuit & otiosa. Nihil enim mereri potuisset. Adde quod patiendo agat homo &c.

OBJICIES 7. Cyrillus *lib.* 4. *in Joannem*, affirmat Christum " Unam
„ quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse. "
Ergo.

DISTINGUO antecedens : unam operationem, idest unum opus, unum effectum; concedo : unam actionem; nego. De miraculis enim sermonem habet, quæ a divina simul & humana natura proficiscebantur.

OBJICIES 8. Dionysius, vulgo Areopagita, *in epist.* 4. *ad Cajum*, "
„ Ab Incarnationis tempore, inquit, non secundum Deum divina gessit Christus; nec humana secundum hominem : verum Deo viro facto novam quamdam theandricam seu Dei-virilem operationem expressit in vita. " Ergo unica fuit in Christo operatio, ut inde colligebat Cyrus Alexandrinus patriarcha *in decreto suo cap.* 7. & alii vulgo Monothelitæ, qui ex hoc Dionysii loco maxime pendebant.

DISTINGUO antecedens : novam quamdam operationem Dei-virilem, id est novum quoddam operandi genus ac modum; concedo : id est, unam

unam quamdam actionem communem Deo simul & homini; nego. Cum de hac Dionysii locutione olim extiterint maxima certamina; notandum est 1. adulteratum fuisse a Cyro ac reliquis fere Monothelitis hunc locum. Cum enim dixisset Dionysius *novam quamdam operationem*, ipsi substituerunt *unam* ut monet concilium Lateranense I. & synodus VI. *act.* 14. *pag.* 960. *tom.* 7. *conc.* 2. Non paucos ex Eutychianis, ut *ibidem* observatur, bona fide agnovisse his Dionysii verbis duplicem naturam astrui, atque ea de causa istud vocabulum fuisse ab iis repudiatum. 3. Non constare apud veteres aut recentiores, quid nomine *operationum Dei-virilium* intelligi oporteat. Triplex enim operationum genus in Christo distingui potest. Aliæ enim sunt solius humanitatis propriæ, ut esurire, sitire, manducare &c. aliæ propriæ divinitatis, ut Spiritum-sanctum producere, humanam naturam conservare &c. aliæ denique utrique naturæ quadantenus communes; v. g. verbo mortuos suscitare, tactu corporis morbos depellere. In his enim divinitas cum humanitate simul operabatur. Quænam ergo ex iis intelligendæ sunt nomine *Dei-virilium operationum?* An omnes nulla excepta Christi operationes, quia erant suppositi, quod simul erat Deus & homo? An peculiares illæ, quibus a Christo prodigia patrabantur, quia nempe illæ a Deo Christo interventu corporis edebantur? 4. Denique hoc nomine intelligendum nobis videri novum operandi genus, quod in Christo fuit ab Incarnationis tempore. Divina enim a Verbo non gerebantur sine humanitate, nec humana vicissim agebat sine divinitatis ductu. Hinc omnes Christi operationes ea ratione, *Dei-viriles* appellari possunt. De eo Petavius *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. *& toto passim lib.* 8.

Aliter hanc difficultatem solvit qui nuper publicæ luci dedit opera Damasceni, quem consule.

De Honorii mente ac damnatione.

DUAS in Monothelitarum negotio epistolas scripsit Honorius quæ referuntur *act.* 12. *synodi* VI. *tom.* 6. *pag.* 928. *& seq. & act.* 13. *pag.* 944.

Cum autem in iis secundum Sergii vota respondisset, atque adeo summum pontificem in hæreseos suæ patrocinium indesinenter allegarent Monothelitæ, eum autem contra defenderent multi catholici, synodo VI. visum est de his aliisque scriptis judicium ferre. Atque ut omnis dubitandi occasio tolleretur, prolatum fuit ex chartophylacio ecclesiæ Constantinopolitanæ ipsum exemplar autographum Honorii, instrumenta conferente Joanne episcopo Portuensi, uno e legatis apostolicæ sedis, *act.* 12. *pag.* 933. *&* 936. Omnibus autem diligenter expensis ita pronunciatum legitur, *act.* 13. *pag.* 944.

" Retractantes dogmaticas epistolas, quæ tanquam a Sergio quon-
" dam patriarcha hujus .... urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui

" tunc

„ tunc fuerat episcopus Phasidis, quam ad Honorium quomdam papam : „ . . . . similiter autem & epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam „ ad eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab „ apostolicis dogmatibus, & a definitionibus sanctorum conciliorum, & „ cunctorum probabilium patrum, SEQUI VERO FALSAS DOCTRINAS „ HÆRETICORUM, EAS OMNIMODO ABJICIMUS, ET TANQUAM „ ANIMÆ NOXIAS EXECRAMUR.

Ibidem, " Cum his vero (Sergio, Cyro, Pyrrho, Petro, & Paulo „ Monothelitis) simul projici a sancta. Dei catholica Ecclesia simulque „ anathematizari prævidimus, & Honorium qui fuerat papa antiquæ Ro„ mæ, eo quod INVENIMUS PER SCRIPTA, QUÆ AB EO FACTA „ SUNT AD SERGIUM, QUIA IN OMNIBUS EJUS MENTEM SECU„ TUS EST, ET IMPIA DOGMATA CONFIRMAVIT.

Ibidem, *pag.* 972. Allatis & excussis diligenter Honorii, Sergii, & cæterorum scriptis, " Cognitionem accipientes, inquiunt Patres, prola„ torum nobis . . . . libellorum, ... COMPERIMUS IN UNAM EAM„ DEMQUE IMPIETATEM CONCURRERE : & prævidimus profana & „ animæ perniciosa, continuo ob perfectum exterminium igne concrema„ ri. Et combusta sunt.

Hinc Honorius inter hæreticos ab Ecclesia proscriptos annumerari cœpit.

Actione 16. pag. 1009. " Exclamaverunt universi : . . . Sergio hæretico anathema : Cyro hæretico anathema : HONORIO HERETICO ANATHEMA.

Actione 18. *pag.* 1024. In definitione fidei, cujus exemplaria imperatoris manu & sigillo munita ad majorem fidem ad patriarchalium sedium episcopos missa sunt, *pag.* 1072: eumdem synodus recenset inter hæreticos " QUORUM ORE DÆMON IMPIETATIS VENENUM DIFFUDIT.

Ibidem pag. 1044. Sanctum concilium exclamavit, " Theodoro Phara„ nitæ anathema, SERGIO ET HONORIO ANATHEMA, . . . OMNIBUS „ HÆRETICIS ANATHEMA.

Ibidem in sermone acclamatorio ad imperatorem, *pag.* 1053. " Abjicimus „ & anathemati merito subjicimus . . . . Theodorum Pharanitanum, Ser„ gium . . . . ET CUM IIS HONORIUM, QUI FUIT ROMÆ PRÆSUL, „ UT POTE QUI EOS IN HIS SECUTUS EST.

Denique *in epistola* ad Agathonem pontificem scripta, quæ ipso mortuo ad Leonem II. ejus successorem delata est *pag.* 1073. " Fundamenta, in„ quiunt, execrandæ eorum hæreseos convellentes, ... ac ipsos ut lap„ sos circa fidem ac peccatores . . . . anathematis interfecimus, . . . vide„ licet Theodorum episcopum Pharan, Sergium, HONORIUM &c.

Variæ

Variæ opiniones.

Ex his variæ exortæ ſunt theologorum opiniones. Præcipuas memorabimus & expendemus.

Prima eſt eorum, qui exiſtimant Honorium reipſa cum Monothelitis erraſſe, & uti hæreticum a concilio VI. fuiſſe abjectum.

Secunda eſt aliorum, qui ſtatuunt nec Honorium fuiſſe hæreticum nec a ſynodo VI. reipſa damnatum. Quod autem in ipſius actis Honorii nomen compareat, ideo factum eſſe, quod omnia ejus exemplaria adulterata ſint & interpolata.

Tertia eſt longe plurium, qui arbitrantur Honorium non fuiſſe quidem in hæreſi verſatum, ſed tamen eo nomine damnatum. Quod autem ob hæreſim, quam nunquam docuiſſet damnatus ſit, id errore facti accidiſſe: in eoque lapſam eſſe ſynodum VI.

* Quarta ait Honorium non fuiſſe quidem hæreſi inquinatum, ſed ei tamen imprudentia ac negligentia faviſſe: ideoque merito fuiſſe a ſynodo ſexto damnatum, non quidem ut hæreticum, ſed ut hæreſeos fautorem.

Alias theologorum ſententias omittimus: ſic enim Albertus Pighius contendit Honorium ne imprudentiæ quidem accuſari poſſe, Marcheſius putat Honorium non fuiſſe in concilio generali ſeptima ſed in peculiari Græcorum ſynodo damnatum: alii ſuppoſitas eſſe Honorio falſas epiſtolas arbitrantur, aut veras ejus epiſtolas fuiſſe interpolatas. (a)

An Honorius cum Monothelitis erraverit.

Error Monothelitarum in eo fuit ſitus quod duas in Chriſto voluntates, divinam nimirum & humanam, eſſe inficiarentur.

At alter eodem tempore a Sergio Conſtantinopolitano catholicis tunc imponebatur error, quod nempe duas in humana ipſa Chriſti natura agnoſcerent voluntates contrarias & ſecum invicem pugnantes, carnis ſcilicet & ſpiritus, quales ſunt in nobis, atque adeo in Chriſtum peccati fomitem inveherent.

Conſtat quidem Honorium aſſeruiſſe unam eſſe in Chriſto voluntatem; ſed quo ſenſu id affirmarit, quæſtio eſt.

Melchior Canus *lib. 6. de locis theolog.* Catanza *in compendio conciliorum*; Torrenſis apud Gravinam, ac permulti alii e noſtris cenſent Honorium reipſa cum Monothelitis erraſſe. (b)

Alii

* Marca, Natalis Alexander, Garnerius, Duhamel, Bonæ ſpei.

(a) Gravina, Coſter, Duval, Sylvius, a quo non omnino ſunt alieni Stapleton & Wigers, Delcourt *in reſponſione ad difficultates propoſitas ad Duacenſes pag.* 23. Wigers *ibid. pag.* 41. Gravina *apud Argentreum 2 append. pag.* 16. Hieronymus de la Rue *ibid.* Duval *ibid. pag.* 17.

(b) Richer, Vigor, Dupin, M. de Commenges, Deſchamps, Delcourt *ſupra*; Valentia, Thomaſſin, Gravina, Combefis, Hoſius, Argentreus, Cabaſſutius, primi ut pontificem, alii ut privatum; Delcourt *pag.* 24. Argentreus *append. 2. pag.* 15.

Alii vero contendunt Honorium, cum duas in Christo voluntates esse negavit, non spectasse ad stabiliendum Monothelitarum errorem, sed ad alterum contra confodiendum errorem de duabus in humana Christi natura contrariis voluntatibus.

Porro hic epistolæ Honorii per se spectantur, & separatim a synodi sextæ de iis judicio: quod postmodum expendetur.

ASSERTIO.

Epistolæ Honorii a Monothelitarum errore vindicari possunt.

Probatur 1. ex eorum contextu, in quibus cum duas a Christo voluntates submovet, ad humanam duntaxat ipsius naturam respexisse deprehenditur. *Epistola* enim 1. *pag.* 929. " Unam fatemur, inquit, voluntatem Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa: illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata .... Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus .... Nam lex alia in membris, aut voluntas non fuit, vel contraria Salvatori, qui super legem natus est humanæ conditionis. " Hæc enim verba, & ipsa, quam pontifex affert, ratio, eo unice spectabant, ut duplicem, quæ nobis a peccato inest, ac mutuo pugnantem carnis & spiritus voluntatem a Christo amoveat. *Epistola* autem 2. *pag.* 969. ita suam de duabus Christi voluntatibus & operationibus mentem aperit, licet ab iis vocibus abstinendum esse judicaret, " Duas, inquit, naturas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, divinam, quæ Dei sunt operantem, humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, neque convertibiliter .... Auferentes .... scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est divinitatis & carnis assumptæ in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes. " Proinde duplicem reipsa in Christo voluntatem & operationem admittebat, licet voce tenus rejiceret. Ait enim duas esse naturas in Christo, & unamquamque operari quæ sibi propria sunt, non confuse, non divise &c.

Probatur 2. scriptorum coætaneorum aut supparium & omni exceptione majorum testimonio.

Primus est Joannes abbas Romanus, qui primam epistolam nomine Honorii scripsit, & quo proinde nullus esse potest luculentior Honorii sententiæ interpres. Is igitur post Honorii mortem, in testem super ea re appellatus, sic de eo scripsit ad imperatorem nomine Joannis quarti pa-

pæ,

pæ, apud B. Maximum martyrem *in dialogo*, *tom. 6. conc. pag.* 945.
„ Unam, inquit, voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus &
„ humanitatis, sed solius humanitatis. Cum enim scripsisset Sergius es-
„ se, qui dicerent in Christo duas fuisse contrarias voluntates, rescripsi-
„ mus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, in-
„ quam, & spiritus, sed unam tantum .... Id ita esse evidenter ex eo
„ demonstratur, quod membrorum & carnis facta est mentio, quæ divi-
„ nitati quoque ejus non possunt attribui.

Secundus est Joannes ipse IV. Honorii successor, qui *in apolo-*
„ *getica pro eo epistola*, *ad eumdem imperatorem*, " Decessor meus, in-
„ quit, docens de mysterio Incarnationis Christi, dicebat non fuisse in
„ eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias volunta-
„ tes: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis &
„ humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod ve-
„ ritati omnimodis est contrarium.

Tertius est S. Maximus martyr, qui eodem quo Honorius tempore floruit, quique affirmat hanc fuisse ejus mentem, quod probat cum ex ejus verbis; tum ex prædictis utriusque Joannis testimoniis. Vide *dialogum* ipsius cum Pyrrho, & *epistolam ad Marinum*, inter Anastasii *collectanea*, apud Sirmundum.

Quartus Anastasius idem Bibliothecarius, qui *in præfatione ad eadem collectanea*, iisdem omnino utitur momentis.

Objicies: Honorius unam conceptis verbis in Christo agnoscit voluntatem. Ergo.

Distinguo: unam unitate consensionis; concedo: unitate naturali; subdistinguo: unam in natura humana; concedo: in utraque natura; nego. Honorius fomitem peccati & voluntatem rationi repugnantem a Christo excludere voluit. Unam ergo dixit esse in eo voluntatem, quia summa est voluntatum consensio; aut potius quia una est in natura ipsius humana, non vero duplex, ut in nobis est a peccato.

Instabis 1. Duas *ibidem* rejicit voluntates. Ergo.

Distinguo antecedens: nomine tenus; concedo: reipsa, subdistinguo: duas contrarias; concedo: consentientes; nego. Rem ergo ipsam Honorius admittebat: sed de duabus voluntatibus silentium servari volebat, perinde ac de una, pacis & concordiæ causa.

Instabis 2. Scripturæ loca, quæ diversam a divina voluntatem in Christo significant, in alienum sensum torquet. Ergo.

Distinguo antecedens; quæ diversam, id est contrariam; concedo: id est distinctam; nego. Eo enim unice spectat ejus disputatio, ut duas a Christo pugnantes voluntates removeat.

An silentium indicendo peccaverit & hæresi faverit Honorius.

Albertus Pighius, Baronius, Bellarminus, & Christianus Lupus non

non modo ab errore vindicant Honorii memoriam ; sed summam ejus ac necessariam omnino in imperando utrique contendentium parti silentio prudentiam deprædicant, quam in ipso cæteri fere omnes requirunt.

ASSERTIO.

Honorius dum silentium indixit utrique contendentium parti, imprudentia ac negligentia maxime peccavit, hacque agendi ratione tantum hæresi robur addidit, ut illius fautor non immerito dici queat.

Probatur 1. judicio sextæ synodi. Non potuisset enim ullo jure damnare Honorii epistolas, multo minus potuisset tam acerbe eas excipere, nisi saltem iis hæresi favisset Honorius.

Probatur 2. auctoritate imperatoris Constantini, qui in edicto post „ sextam synodum hoc Honorio crimen objicit, Anathematizamus „ eos, qui novorum dogmatum auctores & fautores sunt, Theodorum „ Pharanitam, Sergium, ... atque etiam Honorium, qui fuit anti- „ quæ Romæ papa, horum fautorem, adjutorem, & confirmatorem „ hæreseos.

Probatur 3. consensione Leonis II. papæ, qui ecclesiæ Romanæ statim post synodum sextam præfuit. Is ergo *in epistola ad eumdem im-* „ *peratorem*. " Anathematizamus, inquit, novi erroris inventores, id „ est Theodorum Pharanitam episcopum, Cyrum, ... nec non & Ho- „ norium, qui hanc apostolicam ecclesiam, non apostolicæ traditionis „ doctrina illustravit, sed profana proditione immaculatam maculari „ permisit. " Idem *in epistola ad episcopos Hispaniæ*, de actis in syno- „ do differens " Condemnatione multati sunt, inquit, Theodorus Pha- „ ranita, Cyrus .... cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, „ non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit ; sed negligentia confovit. " Denique *in epistola ad Ervigium regem*, " De „ ecclesiæ catholicæ adunatione projecti sunt Theodorus Pharanita, „ Cyrus, ... & una cum eis Honorius, ... qui immaculatam apo- „ stolicæ traditionis regulam, quam in prædecessoribus suis accepit, „ maculari consensit.

Nihil sane est iis verbis in nostram sententiam expressius ; adeo ut unius pontificis defensio citra alterius injuriam suscipi nequeat.

Probatur 4. ratione. Etsi enim aliquando licet œconomiæ ac pacis causa de severitate quidpiam remittere, ubi nimirum agitur duntaxat de vocabulis, aut de factis, aut de sententiis non omnino indubitatis, aut quæ non sunt magni momenti ; (quod frequenter esse usurpatum in Ecclesia confitetur & ostendit illustrissimus Petrus de Marca in suis *de concordia Imperii & sacerdotii* libris) id tamen in præsenti negotio, ut idem observat, Honorio fas non erat, eo quod dogma esset necessarium & evidens, & quod, qui illud impugnabant, ii cuniculis & quasi per latus Ecclesiæ fidem de duabus Christi naturis impeterent.

Ac-

Accedit quod in errorem conſpirarent præcipui Orientis præſules cum imperatore: quod a Cyro Alexandrino antiſtite decretum in ejuſdem erroris gratiam jam fuiſſet promulgatum. Denique eo ſolertius ac certius, quo occultius ubique virus ſpargebatur, & fides in ſummum diſcrimen veniebat. Non mediocris ergo imprudentiæ ac negligentiæ Honorio fuit, errorem ita graſſantem non comprimere, & inſuper in tanto fidei catholicæ periculo, Eccleſiæ vindicibus ſilentium imponere, præſertim cum admonitus eſſet a Sophronio Hieroſolymitano, & diu poſtea vixerit. Dici enim non poteſt, quantum ex Honorii auctoritate & ſocietate, quam Monothelitæ jactabant, hæreſi præſidium acceſſerit. 1. Ergo Honorii peccatum eſt, quod Sergii fraudes non detexerit: 2. quod Sophronium hortantem & commonefacientem non audierit: 3. quod Sergio incautus annuerit: 4. quod unam voluntatem palam ac publice prædicaverit. Quamvis enim id catholico ſenſu diceret & intelligeret, id tamen ob hæreſeos ſpeciem ſummo haud dubie fuit fidei catholicæ detrimento: 5. quod Cyri Alexandrini decretum non juſſerit refigi: 6. quod dum erroris contagia diſſeminabantur, catholicis ſilentium imperaverit, cum loqui debuiſſent: 7. quod eoſdem, non minus quam hæreticos, ſtultitiæ ac ineptiarum accuſaverit. " Unius, inquit, operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum, ſentire ac promere ſatis ineptum eſt. " 8. eſt, quod a Monothelitarum ſocietate ad vitæ uſque finem non receſſerit.

Objicies. At Sophronius Hieroſolymitanus ſilentium pariter probavit, ut Sergius teſtatur *epiſtola ad Neſtorium*. Atqui Sophronius imprudentiæ non incuſatur. Ergo.

Distinguo antecedens: probavit initio turbarum, ſuaſu aliorum, concordiæ gratia, & vitandi ſchiſmatis cauſa; concedo: ſemper; nego. Alia itaque Sophronii, alia Honorii ratio eſt. Sophronius quidem inter exordia turbarum in ſilentium aliquandiu conſenſit: ſed cum vidiſſet malum latius propagari, & eundo vires acquirere, reclamavit, vexillum erexit adverſus Monothelitas, quod pacis ergo poſuerat, & acriter adverſus eos toto deinceps vitæ tempore pugnavit. At Honorius contra, etiam poſt Sophronii monita tacuit, & ab inita cum Monothelitis communione ſe nunquam ſejunxit.

An Honorius a concilio VI. generali damnatus ſit.

Jam accedimus ad Baronium, qui ut quamlibet ab Honorio ſummiſque pontificibus labem amoveret, omni, qua plurimum valebat, ingenii ac doctrinæ vi contendit Honorium non fuiſſe a VII. ſynodo damnatum; atque adeo adulteratos eſſe hodiernos hujuſce concilii codices, in quibus Honorii nomen comparet: corruptos autem fuiſſe ſuſpicatur a Theodoro, qui bis Conſtantinopolitanus præſul fuit, ante nimi-

tum

rum & post concilium VI. & quem Baronius affirmat notissimum fuisse Monothelitam, & ea de causa a synodo VI. proscriptum. Cum ergo jam in actis synodi non extet Theodori nomen, inde conjicit Baronius eumdem Theodorum ex actis nomen suum erasisse, & in sui locum Honorii nomen substituisse. Ita eminentissimus ille & eruditissimus cardinalis e Romana Oratorii congregatione. Baronio præiverant Pighius, Hosius: eum autem secuti sunt Bellarminus, Binius, Duvallius, Tannerus, Gretserus. Vide Argentreum *a. append. pag.* 28. & 29. Delcourt *in resp. diffic. prop. ad Duacenses pag.* 23. Petavium *lib.* 1. *cap.* 21. *ibidem pag.* 41. Wigers *ibid. pag.* 41. Dominicum a sancta Trinitate *ibid.* 18.

Franciscus vero Marchesius ex eadem familia, ut eodem perveniret, aliam iniit viam. In eo enim, quod pro Honorio scripsit, opere statuit actionem duodecimam ac sequentes, in quibus Honorii nomen inter damnatos Monothelitas legitur, non esse VI. synodi œcumenicæ, sed alterius cujusdam peculiaris, œcumenica absoluta, a Græcis habitæ; Græcos autem consulto cum cæteris Honorium damnare voluisse, ne ipsi soli errasse viderentur. Cardinalis de Turre Cremata, Sylvius, Lupus, imo & Bellarminus in eamdem inclinant opinionem. Vide Delcourt *pag.* 23. 30. 31.

ASSERTIO.

Honorius a VI. synodo damnatus est.

Probatur ex actis ejusdem synodi, quæ *supra* allegavimus. In iis enim non semel damnatus & anathemate percussus Honorius legitur. Rem autem ita fuisse in concilio VI. peractam, arguunt

Primo omnium, qui huc usque visi sunt, VI. concilii codicum consensio. Si enim contra constantem omnium codicum fidem ita licet ariolari, nihil profecto erit in antiquis monimentis inconcussum.

Secundo Imperator Constantinus Pogonatus catholicæ fidei & apostolicæ sedi princeps addictissimus, qui synodo affuerat. *In edicto* enim quo firmat VI. synodum, ejus sententiam sequens, damnat cum reliquis Honorium *pag.* 1085. ut Monothelitarum hæreseos confirmatorem: & *pag.* 1097. ut ejusdem hæreseos fautorem, concursorem & confirmatorem. Jam vero quis eo melius nosse potuit quid a concilio VI. actum foret?

Tertio Leo II. summus post Agathonem pontifex, de quo ita scribit auctor quidam coætaneus *in ipsius vita*, *tom. 6. conc. pag.* 1242. " „ Hic suscepit sanctam VI. synodum, quæ per Dei providentiam nu„ per in regia urbe celebrata est, . . . in qua & condemnati sunt Cy„ rus, Sergius, Honorius & Pyrrhus &c. . . . . sicut eadem syno„ dus studiosissime in Latinum translata declarat. " Et vero idem Leo *epist. ad Constantinum*, qua confirmat VI. synodum juxta ejus decretum profi-

profitetur se anathematizare cum cæteris Honorium in ea proscriptum *pag.* 1117. Sic & *in epist. ad episcopos Hispaniæ*, ejusdem synodi acta latine versa ad eos transmittens *pag.* 1247. pariter *in epistola ad Ervigium regem pag.* 1252.

Quarto Agatho diaconus, qui non solum synodo interfuerat, sed etiam in ea notarium egerat apud Combefisium *in hist. Monoth.* in quo diserte Honorium cum aliis Monothelitarum ducibus commemorat.

Quinto Synodus quini-sexta paulo post habita, quæ Honorium damnat & damnatum a VI. refert *pag.* 1140.

Sexto Theodorus Hierosolymitanus patriarcha cum universa sua synodo hoc factum confitetur & firmat in epistola quæ legitur *act.* 3. synodi VII.

Septimo Tharasius patriarcha Constantinopolitanus *in epistola* ad summos sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & sanctæ urbis, eadem de causa Honorium *ibidem* enumerat inter hæreticos a concilio VI. confixos.

Octavo Synodus ipsa VII. generalis: *Actione* enim *6. tom. 7. conc. pag.* 422. nomine omnium sic habet Epiphanius, " Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Honorius Romanus, & qui circa ipsos „ sunt unam voluntatem in Christo dicentes, ut hæretici anathematizantur a catholica Ecclesia, per hæresim suam vana loquentes. " Vide & *p. 166. & 162. actione* autem *p.* 7553. in fidei definitione. " „ Duas voluntates & operationes secundum naturarum proprietatem in „ Christo prædicamus, quemadmodum & Constantinopoli VI. synodus „ exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium ... atque istis similia sentientes &c. " Quo in capite cum catholicis consentiebant Iconomachi, *pag.* 423.

Nono Adrianus II. papa ex synodi Romanæ sententia scribens epistolam, quæ lecta est actione septima concilii octavi, quaque Photium perstringit, " Romanum pontificem, inquit *pag.* 1091. de omnium ecclesiarum præsulibus judicasse legimus: de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi: quanquam ibi nec patriarcharum nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ sedis pontificis consensus præcessisset auctoritas.

Decimo Synodus octava generalis quæ *act.* 10. Honorium abjicit, sextam, quam appellat, synodum sequens.

Undecimo solemnis fidei professio, quam per plura secula edere sacra inaugurationis suæ die consueverunt Romani pontifices, & quæ in diurno Romanorum pontificum edita est a Garnerio. In ea enim fidei formula inter cæteros hæreticos, quibus anathema dicebant, Honorius legitur, quasi a concilio sexto & Ecclesia proscriptus.

Duodecimo Venerabilis Beda in libro *de sex ætatibus mundi*, ad sextam synodum, " Georgius, inquit, correctus est; Macarius vero cum „ sequacibus simul & prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio ... ana„ thematizatus.

Decimotertio Anastasius bibliothecarius, qui *in præfatione ad collectanea sua* Honorium excusat, " Licet huic, inquit, sancta sexta synodus „ quasi hæretico anathema dixerit.

Decimoquarto Nicephorus Constantinopolitanus patriarcha *in sua* ad Leonem III. prolixa *fidei professione* synodum sextam admittens, cum ea Honorium anathemati subjicit.

Decimoquinto Ecclesia Romana *in lectionibus* die Leoni II. sacra ad superioris usque seculi exordia usurpari solitis. In iis enim, teste Garnerio *ad diurnum Romanorum pontificum*, & sexta synodus ab eo suscepta, & Honorius in ea damnatus commemorabantur.

Decimosexto Photius *in libello de synodis tom. 6. conc. pag.* 1217.

Decimoseptimo Auctor anonymus *libelli synodici ibid. pag.* 1216.

Decimo octavo Nilus *de Conc. VI. ibid. p.* 1219.

Decimonono alter auctor anonymus *ibid. p.* 1220.

Vigesimo Ado Viennensis *in chronico*.

Vigesimoprimo Humbertus Sylvæ Candidæ episcopus & cardinalis legatus summi pontificis Leonis IX. ad Græcorum imperatorem *in suo contra Nicetam Pectoratum libro*, Bedæ sententiam & verba usurpat de synodo sexta & Honorio.

Vigesimosecundo Cedrenus *in historia ejusdem concilii*.

Vigesimotertio Marianus Scotus *in chronico*.

Vigesimoquarto Emmanuel Calecas *adversus Græcos*, apud Cardinalem a Turrecremata *lib.* 2. *de ecclesia cap.* 93.

Vigesimoquinto idem cardinalis de Turrecremata *ibid.*

Uno verbo omnes ad Baronium usque, qui omnium mortalium primus negare ausus est Honorium in ea synodo fuisse confixum.

PROBATUR 2. ratione, quæ non patitur ut res tot & tantis ejusmodi testimoniis, tam longo, tam constanti, tam universali omnium gentium ac seculorum usu confirmata in dubium revocetur.

NAM quod conjicit Baronius Theodorum Constantinopolitanum 1. Monothelitam extitisse, ut pote qui fidei formulæ a Macario Antiocheno præsule & Monothelitarum antesignano editæ subscripserit, teste Anastasio bibliothecario : 2. Ob istum errorem dejectum eum esse a sede Constantinopolitana ante synodum sextam : 3. Ipsum in eadem synodo ob eamdem hæresim fuisse damnatum : 4. Statim ab absoluta synodo eumdem esse, fide catholica simulata, ab imperatore restitutum : 5. Theodorum tunc pro ea, qua valere cœpit apud imperatorem, gratia aggressum esse ad corrumpendos omnes concilii sexti codices, insertis quibusdam ab actione undecima quaternionibus ut HONORII nomen deleto suo ubique subrogaret : 6. Ea de causa legatos ecclesiæ Romanæ

manæ per decem & octo menses Constantinopoli detentos fuisse, donec videlicet fraus ad umbilicum perducta obtrudi posset : 7. Tum demum ad omnes ecclesias missa esse concilii acta sic interpolata, quibus universi assensi fuerint : 8. Cum nemo tunc reclamasset, hanc de Honorio falsam opinionem sensim sine sensu ita invaluisse, ut nemo hactenus imposturam detexerit :

Hoc, inquam, quod conjicit Baronius, levius est & incredibilius, quam ut viros doctos & prudentes moveat. Nam 1. non constat hunc Theodorum fuisse Monothelitam. Unus enim Anastasius bibliothecarius de illa formulæ Monotheliticæ subscriptione mentionem facit, in eo forte lapsus & minime audiendus, præsertim cum hæc eadem fidei formula exhibeatur *actione 6. concilii VI.* (quam adulteratam non putat Baronius) cum sola Macarii Antiocheni subscriptione, & Macarius ipse ibi quidem Honorii, Sergii, Pauli suffragiis ac communione, non vero Theodori se tueatur. Certe Tharasius, qui postea Constantinopolitanus præsul fuit *act. 2. concilii VII.* quatuor tantum nominat e Constantinopolitanis episcopis Monothelitas, Sergium, Pyrrhum, Paulum ac Petrum : eo significans reliquos, in quibus est Theodorus, catholicos extitisse. 2. Verum quidem est, quod ait Baronius, Theodorum nempe ante sextam synodum dignitate sua excidisse; sed qua de causa ignoratur, silentibus omnibus historicis. Certum duntaxat esse videtur, ea non fuisse exutum Theodorum Monothelismi causa : ut pote cum ab Ecclesia nondum proscriptus esset, atque adeo non posset esse legitima depositionis causa. Et vero liquet ex historia neminem usque ad finem concilii sexti fuisse propterea apud Græcos gradu suo dejectum. Georgius Constantinopolitanus in eum errorem inclinabat. Eidem pertinaciter adhærebat Macarius Antiochenus. Ambo tamen in concilium sextum admissi sunt : & Georgius quidem correctus est, & in sede relictus ; Macarius vero obstinatior solus abjectus est. 3. De Theodoro Constantinopolitano in sexta synodo damnato altum est apud omnes silentium, & latæ in eum sententiæ nullum uspiam vestigium reperitur. Profecto synodus sexta nullos damnavit, nisi mortuos & pertinaces. At vivebat Theodorus, nec pertinax probatur extitisse. An vero si pertinax in errore mansisset, eum anathemate adhuc fumantem & errore infamem statim a concilio pius & catholicus princeps in sedem restituisset? Ista sane secum invicem pugnant, nec omnino cohærent : proinde non sunt admittenda. 4. Ne illud quidem admitti debet, quod confidenter affirmat Baronius, Theodorum illico post sextam synodum dignitati suæ fuisse redditum. Historici enim probatiores referunt Georgium Constantinopolitanum, qui synodo interfuerat, tres adhuc postmodum annos supervixisse.

Sed esto vera sint ac certa quæ hic comminiscitur Baronius : Theodoro non defuerint ad audendum animus, tempus, ratio : quo tandem pacto id perficere potuit? hoc opus, hic labor est. Non enim

hic tantum de nominibus quibusdam mutandis agitur, sed plenæ paginæ recudendæ fuerunt; in quibus Honorii epistolarum lectio & ad sententiam in eum ferendam apparatus describitur? Itane vero patientes fuerunt totius orbis episcopi, ut synodum œcumenicam, cujus par fere est cum evangelio dignitas, & auctoritas, sic interpolatam obtrudi sibi permiserint, nec ullus mussitare ausus fuerit? Sed qua tandem ratione vitiavit ipsam fidei definitionem, quæ simul atque edita est, omnium ac ipsius imperatoris manu ac sigillis munita ad quinque sedes patriarchales jam diu destinata fuerat? Qua arte corrupit ipsum edictum imperatoris diu ante promulgatum? Quibus præstigiis infecit epistolam concilii ad Agathonem Romanum pontificem, quæ a Georgio decessore suo fuerat jam pridem conscripta? An in tantum scelus tantamque infamiam pellexit Constantinum imperatorem suo in catholicam religionem studio, sua in sedem Romanam observantia insignem, qui tantæ religionis tantæque probitatis fuit, ut ne patri quidem Constanti & avo Heraclio typi, & ecthefeos auctoribus parcere voluerit? an simul universos terræ habitabilis præsules suo involvit in Honorium odio? an ipsos quoque corrupit sedis apostolicæ legatos? an autem si corrupisset, hos proditores tanto, quanto narratur, plausu excepisset redeuntes Romana ecclesia, & unum ex iis extulisset paulo post in apostolicam sedem, qui dictus est Joannes V. nemone saltem in patriam redux adversus perfidiam reclamasset?

Hæc sane supra fidem posita sunt. Sed esto. Demus etiam hoc, Theodorum nempe, dum viveret, omnium ora tenuisse: Ergone eo paulo post ac imperatore vita functis eadem formido cunctos continuisset? Nemo recenti rerum memoria malignus obtrectator, quo hominum genere orbis semper abundat, nemo veritatis amans, nemo fidei studiosus, nemo apostolicæ sedi addictus, hanc ecclesiæ Romanæ per tantum nefas inustam maculam notasset? Nemo rem tam singularem historiæ mandasset suæ? An Theodorus mortuus cunctos summos pontifices, quorum hostis fuisse dicitur, ita devinctos habuit, ut universi deinceps religionis, veritatis, ac dignitatis suæ obliti in id ecclesiæ suæ dedecus nullo excepto conspiraverint? Cum Leo II. gestorum in concilio gnarus foret, nihil eum profecto impellebat, ut ad Hispanos scribens Honorii memoriam proscinderet. Cur id fecit? Qua de causa fraudem tacuit diu postea Joannes V. qui unus e legatis ad concilium extiterat? Hæc certe quantumlibet ingeniose conficta, superant veterum fabularum vanitatem; mirum ut sit, quod nonnulli viri eruditi iis abripi se quondam passi fuerint. At jam diu est, ex quo fascini vis præteriit. Nemo enim jam est vel mediocriter doctus, quem hujus commenti non pudeat.

Atenim plura objicit Baronius. 1. Est causæ nihil extitisse, cur damnaretur Honorius, utpote qui esset ab omni errore immunis: 2. Nullam in synodo ad id idoneam fuisse auctoritatem: 3. Ejusdem syno-

ſynodi Patres confiteri ſe epiſtolæ Agathonis adhæreſcere : Agathonem vero *in epiſtola ſua ad ſynodum* , nedum Honorium damnaret , magnis ornaſſe laudibus omnes , qui hactenus eccleſiæ Romanæ præfuerant: utpote qui ex firma Chriſti promiſſione fidei depoſitum ſumma religione cuſtodiſſent : atque adeo ſynodum non potuiſſe in Honorium ex his pontificibus unum ſententiam ferre , quin ſecum ipſa pugnaret : 4. Denique eccleſiæ Romanæ legatos nunquam fuiſſe in iſtud apoſtolicæ ſedis opprobrium conſenſuros, cum id non haberent in mandatis, & extra præſcriptos ſibi limites excurrere non poſſent.

SED hæc inania ſunt , & fruſtra afferuntur . 1. Enim hic non agitur de jure , ſed de facto . Præterea vero ea damnandi Honorii cauſa eſſe potuit , quod unam Chriſti voluntatem diſertis verbis dixiſſet , & catholicis ſilentium indixiſſet . 2. Nihil aliud egit ſynodus , quam quod agere ſe poſſe exiſtimavit. Sed de hoc alibi . 3. Agatho quidem generatim majores ſuos ut ſinceros fidei cuſtodes laudaverat ; ſed forte ipſe excipiebat Honorium ; quod ſi non fecit , excipiendum eum ſaltem eſſe cenſuit ſynodus . 4. Sive legati Romanæ ſedis id in mandatis habuerint, ſive non habuerint , certum eſt eos in Honorium damnandum conſenſiſſe , quod & acta perhibent , & obſervat Adrianus II. *ſupra* : & cum in id conſenſiſſent, a Romana eccleſia non fuiſſe in eo improbatos.

An in damnando Honorio errore facti lapſa fuerit ſynodus VI.

JAM ordo poſtulat ut alios longe plures adoriamur , qui cenſent ſynodum VI. Honorii mentem aut epiſtolas minus bene intellexiſſe ; atque adeo ipſi, eum catholicus reipſa eſſet , quaſi hæretico anathema errore facti dixiſſe: quem errorem non ſolum in ſummos Pontifices , ſed etiam in concilia generalia ipſamque Eccleſiam cadere poſſe pro certo habent. Præcipuos enumerabimus.

Hanc Honorii vindicandi rationem uſurparunt.

Anno 873. Primo Anaſtaſius bibliothecarius , *in præfatione ad collectanea ſua*, *tom. 3. operum Sirmundi* , idque ducentis circiter poſt ſynodum VI. annis . Illic enim publico VI. ſynodi judicio anteponendum eſſe cenſet Joannis abbatis & maximi martyris, aliorumque ſententiam, qui Honorium antea excuſaverant : inter alia vero ait in eo erraſſe ſynodum, quod Honorii mentem non ſatis accurate perceperit.

1283. Secundo Emmaunel Calecas inter Græcos recentiores Scriptor eruditus , & catholicus , de quo Petavius *lib. 7. de Trinitate* , *cap. 1. memb. 11.* Calecæ autem de Honorii damnatione opinionem ac verba referunt Joannes a Turrecremata , & Combefiſius *infra* laudandi.

1468. Tertio Joannes idem a Turrecremata cardinalis . *In ſumma* enim *de Eccleſia lib. 2. cap. 93.* aſſerit concilium VI. ex Orientalibus

 epiſco-

episcopis conflatum erraſſe in damnando Honorio ex non intellectis ejus epiſtolis . Hoc autem ex errore profectum judicium non fuiſſe idcirco a Latinis receptum.

1550. Quarto Turrianus e Societate Jeſu eruditus Theologus , apud eumdem Combefiſium, *infra*.

Quinto Andradius Payva *lib. 2. defenſionis fidei pag.* 252.

1603. Sexto Thomas Stapleto ſuis adverſus hæreticos ſcriptis notiſſimus. Is enim *controv. 3. quæſt.* 4. *pag.* 708 Honorium purgat ab hæreſeos labe per concilium VI. ei inuſta , quia " In facti quæſtionibus, ,, inquit, hallucinari concilium poſſe abſurdum non eſt.

1603. Septimo Cardinalis Baronius *ad annum* 681. *num.*30. Eumdem enim expediens nodum , poſtquam multum deſudavit , ut oſtenderet acta concilii eſſe interpolata , alteram proponit viam , nempe errorem facti . Quæſito itaque an fas ſit rem a concilio definitam , in controverſiam iterum deducere : " Reſpondeo , inquit , fas non eſſe in iis , ,, quæ ſpectant ad fidem , ut plane religio ſit vel latum unguem ab ,, iis , quæ in ſancta ſynodo ſunt ſtatuta , recedere . At in iis , in- ,, quit , quæ ad perſonas pertinent , & ſcripta ipſarum , non tam ri- ,, gide reperitur cuſtodita cenſura : . . . . . . in his enim , quæ facti ,, ſunt , unumquemque contingere poſſe falli , NEMINI DUBIUM ,, EST : *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem , ſed pro ve-* ,, *ritate*.

1605. Octavo Cardinalis Bellarminus e ſocietate Jeſu . *Libro* enim 4. *de ſummo pontifice cap.* 2. " CONVENIUNT , inquit, OMNES CATHO- ,, LICI ET HÆRETICI IN DUOBUS : 1. poſſe pontificem , etiam ut ,, pontificem , & cum ſuo cœtu conſiliariorum , vel etiam cum gene- ,, rali concilio errare in controverſiis facti particularibus , quæ ex in- ,, formatione teſtimoniiſque hominum præcipue pendent . " *Ibidem* vero *cap.* 11. expendens Honorii cauſam , poſtquam fruſtra laboravit ut probaret adulteratam eſſe ſynodum VI. " Quod ſi , inquit , aliquis ,, adhuc non poſſit adduci , ut credat corruptam eſſe ſynodum VI. is ,, accipiat alteram ſolutionem , quæ eſt Joannis Turrecremata *lib.* 2. *de Eccleſia*, *cap.* 93. qui docet Patres VI. ſynodi damnaſſe quidem Ho- ,, norium , ſed ex falſa informatione ; ac proinde in eo judicio erraſ- ,, ſe . Quamvis enim concilium generale legitimum non poſſit. . . . . ,, errare in dogmatibus fidei definiendis , tamen errare poteſt in quæ- ,, ſtionibus de facto . Itaque TUTO dicere poſſumus hos Patres dece- ,, ptos ex falſis rumoribus , & NON INTELLECTIS HONORII EPI- ,, STOLIS IMMERITO cum hæreticis connumeraſſe Honorium.

1605. Nono Andreas Duvallius noſter . *De infallibilitate* enim *ſummi pontificis* , *parte* 2. *quæſt.* 1. " Inprimis , inquit , CERTUM EST ,, APUD OMNES TAM HÆRETICOS QUAM CATHOLICOS, pontificem ,, ut pontificem , necnon cum concilio generali agentem , in quæſtio- ,, nibus facti particularibus . . . . errare poſſe . " Hanc vero regulam

ad

ad Honorii mentem applicans *quæst.* 4. " Utut sit, inquit, de hac
" Honorii in synodo VI. & VII. condemnatione, respondeo . . . . .
" non propterea de fide esse, aut etiam absolute certum, Honorium
" a partibus Monothelitarum stetisse: quandoquidem conciliis generali-
" bus, sicut & summis pontificibus, cum via ordinaria ex allegatis & pro-
" batis judicant, error potest obrepere.

1608. Decimo Binius Coloniensis theologus, & conciliorum editione celeberrimus. *In notis* enim *ad Honorii vitam* Baronium, & Bellarminum sequens multis contendit interpolatam esse synodum VI. Deinde vero sic pergit, " Quæ rationes, inquit, si necdum aliquam corruptelam, &
" depravationem actorum synodalium VI. concilii persuadeant, addo con-
" cilium œcumenicum (quod fieri posse conveniunt omnes catholici) in
" quæstione facti aberrasse.

Undecimo Baraltus archiepiscopus Arelatensis *adversus Molinæum*.

1620. Duodecimo Gretserus e societate Jesu insignis scriptor. *In defensione* enim *Bellarmini*, loco *supra* laudato ait, Honorium merito defendi posse, si dicas Honorium fuisse quidem in synodo VI. damnatum, sed ex mala informatione, & non intellectis Honorii epistolis;
" Neque enim, inquit, inconveniens est affirmare synodos etiam œcume-
" nicas in quæstione particularis alicujus facti decipi posse.

1620. Decimotertio Tannerus ex eadem societate Jesu *In anatomia* enim *confessionis Augustanæ demonstrat.* 5. *num.* 198. pronunciat duplici modo excusari posse Honorium, " Sive quia VI. illa synodus . . . .
" ex falsa informatione processit, sive quia acta fuerunt corrupta. "
Numero autem 201. idem statuit hujus doctrinæ principium, " In quæ-
" stionibus facti, inquit, pontifex (& concilium) in judicando errare
" potest EX COMMUNI DOCTORUM SENTENTIA.

Decimoquarto Halseurius (Hauseur) Franciscanus *in quæstionibus de papa & concil.*

1625. Decimoquinto Becanus Societate Jesu. *In summa* enim *controv.* ubi de earum judice disputat, *pag.* 793. *col.* 1. Honorium eadem ratione excusat, qua Bellarminus.

Decimosexto Nicolaus Coefetæus ex ordine prædicatorum, episcopus Massiliensis. *In libro* enim *adversus Mornæum pag.* 388. docet potuisse fieri, ut Honorius a synodo sexta immerito damnaretur ex falsa informatione & non intellectis ipsius epistolis. " Quod enim, inquit,
" in ejusmodi de facto disceptationibus fallantur synodi generales, NI-
" HIL EST ABSURDI.

1634 Decimoseptimo Franciscus Combefisius ex eodem Dominicanorum instituto auctor eruditissimus. *In apologia* enim *pro actis* sextæ *synodi*, *cap.* 2. *sect.* 3. *pag.* 123. & *cap.* 3. *sect.* 1. *pag.* 167. Calecæ, Joannis de Turre-cremata, Turriani & Stapletonis de Honorio sententiam refert, & probabilem ac vero proximam putat, ita ut fuerit damnatus
" errore facti, Qua in re, inquit (Stapleto) hallucinari concilium
" posse, absurdum non est.

T 4 1646.

1646. Decimooctavo Franciscus Veronius, olim e societate Jesu. *In regula* enim *fidei*, hanc inter alias tradit, quod nempe concilia in iis quæ facti sunt, errare possint: quam in rem Honorii exemplum cum Bellarmino adducit. Vide Wallemburgicos fratres *infra*.

1646. Decimonono Petavius ex eadem societate illustrissimus scriptor. *Libro* enim 1. *de Incarn. cap.* 21. eodem quo Baronius modo Honorium vindicat ac vindicandum censet. Vide Argentreum *appendice* 2. *pag.* 47 & 48.

1648. Vigesimo Halloixius ex eadem familia. *Libro* enim 4. *pro Origene cap.* 10. *pag.* 390. allata Bellarmini de Honorio sententia, " Hæc „ Bellarminus, inquit, & recte. " *Pagina* autem 391. allato Bellarmi- „ ni ejusdem judicio, " Quæ profecto, inquit, verissima esse depre- „ hendet quisquis sextæ synodi acta prudenti & attenta mente perle- „ gerit.

Atque hi quidem extiterunt ejusmodi Honorii defensores ad annum usque superioris seculi quinquagesimum, & exortas concertationes, quæ Ecclesiam exinde infestarunt. At alii etiam ejusdem generis vindices postmodum non defuere.

1. Holdenus *in defensione formularii*.

1663. 2. Illustrissimus episcopus Venciensis, idemque doctissimus juxta & elegantissimus auctor Antonius Godeau *hist. eccles. tom.* 4. quem cum Parisiensibus theologis probarunt tres episcopi, *ad annum* 553. *n.* 12. *pag.* 165. Vigilium in causa trium capitulorum excusans, " De facto, „ inquit, agebatur, qua in parte constat concilium, ut & summos „ pontifices errare potuisse, ... IN QUO OMNES CATHOLICI DOCTO- „ RES ET SCHOLÆ CHRISTIANÆ CONSENTIUNT .... Ita Bellarmi- „ nus respondet concilium sextum generale in quæstione facti circa „ Honorium labi potuisse .... Ita Baronius. Et revera, qui hunc pon- „ tificem vindicant, nihil aliud obtendere queunt: de quo latius disse- „ remus, si ad historiam septimi seculi pervenire contingat. Interim „ notasse sat erit, vel ipsorum conciliorum ab omni errore immunita- „ tem ad facta extendi non posse: sive illa ad personas, sive ad ipsa- „ rum scripta pertineant: .... quod tamen a nonnullis hac ætate in „ dubium revocari video. " Ita etiam *ad annum* 681. *num.* 41. *pag.* 206. *tom.* 5. quem probavit M. Edmundus Pirot.

Tertio Brietius e societate Jesu *annal. tom.* 5. *pag.* 206. *ad annum* 681. cum Honorii in concilio septimo damnati mentionem fecisset, & addidisset gravissimam de eo esse in scholis quæstionem; tum lectores remittit ad Baronium & Bellarminum, " Ut eorum, si velint, senten- „ tiam, velut liberam & catholicam amplectantur.

1665. Quarto Gonetus e familia prædicatorum *tract. de fide, disp.* 4. *art.* 1. *sect.* 3. *pag.* 273. *tom.* 4. *in fol.* ad idem Honorii exemplum duplicem responsionem adhibet. Ac 1. quidem cum Baronio & Bellarmino excipit acta concilii forte fuisse adulterata. Sed hac responsione, ut pote

„ minus

„ minus solida, statim rejecta, " Respondent 2. inquit, cum Turrecremata & aliis, Septimam synodum in damnatione Honorii errasse. „ Quamvis enim, addit, concilium generale legitimum errare non possit in dogmatibus fidei definiendis: in quæstionibus tamen de facto „ criminalibus errori obnoxium esse potest: subindeque mirum non videtur quod Patres illius concilii ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis decepti, immerito eum cum hæreticis Monothelitis connumerarint. " Qua in responsione acquiescit.

Quinto Joannes a S. Thoma 2. 2. *de summo pontifice*, *disp.* 13. *art.* 4.

1669. Sexto Contensonius ex ordine Dominicanorum pius & non ignobilis theologus *summæ theologicæ lib.* 5. *dissert. præambula*, *cap.* 2. *pag.* 340. *tom.* 1. *in folio*, pronunciat concilia etiam generalia in ejusmodi judiciis errare posse, ac deinde sic pergit, " SENTENTIA NOSTRA, inquit, ITA CERTA EST, UT NULLUS ALICUJUS NOMINIS THEOLOGUS ANTE QUINDECIM CIRCITER ANNOS INVENIATUR, qui „ non solum oppositum non senserit, sed QUI EAM ETIAM VEL IN DUBIUM UNQUAM REVOCAVERIT. Imo illud firmissimum adversus hæreticorum calumnias præsidium esse existimarunt, si conciliis „ & pontificibus nonnullis ab aliis conciliis, aliisque pontificibus impositas hæreses ad errorem & deceptionem circa facta nonnunquam „ contingentem revocarent. Ita expresse cardinalis Bellarminus .... „ Idem affirmat cardinalis Baronius, ... Nicolaus Coefeteus, ... „ Duvallius, ... Stapletonius, .. Petavius. " Deinde vero *pag.* 341. *col.* 2. exemplo Baronii & Bellarmini illud ad Honorii factum transfert.

1669. Septimo Wallemburgici fratres in egregio *de fidei controversiis* opere, *tomo* 2. ad finem. Eamdem doctrinam *in regula fidei* asciscunt ex Veronio; eamque asserunt " APUD OMNES ESSE INDUBITATAM: „ quam statim Bellarminum secuti, ad Honorium applicant *cap.* 1. *sect.* 4. *num.* 12.

1693. Octavo Celeberrimus theologus in his scholis olim professor, postea vero eminentissimi cardinalis Noallii vicarius generalis & cancellarius Ecclesiæ & academiæ Parisiensis, Edmundus Pirot, *in tractatu de Incarn. quæst.* 3. *art.* 3. §. 2. postquam *concl.* 5. statuit Honorium non fuisse hæresi Monothelitica infectum, 3. loco sibi opponit concilii sexti au„ ctoritatem in hunc modum: " Qui semel in concilio œcumenico per„ spectis & mature perpensis omnibus adjunctis, quæ ad causam ejus con„ ferre possunt damnatur tanquam Monothelita, ab hac hæresi nullatenus „ defendi potest .... Confirmatur. Sententia nostra stare non potest, „ quin privatum nostrum judicium concilii definitioni anteponamus: qua „ in re & piaculi videtur gravissimi synodum erroris accusare, & super„ biæ non ferendæ peculiarem opinionem oraculo totius Ecclesiæ coactæ, „ seu præsulum factum suæ ætatis attente expendentium existimationi ac

„ pro-

„ pronunciato. " Ad ista autem duo sic reponit. " Respondeo, inquit, „ tum ad argumentum, tum ad confirmationem nihil hic nostra in conclusione esse aut superbum, aut in synodum contumeliosum. Salva „ enim, qua concilium prosequi debemus, reverentia, errorem in mero „ facto humano, nec Scriptura nec traditione revelato, nullamque cum „ jure seu cum fide connexionem involvente, cujusmodi est illud, quod „ spectat ad Honorium, synodo aliunde fidem aperte sancienti posse obrepere: nec negabit ipse Baronius, qui ex professo hac de quæstione verba faciens *ad annum* 681. *num.* 31. nobis disertis verbis favet. Idem „ habet Bellarminus ..... Quod vero in Honorii gratiam nostra conjectatio superbiæ nihil quidquam sapiat, patet, tum quia non minus „ potest Honorius defendi ab anathemate concilii VI. quam Theodoretus „ a V. anathemate: tum quia nec nova est hæc conjectura de Honorio, „ nec paucorum aut exilium scriptorum auctoritate fulta &c.

Idem vero *quæst.* 2. §. 2. *coroll.* 8. causas aperit, cur de ejusmodi factis libera jam in scholis vigeat disputandi facultas; " Ex his omnibus, inquit, facile potest hoc inferri, ... posse jam quoslibet, „ sublato repetendi schismatis, & hæreseos alendæ periculo, nullaque „ amplius ansa latentis erroris suspicioni relicta, Theodoreti scripta, „ etiam illa quæ in Cyrillum edidit, vindicari tanquam catholica, „ probato aliunde concilio V. œcumenico. Quod enim olim flagrante „ disputationis æstu schisma sapere potuisset, pacato jam mille annis „ rerum statu, nihil infesti redolet; potissimum, ubi qui Theodoreti causam agit, sic Nestorii errorem impetit, & fidem catholicam „ stabilit, admissa Constantinopolitana synodo, ut quis sit, & quam „ orthodoxus ipsius animus in dubium vocari nullo modo queat. Hoc „ pacto Theodoreti patrocinium capiunt post Baronium Petavius, & „ Sirmundus &c.

Nono Eminentissimus cardinalis de Laurea *in voto*, quod in negotio archiepiscopi Mechliniensis Romæ coram Innocentio XII. tulit, " Neque papa, inquit, nec ullus pro eo scribens, etiam ex assentantibus „ docet aut prætendit esse infallibilem circa facta non revelata saltem „ implicite, ut aperte docet cardinalis Bellarminus *lib.* 4. *de summo pontifice cap.* 2. ubi ait pontificem, etiam uti pontificem, & cum suo „ consiliarorum vel cum universali concilio, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipue pendent. Et *cap.* 11. in confirmationem hujus sententiæ diffuse probat sextam synodum erraſſe in quæstione facti, dum damnavit „ Honorium papam. Idem docet Baronius *ad an.* 681. *num.* 30. & 31. „ Cardinalis Palavicinus idem docet .... Superfluum puto alios sic docentes adducere, CUM OMNES NATIONES, OMNESQUE UNIVERSITATES NULLA EXCEPTA SIC DOCEANT. Itemque ipse *tomo* 1. *de fide*, *disp.* 8. ad satietatem de hac materia sum locutus.

1694. Decimo Eminentissimus alter cardinalis d'Aguire *tomo* 2. *conc. Hisp.*

Hisp. pag. 459. *col.* 1. *num.* 50. *Romæ edito, in notis ad concilium Toletanum XI.* rationem afferens cur in synodis Hispanicis nulla concilii quinti mentio fiat, " Neque enim, inquit, tractabatur quæstio juris „ divini, sive dogmatis, sed solius facti non revelati, circa scripta „ quædam Theodoreti, Theodori Mopsuesteni & Ibæ.... Hæc vero „ juxta cardinales Baronium & Bellarminum OMNESQUE THEOLOGOS „ ALICUJUS NOMINIS nullatenus definit (Ecclesia) judicio irreformabili & infallibili hujusmodi controversias, etiam intra concilium generale, ut sæpe ostendunt iidem scriptores pluribus exemplis, præsertim Honorii papæ & epistolarum quarumdam ipsius, de quibus *infra, in notis ad epistolam Benedicti papæ.*

1700. Undecimo Lhermenerius *de Incarnatione*, ubi Honorii negotium ex professo expendit, postquam sibi objecisset nullam Honorii damnandi causam synodo affuisse: respondet 1. non levem ansam extitisse, quod nempe silentio suo fovisset Monothelitarum hæresim: dein vero respondet 2. ut nulla legitima causa affuisset in eo errare synodum sextam " Deinde vero, inquit, agitur hic de facto, non de jure.

1701. Duodecimo Gaspar Jueninus e congregatione Oratoriana *in instit. theologicis tomo* 1. passim eamdem sententiam firmat. *Dissertatione* enim 4. *quæst.* 3. *art.* 3. *pag.* 247. statuit concilia priora a posterioribus emendari posse in quæstionibus facti. *Ibidem* inter theologicas de Honorio opiniones eam recenset, " Quæ ait in ipso damnando lapsam „ errore facti synodum sexta. " Tandem *dissert.* 5. *quæst.* 1. *pag.* 641. id conceptis verbis asserit, & auctoritate Bellarmini id ad Honorium refert. Hoc autem opus eminentissimo cardinali Noallio dicatum probavit M. Dominus Pirot.

1703. Decimotertio Ludovicus Ellies Dupin *doctrinæ Christianæ lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 3421. copiose docet concilia licet in damnandis libris, personisque proscribendis summa auctoritate polleant, " In his tamen judiciis falli posse, in eoque juxta cardinalem Bellarminum OMNES THEOLOGOS CONSENTIRE: quam in rem statim profert Honorii exemplum.

Iis adjungi possunt, qui eodem temporis intervallo hanc Honorii excusandi rationem velut innoxiam habuerunt, aut etiam defenderunt. Paucos e multis allegabimus.

1664. PRIMUS est Annatus e societate Jesu, qui inter omnes in hisce controversiis eminuit. Is enim *in Ecclesiæ defensione adversus Jansenianos* * 1. *parte*, *cap.* 14. *pag.* 115. ait se suosque in eo persistere, ut concilium sextum in proscribendo Honorio errasse contendant.

SECUNDUS est Grandinus noster. *In dissertatione* enim *manuscripta de factis* §. 2. *ad posterius punctum*, postquam *conclusione unica* statuit, " „ Ecclesiam falli non posse in factis definiendis, si illa ad communem „ omnium fidem tuendam pertineant, & diligens examen de ipsis ha„ buerit, & utrumque in Jansenii facto occurrere; " inter alia secundo loco sibi opponit Honorii exemplum, in quo damnando multi lap-

sum

sum esse concilium sextum docuerunt : respondet. " Aliam esse Janse-
" nii, aliam Honorii facti rationem, quia videlicet, quod ad Hono-
" rium spectat, dici potest non fuisse habitum sat diligens examen, &
" ideo falli potuisse in eo facto synodum ; quod de Jansenio affirmari
" nequit. Si erratum est, inquit, ejus (Honorii) in facto, quoniam
" lectæ quidem fuerunt ejus epistolæ, sed de instituto sat diligenter
" examinatum non est, ullumne continerent errorem; . . . . ideone in
" aliis post diligens examen errabitur?

Tertius est Cornetus. Is enim anno *1666.* probavit hanc thesim, quæ *die 30. Octobris* a M. Poirier propugnata est. " Quæris an inter
" ipsos (Monothelitas) recensendus Honorius? In re tam plana non
" est hærendum. Hæreticus ipse cum hæreticis merito damnatus. Ea
" res autem, etsi per se sit evidens & probata, . . . non continuo ta-
" men illius defensores . . . . ut hæretici vel temerarii traducendi, cum
" facti . . . . se duntaxat auctores (defensores) præbeant, non hære-
" tici dogmatis sectatores.

Cum autem hæc Honorii vindicandi ratio tota eo velut fundamento innitatur, quod nempe summi pontifices, concilia etiam generalia, ipsaque adeo Ecclesia in factis, quæ vel ad personas vel ad privata auctorum scripta spectant definiendis falli queant, illustrissimus episcopus Venciensis & Contensonius *supra* aliique, ut doctrinam istam firment, asserunt eam esse ita constantem, ut ab ipsis theologiæ nostræ incunabulis ad annum usque seculi prioris quinquagesimum, nemo reperiretur, qui aliter senserit : & revera præter illos qui jam a nobis recensiti sunt, ab iis insuper allegantur.

1260. Primo S. Thomas theologorum princeps *quodlib. 9. cap. ult.*

1420. Secundo Joannes Gerson in libro *de appellationibus a summo pontifice in causis fidei tom. 1. pag. 542.*

1450. Tertio Dionysius Carthusianus *de auctoritate Ecclesiæ & concilii generalis lib. 3. cap. 16.*

1490. Quarto Joannes Picus Mirandulanus *in apologia* quam probavit Alexander sextus summus pontifex.

1560. Quinto Melchior Canus *lib. 5. de locis theol. cap. 5.*

1590. Sexto Bannes *2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 6. concl. 4.*

1600. Septimo Perronius cardinalis apud illustrissimum Harlæum *in epist. ad cardinalem Rospigliosum* & *in Perronianis.*

1605. Octavo R. P. Claudius Aquaviva societatis Jesu præpositus generalis *in quodam libello supplice*, quem anno 1605. die 1. Augusti obtulit Paulo V. nomine totius societatis Jesu : de quo *hist. congreg. de auxil. lib. 4. cap. 2. pag. 596.*

1630. Nono Tirinus ex eadem societate *in compendio controv. fidei, ad calcem commentariorum in Scripturam controv. 6.*

1630. Decimo Regourdus ex eadem societate *in demonstrat. catholicis, demonstr. 6.*

1633.

1633. Undecimo Cellotius ex eadem societate in suis *de hierarchia* libris.

1640. Duodecimo Eminentissimus cardinalis Richelius in egregio *de fidei controversiis* opere *lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 124. *lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 448. & *lib.* 4. *cap.* 14. *pag.* 669.

Decimotertio Dominicus Gravina *in suis præscritionibus* & *in Cherum paradisi lib.* 1. *cap.* 5. *supra* adductus a Contensonio.

1644. Decimoquarto Joannes a S. Thoma in tractatu *de summo pontifice*, apud eumdem *ibidem*.

1645. Decimoquinto Annatus e societate Jesu anno 1645. in gratiam Cellotii scribens, ubi de infallibilitate disputat.

1646. Decimosexto Sirmundus ex eadem societate, cum *in præfatione ad Facundum*, tum *in vita Theodoreti*, ubi causam trium capitulorum liberam esse decernit, & Theodoretum a concilio quinto perculsum anathemate vindicat.

1648. Decimoseptimo Illustrissimus Petrus de Marca archiepiscopus primo Tolosanus, ac postmodum Parisiensis designatus, *in sua de Vigilii constituto dissertatione num.* 20.

Atque hi ante exortas turbas ita docuerunt. At inter ipsas etiam concertationes ita sensisse ab iis memorantur exinde

1656. 1. Marandæus in libro Gallico anno 1656. edito, cui titulus *Regulæ ad intelligentiam doctrinæ S. Augustini*, *cap.* 1. *sect.* 3. *pag.* 75. " Si „ decretum summi pontificis, inquit, nullius est momenti, quia errare „ potest in quæstione facti, non erit majoris roboris definitio concilii „ œcumenici. Concilium enim œcumenicum tam errare potest in factis, „ quam summus pontifex. DE EO CONSENTIUNT DOCTI OMNES. " „ *Cela est sans controverse entre les doctes*.

1663. 2. Gregorius de Laude abbas Benedictinus, qui in gratiam Joachimi abbatis a Lateranensi magna synodo damnati *apologiam* scripsit. Ne quis autem id ipsi vitio verteret, " Sciendum est, inquit *cap.* 67. *pag.* „ 281. aliud esse defendere sententiam proscriptam, & .... fidei contrariam, ... & aliud esse defendere Joachim Floris abbatem non fuisse hujusmodi proscriptæ sententiæ, ... dicente egregie .... Domi„ nico Gravina, quod aliud est posse errare concilia generalia in jure, „ ... & quod aliud est posse errare in facto. " Unde addit; " Bene in„ tendimus Joachimi abbatis innocentiam defendere.

1665. 3. Cardinalis Palavicinus e societate Jesu, qui in negotio Jansenii unus e consultoribus Romanis fuit, *hist. conc. Trid. lib.* 7. *cap.* 14. & *lib.* 11. *cap.* 18. *num.* 9.

1666. 4. Michael de Elizalde ex eadem societate Jesu. In libro enim *de ratione quærendæ & inveniendæ veræ religionis*, pronunciat summum pontificem in factis errare posse: quod non diffitentur auctor *historiæ quinque propositionum* & Argentræus.

1666. 5. Lupus ex academia Lovaniensi insignis theologus *tom.* 1. *differ. de concilio V. cap.* 4. *pag.* 725. Ibi enim agens de epistola Ibæ, quam probavit

bavit synodus sexta Chalcedonensis, improbavit autem Constantinopolitana secunda eademque generalis quinta, " Alium, inquit, in illis (verbis Ibæ) sensum Chalcedonensis congregatio, alium apprehendit quinta synodus, ideoque varie de illis judicarunt. Congregatio bonum, synodus pravum de Ibæ animo & sensu judicavit. Altera haud dubie circumscripta est : placetque mihi Augustini regula de utilitate credendi. Quibus argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim?

1677. 6. Illustrissimus episcopus Tornacensis *in epistola ad Innocentium XI.* summum pontificem anno *1677.* Ibi quippe. " Tota universalisque Ecclesia, inquit, circa singularia facta, quæ nulla revelatione innotescunt, errori obnoxia est, & reipsa aliquando erravit. Cujus sententiæ UT INDUBITATÆ ET CERTISSIMÆ, patronos habemus summos sanctissimosque pontifices Pelagium II. Gregorium magnum : inter recentiores rerum ecclesiasticarum tractatores eminentissimos cardinales Bellarminum & Palavicinum, inferioris conditionis inter eruditos primæ notæ Jesuitas Sirmundum, Petavium, aliosque catholicissimos & sanctæ apostolicæ sedi devotissimos theologos.

1695. 7. Tillemontius eximiæ pietatis & eruditionis scriptor. *In Origene* enim *cap.* 1. *tom.* 3. notat in ejusmodi negotiis, quæ ex plurium factorum discussione pendent, non ita certa esse ipsorum etiam generalium conciliorum judicia, ut per Ecclesiam fas non sit aliter sentire. Id autem probarunt duo theologi Parisienses M. Thomas Roulland & M. Le Fevre regius in scholis Navarricis theologiæ professor, & sacræ facultatis jam syndicus.

1698. 8. Argentræus *in analysi fidei parte* 2. *cap.* 2. *prop.* 3. *tomo* 1. *pag.* 347. *adversus Juriæum*. Cum enim hic, ut Ecclesiæ de fide decreta convelleret, catholicis objiceret ea in factis potissimum esse sita; in factis autem definiendis, juxta commune scholarum pronunciatum, Ecclesiam falli posse : respondet Argentræus noster hanc vulgarem sententiam non esse accipiendam de factis, quibus fides continetur; sed de aliis, ac præsertim iis, quæ ad internam auctorum mentem spectant. Ecclesiæ itaque de his judicia non esse semper extra omne erroris periculum posita; adeo ut falli illa possit, cum propositionem quamdam ex aliquo libro excerptam, ubi in varios sensus trahi potest, damnat IN SENSU AB AUCTORE INTENTO. Id autem probavit M. Edmundus Pirot.

1700. 9. Wiriotus noster *in actu vesperiarum die* 3. *Martii*. *Columna* enim 3. " Infallibilis, inquit, Ecclesiæ auctoritas in iis definiendis, quæ spectant fidem & mores; non vero in quæstionibus facti, quæ cum jure connexionem non habent.

Hanc porro doctrinam, inquiunt, non modo nullo hactenus decreto Ecclesia confixit; sed contra omni vitio carere censuerunt theologi, præsules, ipsique adeo summi pontifices, qui ab anno superioris seculi quinquagesimo de ea judicium tulere.

Pri-

Primo enim eminentissimi cardinalis Richelii *de controversiis* opus *supra* allegatum approbarunt anno ipso 1650. theologi hac in parte extra omnem suspicionem positi : ac 1. quidem illustrissimus episcopus Carnotensis Lescotius : 2. Cornetus & Pereiretius e domo Navarrica : 3. E nostra Robertus Duvallius, Hallerius, Morellus, Sanbovius, & Lemaistre; quos inter quinque extiterunt in academia Parisiensi sacræ theologiæ professores.

1664. Secundo Illustrissimus Convenarum episcopus, *in epistola ad regem* die 21. Januarii anni *1664.* fidenter pronunciat, " Plurimum Ecclesiæ interesse, ut hæc doctrina inconcussa maneat, & a dogmatibus facta secernantur : cum in his falli possit Ecclesia; in illis autem errare nequeat : & ideo conciliorum etiam œcumenicorum decreta doctissimi ac sanctissimi theologi in dubium quotidie revocent.

1664. Tertio Romanum inquisitionis tribunal, cum Gregorii de Laude pro Joachimo abbate *apologiam* ad se delatam diligenter expendisset, nihil in ea quoad doctrinam ipsam reprehendit; sed id unum duntaxat imperavit, ut nempe loco horum verborum, *Bene intendimus Joachimi innocentiam defendere*, ista modestiora sufficerentur, *Conabimur tamen, si fieri potest, Joachimum defendere.*

1666. Sexto Sacra facultas Parisiensis hanc doctrinam nunquam improbavit : imo vero illam ipsius nomine in thesibus publicis probarunt SS. MM. de Breda, Grandin, Cornet &c.

1667. Quinto decem & novem episcopi Gallicani (quibus alii viginti suffragabantur, ut perhibet cardinalis Rospigliosi, & post eum referunt auctor *historiæ quinque propositionum*, & Argentreus in suo *de elementis theologicis* libro) *in epistola ad summum pontificem Clementem* XI. die prima Decembris anni 1667. dum quosdam præsules excusant, qui in promulgandis apostolicis constitutionibus dogmata a factis esse secernenda docuerunt, " Quid in illis mandatis, inquiunt, quod vel a catholicæ doctrinæ norma, vel a Romanæ sedis reverentia tantillum deflectat? NOVUM ET INAUDITUM apud nos nonnulli dogma protulerunt, Ecclesiæ nempe decretis, quibus quotidiana nec revelata divinitus facta deciduntur, certam & infallibilem constare veritatem: adeoque ipsa non minus quam revelata in Scripturis & traditione dogmata fide esse tenenda. HOC VERO DOGMA, beatissime Pater, QUOD AB OMNIBUS ANTIQUIS RECENTIBUSQUE THEOLOGIS PERÆQUE DAMNATUM EST, ex decessoris vestri constitutionibus iidem, qui illud invexerunt, temere stabilire nitebantur. Huic malo ut occurrerent prædicti episcopi, simul ut quorumdam scrupulis mederentur, OPPOSITAM HUIC MANIFESTISSIMO ERRORI DOCTRINAM COMMUNISSIMAM SIMUL AC CERTISSIMAM in mandatis suis exposuerunt, humana nimirum nec divinitus revelata facta, non omnimoda, & infallibili certitudine ab Ecclesia definiri . . . . Quid in hac doctrina, beatissime Pater, in Romanam sedem irreligiosum & injurium? cum non

„ mo-

„ modo a summis apostolicæ sedis veneratoribus, ejusque acerrimis „ vindicibus Baronio, Bellarmino, Palavicino asserta, & tradita sit; „ sed eo nomine potissimum constabilita, quod eam ad vindicandam „ Ecclesiæ auctoritatem in sanciendis fidei dogmatibus, & ad hæretico- „ rum criminationes repellendas pernecessariam judicarint. Ita sentire si „ criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium no- „ strum, imo totius Ecclesiæ crimen fuerit.

1668. Sexto Illustrissimus Harlæus, tum Rothomagensis, postea vero Parisiensis archiepiscopus, *in Epistola ad eminentissimum Cardinalem Rospigliosi*, Clemens IX. administrum, & fratris ipsius filium, die 5. Decembris anni *1668.* hanc ipsam doctrinam commendans ait, " Juxta Ecclesiæ theologorum, & illustrissimorum sedis apostolicæ defenso- „ rum mentem, quales fuere ætate sua cardinales Baronius, Bellarmi- „ minus, Perronius, Richelius, & Palavicinus; minori autem digni- „ tate, sed non minori, imo vero forte majori eruditione Petavius, „ & Sirmundus, Ecclesiam in factis definiendis errare posse, & libros „ qui damnati ab ea fuerant certis temporibus, quibus turbas ciebant, „ libere postea fuisse a theologis vindicatos, cum nulla jam certamina „ superessent.

1669. Septimo Clemens ipse IX. cum eminentissimis cardinalibus aliisque Romanæ Ecclesiæ theologis eamdem hanc Baronii, Bellarmini, Richelii, Palavicini, Petavii & Sirmundi doctrinam ab omni errore alienam esse censuit. Cum enim ab episcopo Catalaunensi ad sanctam sedem missum esset quoddam instrumentum, in quo illa ponebatur, & hoc idem instrumentum in frequentissima congregatione per tres hebdomadas mature fuisset expensum, judicavit summus pontifex hanc sententiam " A „ sex PRÆNOMINATIS DOCTORIBUS PRÆSCRIPTAM, ... NIHIL „ DE APOSTOLICÆ SEDIS AUTORIRATE DECERPERE: " ut narrat eminentissimus cardinalis Rospigliosi *in relatione*, *num.* 162. apud Argentræum *in append. pag.* 90.

1669. Octavo denique idem cardinalis Rospigliosi *ibid. num.* 50. eamdem doctrinam probat pluribus exemplis ex antiquitate repetitis; & non modo veterum testimoniis, sed etiam mira omnium recentiorum consensione fulciri monet, adeo ut causæ suæ & Ecclesiæ non parum nocerent, qui eam convellere majori studio quam scientia tunc conabantur. " Jactabant (Jansenii defensores), inquit, id pertinere ad „ meram quæstionem de facto, nullis Scripturarum divinarum defini- „ tam oraculis, & in qua propterea nihil de fide divina credendum, „ sive Romani pontifices, sive generalia concilia possint præscribere, „ cum neutri in hac parte extra omne erroris periculum sint. Harum „ rationum vendibilis species usque eo vulgi animos occupaverat, ut „ non modo in Gallia & in Belgio, sed in Italia, & in ipsa urbe lon- „ gius progressus Alexander .... videretur. Non defuere complures, „ qui recto fortasse potius studio, piaque erga sanctam sedem animo-

„ rum

„ rum, propensione, quam solida hujusmodi controversiarum scientia impulsi affirmarent vel quæstiones de facto posse a Romano pontifice divina auctoritae definiri: qui tamen levibus suis & imbecillis responsis id tantum assequebantur, ut in majus auctoritatis & fidei robur Jansenianorum doctrina adolesceret. Hi enim recte probabant nunquam Ecclesiæ promissum fuisse certissimum divini Spiritus lumen in peculiaribus factis ad communem credentium salutem minime necessariis dijudicandis, sed in cognitionibus judiciisque tantummodo ad divina volumina & apostolicas traditiones spectantibus: suamque hanc sententiam confirmabant tum exemplis ex omni memoria repetitis quibus ostendebatur nihil aliud Ecclesiam suis quibuslibet definitionibus egisse, quam ut hagiographos libros & traditiones prædictas interpretaretur, tum testimoniis veterum omnium, recentiorumque scriptorum in hac parte MIRE CONSENTIENTIUM, ut vel ipse cardinalis Bellarminus in libro 4. *de summo pontifice cap.* 2. diserte pronunciat his verbis, *Conveniunt omnes catholici* posse pontificem, etiam ut pontificem & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali consilio errare in controversiis facti particularibus.

Ut autem his majus robur addant, alia afferunt ex antiquis ecclesiasticæ historiæ monimentis facta similia, quæ a viris piis & eruditis citra ullam ab Ecclesia notam in dubium revocata sunt. Duo satis superque erunt.

Primum est Origenis a concilio quinto damnati, quem tamen præter plurimos ex antiquis & ex recentioribus, Picum Mirandulanum, Halloixium, Tillemontium, a nobis *supra* memoratos defendunt aut defendi posse sentiunt.

1512. 1. Jacobus Merlinus, non infimæ notæ Parisiensis theologus;

1515. 2. Desiderius Erasmus;

3. Sixtus Senensis;

4. Claudius Espencæus;

5. Gilbertus Genebrardus;

6. Stephanus Binetus e societate Jesu;

7. Tornelius noster inter collegas nostros ingenio & eruditione florentissimus.

Secundum est trium capitulorum, id est Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, & Ibæ Edesseni. At eos aut ex iis quosdam præter Petavium, Sirmundum, Petrum de Marca, Palavicinum, Lupum & alios a nobis jam allegatos, excusarunt.

1666. 1. Maimburgus olim e societate Jesu;

2. Andreas Chevillerius bibliothecæ Sorbonicæ nuper præfectus.

Sic illi theologi, ut numero multi, sic auctoritate & eruditione insignes.

Jam vero eorum doctrinæ duplex est caput. Primum generalius, quo statuunt summos pontifices, concilia, ipsamque adeo Ecclesiam in iis,

quæ facta spectant, falli posse. Alterum specialius, quo concilium sextum in Honorio damnando falsum reipsa fuisse pronunciant.

Primum hic non expendemus, ut pote quod non sit præsentis instituti.

Itaque ut ad secundum caput, quod ad nos proprie spectat, veniamus, esto

ASSERTIO.

Non debet dici synodus sexta in damnando Honorio errore facti lapsa esse.

Probatur 1. Illud enim contra judicium pro certo ab omnibus habendum est, quod a synodo œcumenica unanimi Patrum consensu latum, ab omnibus deinceps ecclesiis, & iis etiam, quarum intererat, citra ullam hæsitationem receptum est. Atqui tale est synodi sextæ de Honorio judicium. Ergo.

Probatur 2. Quia etsi dubia quadantenus videri posset per se Honorii mens & causa; attamen eo etiam in casu concilii generalis sententia cujuslibet privatæ anteponenda est, ut antea monebamus.

Et certe præterquam quod longe major est synodi generalis quam privatorum quorumlibet auctoritas, nullum sane suppetit recentioribus theologis, qui Honorium excusant, momentum, quod antiquis non affuerit: imo vero plura fortasse nobis jam desunt, quæ olim Honorii mentem magis compertam fecere.

Denique si etiam eos inquiramus, qui in damnando Honorio synodum sextam errasse docuerunt, statim apparebit ipsos vulgo in eam partem non tam ratione fuisse adductos, quam affectu & studio erga summos pontifices, a quibus omnem vel tenuissimam erroris umbram procul removere nitebantur.

An Honorius ut hæreticus in synodo sexta damnatus sit.

Quandoquidem hactenus probavimus Honorium in sexta synodo fuisse damnatum, & ea in re concilii decretis esse adhærendum, quæstio jam exoritur, an ibi summus ille pontifex proscritpus sit tanquam hæreticus, an tanquam hæreseos duntaxat fautor.

Non pauci sunt theologi, qui arbitrantur Honorium uti hæreticum fuisse confixum, quibus adjunxit se nuper Argentræus *in elementis theologicis cap. 9. pag.* 282. & *in appendice exemplo* 10. *pag.* 77.

Et iis sane non mediocriter favent ipsa concilii verba *supra* adducta, si in se nude spectentur, nec benigna quadam interpretatione emolliantur.

Verum cum hæc fuerit veteris Ecclesiæ consuetudo, ut hæreseon doctores ac fautores eadem ratione percellerentur, eodemque nomine vocarentur, & aliunde ita comparati natura simus, ut quemlibet, quantum

tum fieri potest, sublevemus; multo autem majus studium in excusandis antistitibus, ac potissimum summis pontificibus, adhibere semper velimus, in mitiorem partem inclinandum esse arbitramur.

ASSERTIO.

Honorius in concilio [redacted] non est damnatus ut hæreseos doctor, sed ut fautor. Sexto

Probatur. Cum enim agatur de sensu synodi sextæ, interpretes adhibendi sunt, qui mentem ipsius nobis aperiant. Nulli autem locupletiores esse testes possunt, quam Constantinus imperator, ut pote qui in rebus theologicis non mediocriter esset versatus, & insuper synodo sextæ affuerit; & summus pontifex Leo II. qui a legatis apostolicæ sedis acceperat quæcunque in ea synodo gesta fuerant. At uterque testatur Honorium in ea fuisse damnatum ut hæreseos faurorem.

Constantinus *in edicto*, de episcopis loquens, qui Ecclesiæ nocuerant, „ Hi sunt, inquit, Theodorus ... Pharan, ... Sergius; .... ad hæc „ Honorius, ... hujusmodi hæreseos confirmator. " *Ibidem*, " Ana„thematizamus eos, inquit, qui novorum dogmatum auctores & fau„tores sunt, Theodorum, ... Sergium, ... ATQUE ETIAM HO„NORIUM, QUI FUIT ANTIQUÆ ROMÆ PAPA, HORUM FAUTOREM „ ET ADJUTOREM ET CONFIRMATOREM HÆRESEOS. " Quos ibi damnat hos in duos ordines distribuit: in primo collocat dogmatum auctores; in secundo fautores: in hoc autem postremo recenset Honorium.

Leo II. *epist. ad Imperatorem*, "Anathematizamus, inquit, novi dog„matis inventores, Theodorum, ... Cyrum, ... necnon & Hono„rium, qui hanc apostolicam Ecclesiam, non apostolicæ traditionis „ doctrina illustravit; sed profana proditione immaculatam maculari permisit.

In epistola ad episcopos Hispaniæ, " Condemnatione multati sunt Theo„dorus, ... Cyrus, Sergius, ... cum Honorio, qui flammam hæ„retici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem „ extinxit, sed negligentia confovit.

In epistola ad Ervigium regem, " De Ecclesiæ catholicæ adunatione „ projecti sunt, inquit, Theodorus, ... Cyrus, ... Sergius, ... & „ una cum eis Honorius, qui immaculatam apostolicæ traditionis re„gulam, quam in prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.

Neque vero alio sensu aliave de causa damnaverunt Honorium summi pontifices exinde consecuti. *In ea* enim *fidei professione*, quam singuli, „ cum inaugurabantur, edere consueverant, sic loquebantur " Anathe„matizamus auctores novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, ... „ una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit.

Objicies. Non sic damnatus fuisset Honorius, nisi hæresim docuisset, aut tanquam hæreseos doctor habitus a synodo foret. Ergo.

Nego antecedens. His enim temporibus eadem pœna plectebantur hæreseon doctores & fautores. Cælestinus I. *in epistola ad episcopos Gallia-*
„ *rum*, " Timeo, inquit, ne connivere sit, hic tacere. Timeo ne ma-
„ gis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cau-
„ sis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas
„ displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus erro-
ri. " Felix II. *epistola ad Acacium Constant.* " Negligere, cum possis de-
„ turbare perversos, nihil est aliud quam fovere; nec caret scrupulo so-
„ cietatis occultæ, qui evidenter facinori definit obviare. " Denique synodus Lateranensis sub Martino I. de typo Constantis agens, " Simili-
„ ter malum est, inquit, pejus amplecti, & cum ipso melius indiscrete
„ projicere.

Instabis 1. Synodus VI. de epistolis Honorii ac Sergii verba faciens,
„ ait eas " Esse alienas ab apostolicis dogmatibus, . . . sequi vero falsas doctrinas hæreticorum. Ergo.

Distinguo: alienas, sed non eodem modo; concedo. & eodem modo; nego. Epistola enim Sergii aliena erat quoad sensum, Honorii vero epistola, quoad loquendi rationem duntaxat, cum unam voluntatem prædicaret non minus quam Monothelitæ, sed id aliter quam ipsi intelligeret.

Instabis 2. *Ibidem* synodus affirmat Honorium " In omnibus se-
„ cutum esse Sergii mentem, eoque impia dogmata confirmasse.

Distinguo antecedens: secutum Sergii mentem in silentio imperando; concedo: in pravo dogmate; nego. Profecto *ibidem* dicitur tantum *impiorum dogmatum confirmator*, non vero doctor.

Instabis 3. *Ibidem* synodus addit " Utriusque epistolas in unam
„ eamdemque impietatem tendere.

Distinguo antecedens: tendere, sed diversa ratione; concedo: eadem ratione; nego. Uterque enim isto silentio fovit hæresim; at Sergius suam, ut pote homo vafer; Honorius autem alienam, ut minus prudens & parum cautus pontifex.

Instabis 4. Eadem est Honorii & Sergii causa. Atqui. Ergo.

Nego majorem. Latum enim est discrimen Honorium inter & Sergium, si rem ipsam spectemus. Erat enim Sergius origine, institutione, secta, totus jam Eutychianus: imperatorem in errorem impulerat: cum præcipuis Monothelitarum ducibus arctissimam inierat societatem: epistolis suis Honorium provocaverat ad lapsum: catholicis imponebat: ecthesi Heraclii subscripserat, qua præter silentii indictionem continebatur unius voluntatis diserta professio; uno verbo nihil est in Sergio, quod hæresim non spiret: at contra Honorius solo pacis studio, solo novitatis metu Sergii votis annuens silentium imperavit.

Instabis 5. At Monothelitæ eodem modo ratiocinabantur quo Ho-

Honorius; & ex eo quod non esset in Christo fomes peccati colligebant in eo unam esse voluntatem. Ergo propterea excusari non potest Honorius.

Distinguo antecedens: eodem modo ratiocinabantur, sed diverso consilio; concedo: & eodem consilio; nego. Pugnam enim voluntatum removebant Monothelitæ, ut unam in toto ejus supposito voluntatem inde astruerent: sed Honorius, ut unam duntaxat assereret humanæ Christi naturæ voluntatem.

Instabis 6. Honorius a Patribus synodi VI. *hæreticus* appellatur. Ergo.

Respondeo *hæretici* nomen apud antiquos latius patere, & de iis etiam esse dictum, qui hæreticis solummodo favissent.

Instabis 7. Honorius inter eos recensetur, " Quorum ore dæmon " venenum impietatis diffudit. Ergo.

Respondeo duplici modo disseminari posse hæresim: ac 1. quidem pestilens dogma spargendo: 2. veritatem catholicam interea supprimendo. Primo modo hæresim disseminarunt Sergius, Cyrus &c. secundo modo Honorius, dum catholicis silentium imposuit.

Instabis 8. At juxta Adrianum papam *supra*, Honorius accusatus hæreseos fuit, eoque nomine damnatus. Ergo.

Distinguo: hæreseos quam prædicasset aut fovisset; concedo: quam prædicasset; nego.

QUÆSTIO SEPTIMA

De ambarum in Christo naturarum conjunctione.

ARGUMENTA.

Quid sit unio hypostatica.

Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, liquet duas in Christum naturas, divinam scilicet & humanam confluxisse: sed in quo sita sit hæc conjunctio perspicuum non est: imo vero in eo præsertim positum est mysterium Incarnationis, humanæ menti impervium & inaccessum. Neque profecto mirum videri debet, quod hunc nexum non capiamus, cum ne animæ quidem nostræ cum corpore nostro copulationem compertam habeamus.

Inde theologi in varias super ea re sententias distrahuntur. Alii enim unio-

unionem illam existimant ipsam esse actionem, qua humana natura producitur: alii qualitatem aliquam supernaturalem, quæ dicitur gratia unionis: alii relationem quamdam realem: alii modum aliquem substantialem ab extremis conjunctis distinctum:

ASSERTIO I.

Unio hypostatica nihil est ab extremis conjunctis distinctum.

Probatur 1. Vel enim illud est quid unum, vel multiplex. At neutrum dici potest. 1. Enim non potest dici unum, cum recipi debeat in Verbo, anima & corpore. 2. Non potest dici multiplex. Vel enim duplex esset, vel triplex. At non duplex. Adhuc enim quæreretur quonam vinculo duo illa colligarentur. Non triplex. Deberet enim tertium in tribus simul substantiis esse: quod repugnat. Ergo.

Probatur 2. Eadem ratione judicandum est de hypostatica unione, qua de corporis & animi nexu. Atqui philosophi recentiores nihil agnoscunt ab anima & corpore distinctum, quo ambæ illæ partes uniantur. Ergo &c.

Objicies 1. Nulla est actio, quæ non producat. Atqui peculiaris quædam actio fuit, qua Verbum, & natura humana conjungerentur. Ergo aliquid producere debuit. At non produxit Verbum, ut constat: neque etiam produxit naturam humanam. Aliud enim est naturam humanam produci; aliud cum Verbo conjungi. Ergo necessario produxit aliquid ab his extremis distinctum.

Distinguo majorem: omnis actio productiva; concedo: unitiva-nego. Hæc enim non tendit ad aliquid producendum, sed ad constanl dum compositum: quod quidem nihil aliud est, quam partes ipsæ simu; junctæ.

Objicies 2. Ubi est aliqua mutatio, ibi necesse est aliquid produci aut advenire. Atqui cum natura humana ex non unita facta est unita cum Verbo, in eo extitit mutatio. Ergo.

Distinguo majorem: ubi est mutatio entitativa: concedo: connotativa tantum; nego. Porro nulla mutatio entitativa intercessit, cum Verbo natura humana conjuncta est. Eadem enim semper entitas mansisse cogitanda est: proinde non intercessit nisi mutatio quædam connotativa, qua natura humana, quæ prius non concipiebatur ullum habere ordinem ad Verbum, cum eo deinceps necessitudinem habuit.

Instabis. Ibi debet intervenire entitativa quædam mutatio, ubi a certis quibusdam attributis ad alia transitur omnino contraria. At in conjunctione humanæ naturæ cum Verbo, illud certe contigit. Ex non unita enim facta est unita. Ergo intervenit mutatio quædam entitativa. Atque hoc quidem argumentum tanti ponderis visum est Ochamo, ut eo oppressus sententiam mutasse dicatur, & modos substantiales propterea admisisse.

Di-

Distinguo majorem : ubi transitur ad alia attributa contraria in rebus absolutis ; esto : in rebus relativis; nego . Cum igitur homo ex indocto fit doctus , e non medico fit medicus , tunc sane intervenit mutatio quædam entitativa , quia prædicata illa sunt absoluta , nempe doctrina , medicina . At ubi agitur de rebus relativis , non eadem est ratio . Citra ullam enim mutationem entitativam sibi tunc succedere possunt attributa opposita : sic paries , qui nulli alteri similis erat, citra ullam sibi mutationem entitativam potest similis evadere, nimirum si quidam paries ejusdem coloris extruatur.

Objicies 3. Quod est indifferens, debet per aliquid determinari. Atqui natura humana indifferens erat, ut ab hac vel illa persona divina terminaretur. Ergo.

Distinguo antecedens : debet determinari per aliquid generatim ; concedo: per aliquem modum a se distinctum ; nego . Jam vero natura humana determinata est ab ipso Verbo. Certe Verbum pariter indifferens erat ad hanc per illam naturam. An idcirco debuit aliquid in ipso recipi, quo determinaretur?

ASSERTIO II.

Unio hypostatica non est actio, qua producta est humana natura.

Probatur 1. Quod enim posterius esse cogitatur actione, qua producta est humanitas Christi , illud non est quid idem cum illa actione . Atqui cogitatur prius fuisse natura humana, quam Verbo illa uniretur. Ergo &c.

Probatur 2. Actio, qua producta est humana natura, totius fuit SS. Trinitatis, unio autem formalis solius est Verbi.

Objicies. S.Leo *epist.* 11. sic ait, " Natura nostra non sic assumpta est, ,, ut prius creata, postea assumeretur ; sed ut ipsa assumptione crearetur," Ergo unio Verbi cum natura humana non distinguitur ab ejusdem naturæ humanæ creatione.

Distinguo antecedens : ipsa assumptione crearetur , idest eo ipso temporis puncto assumeretur & crearetur ; concedo : id est ipsa assumptione reipsa produceretur ; nego . Unio enim per se non est productiva . Quocirca Sancto Leo hic ad Nestorium ejusque hæresim duntaxat respicit , qua asserebat naturam humanam prius fuisse creatam , & postea temporis decursu a Verbo ad moralem nexum assumptam .

ASSERTIO III.

Per sese Verbum & natura humana sine rei cujusque interventu copulata sunt.

Probatur 1. Quia ipsa per sese apta erant ad illam conjunctionem. Hinc enim natura humana apta erat ut terminaretur a Verbo; illinc autem

Verbum vim habebat idoneam ad supplendam naturæ humanæ hypostasim. Ergo &c.

PROBATUR 2. Non minus enim citra ullum medium copulari potuerunt Verbum & natura humana, quam copulentur corpus, & anima in homine. Atqui ea est vulgaris scholarum doctrina de corpore, & anima. Ergo &c.

ASSERTIO IV.

Eo intelligitur facta esse utriusque naturæ hypostatica unio, quo Verbum divinum ad se transtulit tanquam ad digniorem hypostasim, sibique physice conjunxit naturam humanam, ita ut eam deinceps tanquam sibi propriam, suique juris factam immearet, regeret, & ageret.

PROBATUR 1. In eo enim collocanda est unio hypostatica, quo posito omnia optime explicantur. Atqui positis his, quæ mox recensuimus, omnia optime explicantur.

Primo hinc sequitur naturam humanam in Christo non esse personam. Nam persona est natura quædam rationalis in se, per se, ac seorsum subsistens. Atqui &c. Ergo &c.

Secundo inde etiam sequitur naturam humanam divina duntaxat hypostasi subsistere, quia nimirum a Verbo sumitur, & in eo subsistit. Quoties enim aliqua natura inferior accedit ad superiorem, toties suppositum esse desinit quod erat, & aliud dignius evadit pro illius conditione, cui adjungitur. Sic corpus humanum, quod per se est suppositum inanime, simul atque cum anima rationali consociatur, statim ejus beneficio persona una efficitur.

Tertio sic manifestum est, quo pacto unica sit in Christo persona.

Quarto Nestorii error eo eliditur, cum diceret Verbum cum humana natura nonnisi morali nexu copulari.

Quinto hoc intelligitur, qua ratione Christus idem omnia sibi utriusque naturæ attributa vindicet.

Sexto cur natura humana in Christo peccato obnoxia esse non possit, quia nempe propria Verbi facta est, & in jus Dei peculiare cessit, quod Verbum eam regit, & agit. Itaque in ipsum Deum culpa redundaret.

Septimo denique ex eodem capite dilucidius adhuc innotescit, qua de causa humana natura non sit peculiaris persona. Ut enim constat, persona esse debet proprii juris, non alieni. Cum ergo natura humana in jus Verbi transierit, jam ipsa per sese non potest esse persona. De quo consule Thomassinum, qui de hoc argumento fuse & erudite ex Patrum sententia *toto libro* 3. disseruit. Nonnullos ex antiquis attulisse sat nobis erit.

Pas-

Paschasius diaconus *lib.* 2. *de Spiritu-sancto cap.* 4. " Dei quidem & „ hominis, inquit, duplex substantia est; sed tamen una persona. Quamobrem? Quia dum formam servi accipiens, famulo Deus jungitur, „ minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur : . . . ac sic „ proprietatem personæ humanitas divinitate obumbrante vel eminente „ non obtinet : . . . . & sicut apud nos homines, filius patrisfamilias „ juxta patrem . . . . personæ propriæ locum non habet ; ita in Deo „ & homine gemina quidem substantia, sed non gemina persona est : „ quia persona personam consumit : substantia vero substantiam consumere non potest : siquidem persona res juris est, & substantia res „ naturæ. " Quem locum laudat synodus Francofordiensis *in epistola* „ *ad episcopos Hispaniæ*.

Hugo Victorinus *in apologia de Verbo incarnato*, " Sed, inquit, dicet aliquis, nonne homo assumptus persona esset, si non esset unitus „ Verbo? Solvo, Esset quidem persona, & haberet suam personantiam „ ex sua rationalitate. Nunc vero ex quo totus splendor divinitatis se „ infudit lucernæ humanitatis, minus lumen cedit majori; id est homo assumptus trahit suam personantiam ex Verbo . . . . Unaquæque „ creatura rationalis ex hoc dicitur persona, quod habet excellentius „ . . . Hinc dicimus quod homo assumptus est in personam Verbi : sed „ Verbum non assumpsit personam hominis, quia non superius ab inferiori, sed inferius a superiori persona dicitur.

Idem *lib.* 2. *de sacramentis*, *parte* 2. " Anima, inquit, in quantum „ est spiritus rationalis, ex se & per se habet esse personam . . . . „ Sicut ergo corpus rationali spiritui junctum non dat illi ut sit persona; sed junctum illi accipit ab illo ut ipsum sit una persona cum „ illo : sic humanitas juncta Verbo, non quidem illi dedit ut esset „ persona, sed unita illi, accepit ab illo ut una esset persona cum illo.

Ita S. Thomas 3. *parte quæst.* 2. " Sciendum est, inquit, quod non „ quodlibet individuum in genere substantiæ, etiam in rationali natura, habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit, non „ autem illud quod existit in alio perfectiori . . . . Licet ergo hæc humana natura sit quoddam individuum in genere substantiæ; quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam superiori, scilicet „ in persona Dei Verbi; consequens est quod non habet personalitatem propriam.

ARTICULUS II.

De modo quo facta est unio hypostatica.

PLURA hic breviter perstringemus.

Primum, an illa unio in natura, an in hypostasi Verbi facta sit: secundum, quandonam facta sit : tertium, an assumpta sit natura, quæ pecu-

peculiarem haberet existentiam : quartum, an natura singularis : quintum, an animam, corpus, sanguinem, cæterasque partes hypostatice sibi Verbum conjunxerit : sextum, an corpus assumserit mediante anima : septimum, an etiam assumpserit humanæ nostræ naturæ defectus.

An unio facta sit in persona, an in natura Verbi.

ASSERTIO.

UNIO immediate & proprie facta est in persona Verbi, non in natura divina.

PROBATUR 1. veterum testimoniis.

Ferrandus *ad Anatolium*, " Pater & Filius, inquit, substantia unum " sunt, non in personis. Una est natura Patris & Filii, sed alia est " persona Patris, alia Filii. Filius vero suscipiens carnem, . . . naturam sibi adunavit humanam, sed in unitate personæ, quam non habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius & natus & passus est.

Toletana synodus XI. *in professione fidei*, " Incarnationem hujus Filii Dei, inquit, tota Trinitas operata esse credenda est; quia inseparabilia sunt opera Trinitatis : Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id " quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.

PROBATUR 2. duplici ratione. 1. Est, quam modo indicabat Ferrandus. Si enim unio facta esset immediate in natura divina, Pater & Spiritus-sanctus non minus fuissent incarnati quam Filius, cum natura divina tribus personis peræque sit communis. 2. Est, quod ex duabus naturis simul junctis una composita coaluisset.

OBJICIES. Non pauci sunt sancti Patres, qui dicant humanam naturam assumptam fuisse a divinitate. Augustinus *lib.* 1. *de Trinit.* Leo *serm.* 3. *de nativ. cap.* 2. &c. de quibus Petavius *lib.* 5. Ergo.

DISTINGUO : assumptam esse a divinitate mediate, id est mediante hypostasi propria Verbi; concedo : immediate; subdistinguo : a divinitate, id est a Deo Verbo; concedo : id est a natura divina ; nego.

Quandonam facta sit unio hypostatica.

DUPLEX notandus est a nobis error. 1. Est Pauli Samosateni, Photini, ac præsertim Nestorii, qui existimarunt Christum prius perfectum hominem extitisse, quam fieret Deus, ita ut decursu temporis id promeruerit. De quo Petavius *lib.* 1. *cap.* 9. & 10.

2. Est Origenis *lib.* 2. *de principiis cap.* 6. ubi ait, animam Christi prius creatam fuisse & præclaris meritis id esse deinceps consecutam, ut in plenitudine temporis cum Verbo & humana carne ipsi unita conjungeretur.

AS.

ASSERTIO.

Christus ut homo nulla sui parte prius extitit quam cum Verbo conjungeretur.

Probatur 1. veterum auctoritate.

Athanasius in libello *de Incarnatione*, " Carnis adunatio, inquit, „ cum divinitate Verbi ex utero facta est; .... non quidem ejusmo- „ di ut ante Verbi adventum extiterit.

Augustinus *lib.* 13. *de Trin. cap.* 17. " Ex quo homo esse cœpit, ex „ illo est & Deus. " Adde quæ olim de causa Incarnationis merito- ria diximus.

S. Leo *epist.* 11. " Natura nostra non sic assumpta est, ut prius crea- „ ta, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur. " Vide & epistolam Justiniani contra Origenis commentum de anima Christi prius existente, quam Verbo jungeretur.

Probatur 2. duplici ratione. 1. Est contra Nestorium. Si enim natura humana prius extitisset per sese, non potuisset fieri unio hypostatica. Duplex enim omnino persona in Christo fuisset. 2. Est contra Origenem. Christus enim ejusdem nobiscum fuit conditionis. Atqui animæ nostræ non prius creantur, quam corpori infundantur. Ergo.

An natura humana a Christo assumpta habeat peculiarem existentiam.

Plurimi sunt e schola S. Thomæ, qui opinentur naturam humanam in Christo propria non gaudere existentia; sed eam perinde ac subsistentiam a Verbo trahere.

ASSERTIO.

Natura humana in Christo propria gaudet existentia.

Probatur 1. auctoritate Cyrilli, qui *lib.* 1. *adversus Nestorium*, duplicem Christo existentiam attribuit, alteram æternam ut Deo, alteram temporalem ut homini.

Probatur 2. ratione. Quod enim per se est aliquid reale, idem habet existentiam sibi propriam. Atqui talis est natura humana Christi. Ergo.

Objicies. Sophronius Hierosolymitanus *in epistola synodica*, quæ probata est *actione* 2. *sexta synodi*, & S. Damascenus *lib.* 3. *cap.* 12. affirmant carnem in Verbo extantiam habere aut habuisse; non autem habuisse per se ipsum.

Respondeo utrumque dici contra Nestorium, qui docuerat huma-

nam

nam Christi naturam prius in se & per se extitisse, quam in Verbo esset. Aliud autem est extantiam habere in Verbo, aliud a Verbo.

An a Verbo assumpta sit natura humana singularis.

Hæc difficultas oritur ex quibusdam sanctorum Patrum dictis, qui pronunciant naturam communem a Christo fuisse assumptam.

ASSERTIO.

A Christo assumpta est natura humana singularis.

Probatur. Christus assumpsit naturam aliquam realem. Atqui sola singularis natura talis est. Ergo.

Quod autem pertinet ad Patres, qui de communi natura loquuntur, v. g. Marium Victorinum *lib. 3. contra Arianos*; Athanasium *orat. 4.* Gregorium Nyssenum *lib. 1. contra Eunomium* &c.

Respondeo id intelligi de communitate physica, non de communitate universalitatis, ut ajunt, quod nempe eamdem nobiscum & ejusdem conditionis naturam assumpserit; non vero quod naturam aliquam assumserit ab omnibus individuis abstractam; aut intelligi de assumptione morali, non physica, quia scilicet in Christo omnes quadantenus esse penes naturam communem & unum quid cum eo fieri existimamur.

Quas humanæ naturæ partes assumpserit Christus.

Non hic ambigitur an Christus corpus & animam, aliasquæ humanæ naturæ partes habuerit. Id enim probavimus *supra*; sed an eas partes hypostatice sibi conjunxerit Verbum, seu an eas unio hypostatica afficeret & complecteretur.

ASSERTIO I.

Christus assumpsit hypostatice corpus & animam humanam.

Probatur. Hypostatice enim sibi copulavit naturam humanam Verbum quippe caro factum est seu homo: accepit formam servi seu hominis. Atqui natura hominis duo hæc postulat & involvit.

ASSERTIO II.

Christus assumpsit hypostatice sanguinem.

Probatur 1. ex Scripturis. Apostolus enim ad Hebræos 2. 14. *Quia ergo pueri*, inquit, *communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.*

Probatur 2. ex Clemente VI. *in Extravaganti de pœnit. & remissioni-*

sionibus. Ibi enim diserte pronunciat " Unicam sanguinis Christi guttam, „ propter suam cum Verbo unionem, sufficientem fuisse pro redemptione „ totius humani generis.

PROBATUR 3. ratione. Sanguis enim Christi nostræ redemptionis pretium fuit; Ephes. 1. 7. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus*. 1. Petri 1. 18. *Non corruptibilibus; auro & argento redempti estis; sed pretioso sanguine*. Igitur sanguis Christi fuit infiniti valoris. At infinitus ille valor aliunde profluere non potuit, quam ex ipsius cum Verbo hypostatica conjunctione. Ergo &c.

ASSERTIO III.

VERBUM eas omnes humani corporis partes assumpsit.

PROBATUR. Verbum enim assumpsit verum & & perfectum corpus nostro simile. Atqui non est perfectum corpus sine omnibus partibus suis. Ergo. Jam vero partes humani corporis, triplicis sunt generis. Aliæ enim pertinent ad integritatem, ut ossa, nervi, & membra: aliæ ad vitam & functiones vitæ, ut sanguis, spiritus, humores: aliæ ad ornatum, ut ungues, capilli &c. Hæc itaque omnia sibi hypostatice Verbum copulavit.

An Verbum assumpserit corpus mediante anima.

NON hic agitur de prioritate temporis, ut loquuntur; sed de quadam veluti naturæ prioritate. Jam enim *supra* rejecimus Origenis opinionem, qui aiebat animam Christi non solum prius extitisse; sed & prius esse meritis suis assecutam, ut cum Verbo copularetur caro. Controversia ergo est, an Verbum cogitari debeat prius assumpsisse animam, quam corpus, ita ut non nisi interventu animæ ad corpus accesserit.

ASSERTIO.

CHRISTUS mediante anima corpus assumpsit.

PROBATUR ex vulgari Patrum doctrina.

Gregorius Nazianzenus *orat.* 1. " Ob hanc causam, inquit, Deus „ carni interventu animæ copulatus est, & quæ a se mutuo distabant, „ per interpositæ rei cum utraque affinitatem & cognationem copulata „ sunt.

Ambrosius *in symbolum Apostolorum*, " Anima rationali mediante „ Verbum Dei opificio Spiritus sancti carnem assumpsit.

Augustinus *epist.* 120. *cap.* 4. " Verbum incommutabile, inquit, nihil „ in deterius commutatum particeps carnis effectum est rationali anima „ mediante.

Gre-

Gregorius Magnus *moral.* 18. *cap.* 12. "Dominus, inquit, per divinitatem lumen est, qui mediante anima in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus." De quo Petavium *lib.* 4. *cap.* 13.

Ita autem locuti sunt tam frequenter Patres, 1. ut responderent paganis, qui Christianis objiciebant Incarnationis mysterio, contagione carnis ac sordibus contaminatam fuisse Dei majestatem; 2. ut refellerent Apollinaristas, qui animam a Christo auferebant.

An Verbum divinum assumpserit humanæ naturæ defectus.

Humanæ naturæ defectus alii pertinent ad corpus, alii ad animam. Corporis defectus alii sunt toti humanæ naturæ communes, ut corruptibilitas; alii speciales, qui proprii sunt quibusdam duntaxat, & ex certis ac peculiaribus causis enascuntur, ut febris &c. Animæ autem defectus sunt passiones, ignorantia, fomes peccati seu concupiscentia.

ASSERTIO I.

CHRISTUS assumpsit eos corporis defectus, qui toti humanæ naturæ sunt communes.

PROBATUR 1. ex antedictis. Corpus enim ipsius fuit omnibus humanæ vitæ miseriis, dolori & morti obnoxium.

PROBATUR 2. ex Apostolo *supra* qui ait Christum fuisse cæteris hominibus similem excepto peccato.

PROBATUR 3. ratione. Id enim necessarium fuit, 1. ut Filius Patri necessariam pro nobis satisfactionem exhiberet: 2. ut veritas carnis ab eo assumptæ magis ac magis innotesceret: 3. ut esset patientiæ cæterisque virtutibus locus: saginari enim patientia voluit Christus.

ASSERTIO II.

NON assumpsit Christus eos corporis defectus, qui ex specialibus causis oriuntur.

PROBATUR. Quia nec decebat Deum his esse subjectum, nec ullatenus erant necessarii ad peragendum salutis nostræ negotium.

ASSERTIO III.

IN Christo fuerunt humanæ naturæ passiones.

PROBATUR 1. ex Scripturis. In eo enim fuit 1. dolor: Isaïæ 53. *Vidimus eum, ... virum dolorum, & scientem infirmitatem.* 2. Tristitia: Matt. 26. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* 3. Ira: Marci 3. 5. *Et circumspiciens eos cum ira.*

PRO-

PROBATUR 2. ex Patribus. Athanasius *orat.* 4. " Decebat Dominum, „ inquit, humana carne vestitum; hanc totam cum passionibus pro„ priis induere. Gregorius Nazianzenus apud Theodoretum *dial.* 3. " Cujus ergo sunt passiones? inquit, carnis. Igitur si carni passiones „ tribuis &c. " Vide Leontium *lib.* 2. *contra Nestorium*, ubi id non paucis veterum sententiis probat; & Joannem Damascenum *lib.* 3. *cap.*20. ubi de hoc argumento erudite disserit.

OBJICIES. Hieronymus *in Matth.* 26. 37. ait in Christo non fuisse passiones, sed propassiones. Ergo.

DISTINGUO antecedens: non fuisse passiones, quoad modum nostris similes; concedo: quoad substantiam; nego. Sic enim loquitur. " Ut vere quidem contristatus sit; sed ne passio in animo illius do„ minaretur.

ASSERTIO IV.

NULLA fuit in Christo ignorantia.

PROBATUR 1. ex Scripturis. In eo enim non fuit ignorantia, in quo plenitudo fuit scientiæ & veritatis. At in Christo fuit plenitudo scientiæ & veritatis: Joan. 1. *Plenum gratiæ & veritatis*. Col. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

PROBATUR 2. ex Patribus. Augustinus *lib.* 2. *de pecc. mor. cap.* 29. " Ignorantiam, inquit, nullo modo crediderim fuisse in infante illo, „ in quo Verbum caro factum est. " Gregorius Magnus *epist.* 42. *lib.* 8. " Qui ipsam Dei sapientiam, inquit, fatetur incarnatam, qua men„ te valet dicere esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret?

PROBATUR 3. Quia Agnoetas hæreticos explosit Ecclesia. Illi autem sciscebant, teste Nicephoro *lib.* 18. *hist. cap.* 50. " Deum quidem Ver„ bum omnia cognoscere, sed multa nescire conjunctam cum illo hy„ postatice naturam hominis.

OBJICIES 1. Christus ignoravit judicii diem *Matth.* 24. 26. *Marci* 3. 31. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ignoravit seu nesciit ex conditione naturæ humanæ; concedo: omnino; nego: De hoc, ubi de Christi divinitate.

OBJICIES 2. In Christo fuit admiratio, *Matth.* 8. 10. Atqui admiratio ex ignorantia proficiscitur. Ergo.

DISTINGUO majorem: fuit admiratio metaphorica & improprie dicta; concedo; proprie dicta; nego. Vultum quidem ita componebat Christus, ut mirari videretur, eoque auditorum animos ad mirandum excitabat: sed ipse proprie non mirabatur, ut pote qui omnia nosset.

OBJICIES 3. Christus *Lucæ* 2. 52. dicitur profecisse sapientia. Ergo.

DISTINGUO antecedens: id est majora in dies sapientiæ argumenta dedisse; concedo: secus; nego.

AS-

ASSERTIO.

Non fuit in Christo peccati fomes & concupiscentia.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Joannis 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ad Romanos 8. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*. Quo solam similitudinem astruit Paulus, non vero rem ipsam. 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Hebr. 4. 15. *Tentatum per omnia, . . . absque peccato*. Ibidem 7. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus . . . . qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*.

PROBATUR 2. ex Patribus. Tertullianus *de carne Christi cap.* 16. " Similitudinem, inquit, peccatricis carnis vult intelligi, quod ipsa " non peccatrix caro Christi . . . . fuit " &c. Augustinus istud simul docet, ac causam aperit *lib. de nuptiis & concup. cap.* 12. De Mariæ enim & Joseph matrimonio loquens, " Solus, inquit, ibi nuptialis con- " cubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa " carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua con- " cipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed " in similitudine carnis peccati.

PROBATUR 3. ratione. Fomes enim peccati & concupiscentia ex naturali conjugum concubitu oritur. Atqui ea via non est conceptus Christus: sed de Spiritu-sancto. Ergo.

OBJICIES. Christus ipse *psalmo* 21. 2. delicta sibi tribuit.

DISTINGUO antecedens: delicta aliena, quæ ipse eluenda susceperat; concedo: quæ ipse admiserat; nego.

ARTICULUS III.

De proprietatibus unionis hypostaticæ.

An hæc unio dicenda sit naturalis.

RESPONDEO ita dici posse ac debere.

Primo enim sic loquuntur antiqui. Cyrillus enim *anathem.* 3. eam naturalem vocat.

Maxentius *de Incarn. cap.* 3. Christum in duabus substantiis confitetur; " Sed naturali non personali conventione unitis. " Petrus diaconus, " Pro- " pterea: inquit, ... essentialem sive naturalem factam naturarum unitio- " nem omnimodis confitemur. " Sophronius *act.* 11. VI. synodi agnoscit pariter conventionem naturalem.

Secundo reipsa est naturalis eo videlicet sensu, 1. quod sit vera, non fucata: id enim aliquando vox illa significat, 2. ac potissimum, quod

quod sit physica, non vero moralis duntaxat, qualem Nestorius cogitabat: 3. quod sit duarum naturarum, non autem duarum personarum. Non dicitur vero naturalis hæc unio, quasi non sit ordinis supernaturalis. Eam enim esse supernaturalem eo sensu indubitatum est.

An hæc unio dicenda sit substantialis.

RESPONDEO ita esse.

Primo enim sic eam appellant veteres. S. Gregorius Nazianzenus, " Si quis, inquit, tanquam in propheta gratia operatum esse Deum " in Christo dicit, & non secundum substantiam conjunctum esse ac " conjungi, a præstantiore afflatu vacuus sit; imo contrario repleatur. " Joannes Damascenus *lib. 3. cap. 3.* " Substantivam unitionem " dicimus, inquit, hoc est veram, & non secundum imaginationem: substantivam porro non sic, tanquam naturæ duæ unam naturam composi- " tam effecerint, sed ita ut unitæ sint invicem revera in unam hypostasim " compositam Filii Dei &c.

2. Ita nominanda est, ut adumbrata illa, quam Nestorius invehebat naturarum copulatio excludatur.

An hæc unio sit omnium maxima.

RESPONDEO ita esse, duplici de causa. Ac 1. quidem eo quod eo major est extremorum unio, quo longius a se invicem distant. At Deus & humana natura infinito a se invicem intervallo distant. 2. Quia Deus non potuit præstantiori modo sese communicare cum creatura, quam si eam in ejusdem suppositi communionem asciscceret.

An hæc unio sit indissolubilis.

NOTANDUM est 1. Origenem prava imbutum opinione de interituris aliquando corporibus, censuisse humanam Christi naturam olim extinguendam esse. De quo Theophilus *epistola Paschali* 2. & Hieronymus *epist. 69. ad Avitum.*

Notandum est 2. Marcellum Ancyranum, quasi Incarnatio, temporalis quædam esset administratio, putasse Christum post ultimam judicii diem, utpote omni officio suo defunctum, corpus & animam suam esse positurum, ita ut utrumque in nihilum revertatur; ad hæc autem regno suo cessurum, illudque ab ipso tunc resignandum Patri. De quo Eusebius *lib. 3. de eccles. theolog. &c.*

Notandum est 3. Arianos juxta Gregorium Nazianzenum *orat. 36.* sensisse divinitatem Christi accedente morte ita fuisse conterritam, ut a Christo ante obitum plane recesserit.

Notandum est 4. multos e veteribus videri propendere, ut significent

Verbum a corpore Christi triduo mortis recessisse. Scilicet Tertullianus *contra Praxeam cap.30.* Eusebius *lib.4. demonstr. evang.cap.13.* Hilarius *can.33. in Matth.* Epiphanius *in haeresi Herodianorum & Arianorum*; Ambrosius *lib.10. in Lucam & in expositione symboli*.

Notandum est 5. gravem anno 1462. ortam esse Dominicanos inter & Franciscanos de sanguine Christi controversiam; an videlicet triduo mortis a Verbo sejunctus fuerit. Cum enim Jacob Marchianus Minor sacra in concione id asseruisset, ideoque sanguinem Christi non fuisse tunc latriae cultu adorandum, eique strenue sese opponerent Dominicani, lis ad summum pontificem delata est, qui licet in Dominicanorum sententiam magis inclinaret, eam tamen decidere noluit. De quo Spondanus *ad hunc annum* consulendus est.

Notandum est 6. difficultatem quamdam moveri posse de certis carnis & sanguinis Christi particulis ac reliquiis, quae dicuntur olim extitisse aut etiamnum superesse. 1. Enim aqua & sanguis quae e latere Christi mortui fluxerunt, a B. Virgine & apostolo Joanne excepta esse feruntur, teste Nicephoro *lib. 1. hist. cap.3.* & in vasculo servata, quod juxta B. Brigittae revelationes intemerata Virgo in extremis posita S. Joanni commendaverit, una cum Christi praeputio jam Romae asservato in ecclesia Lateranensi, & olim a Carolo Magno Aquisgranum primo ac deinde Carisium delato, ut perhibet Innocentius III. *lib.1. de mysteriis missae cap.3.* 2. In sacro B. Magdalenae antro ampulla a Dominicanis ostentatur, qua terra contineri dicitur coloris rubrum inter & nigrum medii, quam e Calvariae monte Magdalena illuc asportasse narratur, quaeque dicitur quotannis ebullire, dum cantatur evangelium feria 6. Parasceves: de quo Sylvester in *Rosa aurea*. 3. A multis seculis Mantuae sanguis Christi exhibetur multis illustratus miraculis, de quo *annales Francorum in vita Caroli Magni*; Platina *in Leone III.* Baronius qui de istis Christi reliquiis docte simul ac diligenter in operibus ea de re disseruit *ad annum* 804: Taurini sindonem ostendunt venerando Christi sanguine tinctam, uti declarasse refertur Julius II. adde lanceae spiculum Novimbergae olim, nunc Romae religiose cultum; Veronicae velum, de quo Bzovius; spineam coronam in sacello regio Parisiis asservatam; clavos, aliaque mortis Christi instrumenta, in quibus hodieque pretiosi sanguinis vestigia remanere existimantur.

Qua de re duplex est theologorum opinio. Alii enim sentiunt Christi sanguinis non nihil ab ipso in terris relictum esse, sed eo ipso unione hypostatica exutum (ut & praeputium, quod fertur, & cui, si ita est, aliud est substitutum.) Itaque Pius II. *in epistola quadam ad abbatem B. Mariae Sanctonensis dioecesis*, quam vidisse se affirmat Sylvester *in Rosa aurea*, pronunciavit fidei non repugnare, si Christus putetur aliquid e sanguine suo in terris reliquisse. Alii contra censent, quidquid sanguinis e Christo moriente ac mortuo fluxit, id ab eodem inter resurgendum esse denuo acceptum; proinde ex hoc pretioso sanguine

guine nihil omnino superesse. Ita Athanasius Syrus in libello *de passione Domini* laudato in septima synodo *act.* 4. & S.Thomas 3. *par. quæst.* 54. *art.* 2. qui illud etiam notant, nempe si quid hujus sanguinis alicubi ostentetur, illud non e Christo, sed ex imagine quadam manasse Beryti a Judæis confixa, ex qua tanta vis sanguinis exundavit, ut ampullæ eo plenæ per omnes orbis partes transmissæ sint: de quo Baronius *in Martyrologio, ad. 9. Novembris in annalibus ad annum* 765. Quanquam sanctus idem Thomas *quodlib.* 5. *art.* 5. dubitare videtur, an non Christi sanguinis aliquid jam in Ecclesia extet, qui extra passionis tempus e Christo exierit. Quod autem pertinet ad instrumenta mortis Christi, quæ ipsius sanguine tincta apparent, sunt qui respondeant loco veri sanguinis, qui olim in iis fuit, substitutum fuisse a Deo aliquid ejusdem coloris ad memoriam rei sempiternam.

Notandum est 7. Hugonem Victorinum *lib.* 2. *de sacramentis, parte* 1. *cap.* 2. & Magistrum sententiarum *lib.* 3. *dist.* 22. opinari Christum toto triduo mortis hominem esse non desiisse.

ASSERTIO I.

INSOLUBILIS est & perpetua futura est unio hypostatica.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Daniel enim de Christo incarnando loquens, *Potestas ejus*, inquit c. 7. 14. *potestas æterna, quæ non auferetur & regnum quod non corrumpetur*: Psal. 109. 4. *Tu es sacerdos in æternum.* Luc. 1. 30. *Regni ejus non erit finis*. Joan. 12. 34. *Christus manet in æternum.* Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Hebr. 7. 27. *Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ibid. 13. 8. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula.*

PROBATUR 2. ex symbolo. In eo enim de Christi regno sic habetur, "Cujus regni non erit finis.

PROBATUR 3. ex Patribus, qui oppugnarunt Origenem & Marcellum. Primum autem arguunt ex professo Theophilus Alexandrinus & Hieronymus *supra*: secundum non Eusebius modo, sed etiam Basilius *epist.* 52. Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 15. &c.

PROBATUR 4. ex concilio Chalcedonensi. *In professione* enim *fidei* dicitur utraque Christi natura in unam eamdemque personam concurrisse indivisibiliter & inseparabiliter.

ASERTIO II.

DIVINITAS Verbi nec corpus, nec animam Christi triduo mortis dereliquit.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Si enim Christus fuit in sepulchro, certe divinitas ab ejus corpore non est sejuncta: si autem fuit in infer-

ferno, profecto animam non dimisit. Christus enim duo necessario importat, divinitatem videlicet & humanitatem, vel saltem aliquam humanitatis partem, nec esse unquam potest citra divinitatem. Atqui utrumque verum est. Psalmo enim 15. 10. & Actuum 2. 27. ita habetur, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. 1. Petri, 3. 19. *Christus .... pro peccatis nostris mortuus est ..... mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*.

PROBATUR 2. ex symbolis, in quibus Christus dicitur fuisse sepultus & ad inferos descendisse.

PROBATUR 3. ex Patribus. 1. Enim Athanasius *de salutari adventu Christi contra Apollinaristas*, indissolubilem mixtionem vocat divinitatis cum humanitate conjunctionem, eoque probat Christum anima fuisse instructum, quod nempe mortuus sit Christus, mors vero sine separatione animæ esse non possit: divinitas autem ab humanitate separari non potuerit: ex quo colligit fuisse in Christo animam, qua a corpore separata, mors consecuta fuerit. 2. Gregorius Nyssenus *lib. 1. contra Eunomium*, eodem adversus Arianos utitur argumento. 3. Augustinus *lib. contra Felicianum Arianum cap.* 14. " Sic in sepulchro, inquit, carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero virginis connascendo formavit. " 4. S. Leo *serm.* 17. *de passione* ait, " Ambas Christi naturas in tantam unitatem ..... convenisse, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi. " Hinc celeberrimum illud B. Joannis Damasceni *lib. 3. cap.* 17. aut potius ejus scholiastæ effatum manavit, " Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit.

Adde Tridentinorum Patrum auctoritatem & censuram in fratrem Amandum Brixianum ex ordine Servitarum. Cum enim disputando longius progressus pronunciasset incautius Christi demortui corpus sejunctum fuisse a divinitate, tantum subito murmur coortum est, ut ipso strepitu coactus statim fuerit dictum revocare: quod narrat Palavicinus *lib. 17. hist. cap. 6.*

OBJICIES illos Patres qui *supra* memorati sunt.

RESPONDEO illos esse exponendos de separatione divinitatis ab humanitate ipso mortis tempore, quoad singularem protectionem; siquidem permisit Christum interfici: non vero de separatione quoad substantiam. Et ita Ambrosium interpretatur Magister sententiarum *lib. 3. dist.* 21. Ita etiam fere monachi Benedictini explicant Hilarium *in sua ad illius opera præfatione*. Quod si qui commode non possint eo reduci, salva, quæ eis debetur, maxima reverentia, deferendi sunt.

ASSERTIO III.

VERBUM cum sanguine unitum mansit per id temporis intervallum.

PRO-

Probatur 1. ex communi effato *supra* allegato, *Quod verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

Probatur 2. ex summis pontificibus, nempe Clemente VI. qui id dicitur definiisse contra quemdam, qui id Barcinone negaverat: quod perhibent Eymericus *in directorio Inquisitorum parte 2. quæst. 10. num. 1.* & Sylvester *in Rosa aurea;* & Pio II. qui in eam sententiam maxime propensus fuit, ut pote longe probabilissimam.

Probatur 3. ratione. Christi enim sanguis nostræ redemptionis pretium non fuit, nisi quatenus e corpore effusus. At eo in statu sanguis idem infiniti ad illud præstandum valoris esse debuit. Non potuit autem eiusmodi esse, nisi propter suam cum divinitate conjunctionem. Ergo.

ASSERTIO IV.

Illud postremum de sanguine non ita certum est, ut ii, qui aliter sentirent, nota affici debeant aut possint.

Probatur 1. ex decreto quod Pius II. summus pontifex anno 1464. Kalendis Augusti, paulo ante obitum edidit circa hanc controversiam, quæ coram ipso diu & magna animorum contentione Dominicanos inter & Franciscanos agitata fuerat. Eo enim utrique parti silentium imposuit, & prohibuit ne sese alterutra erroris nota configeret, donec aliter a sede apostolica definitum foret.

Probatur 2. ratione. Non enim res est omnino indubitata, id quod nuper asseruimus, Verbum nempe cum sanguine fuisse hypostatice conjunctum.

ASSERTIO V.

Christus triduo mortis verus homo non fuit.

Probatur 1. auctoritate veterum scholæ principum, qui illud in Magistro sententiarum, licet ipsi alioqui addictissimi, reprehenderunt, & istud illius paradoxum inter reicula ad calcem ipsius operis amandarunt.

Probatur 2. ratione. Homo enim non est anima sola, quod putavit Hugo Victorinus, nec anima & corpus a se invicem separata, quod censuit Petrus Lombardus; sed corpus & anima simul juncta. Atqui triduo mortis anima Christi non erat juncta corpori. Ergo per illud temporis spatium Christus verus homo non fuit.

ASSERTIO VI.

Christus totum, quem mortis tempore effudit sanguinem, cum resurgeret, resumpsit.

Probatur 1. auctoritate S. Thomæ 3. *parte*. *quæst.* 54. *art.* 2. & nnocentii III. *lib.* 1. *de mysteriis missæ cap.* 3.

Probatur 2. communi effato jam non semel adducto, & theologorum fere omnium consensione.

Probatur 3. ratione. Nihil enim fuit cur sanguinem potius in terra, quam corpus in sepulchro Christus relinqueret.

Nec dicas vulgo non putari sanguinem a Christo in circumcisione effusum ab ipso fuisse deinceps receptum.

Nam illud est discriminis inter sanguinem in circumcisione, & eum, qui in morte effusus est, quod primus non esset pretium redemptionis; proinde unione hypostatica destitui potuerit, non item alter. At Christus non debuit in terra dimittere quod erat Verbo unitum.

Quocirca vulgare illud scholarum pronunciatum, *Quod semel assumpsit Deus, id nunquam dimisit*, de universa substantia accipitur, non de singulis particulis.

ARTICULUS IV.

De consectariis unionis hypostaticæ.

Quædam ex unione hypostatica consequuntur a nobis expedienda. Alia ad duas Christi naturas; alia ad unam ipsius personam spectant.

An Christus dici possit esse duæ naturæ.

Respondeo ita dici posse per synecdochen & cum explicatione. Sic quippe S. Augustinus *Enchiridii cap.* 38. " Utraque substantia, inquit, divina scilicet & humana filius est unicus Dei Patris omnipotentis. " Ita & S. Leo *epist.* 11. Hinc S. Maximus martyr *in epistola ad Joannem cubicularium, de rectis Ecclesiæ decretis, & adversus Severum hæreticum, §. Brevis expositio acceptionis vocum fidei quas in Christo ex Ecclesiæ catholicæ sensu rite confitemur*, " Non cessamus, inquit, ex duabus Christum naturis confiteri, ... inque duabus naturis, ... duasque naturas, ut qui Deum simul & hominem eum esse credamus. " Adde Joannem Damascenum *lib.* 3. *de fide cap.* 19. Gregorium Nazianzenum apud Nicephorum *lib.* 18. *hist. cap.* 46. *pag.* 871.

Respondeo 2. hanc propositionem ambiguam nec satis accuratam Vigilio displicuisse, & in Joanne Hus ea abutente damnatam fuisse in concilio Constantiensi *sess.* 15. propterea quod nimirum ea loquendi ratione duas naturas divisim spectatas Christum esse proprie contenderet; in eo sequens Wicleffum, qui apud Thomam Valdensem *lib.* 1. *cap.* 42. " Suppono, inquiebat, quod persona Verbi sit corpus, anima, & deitas sigillatim. Igitur tripartiris Verbum, inquit Valden-

" sis,

„ sis, aliter quam antiqua Ecclesia, quæ ista tria dixit esse Christum
„ solum conjunctim.

An dici possit Christus esse ex duabus naturis.

Respondeo ita dici posse. Sic enim locuti sunt sancti Patres, Hilarius *lib. 9. de Trin.* " Mediator, inquit, ... ex unitis in idipsum „ naturis, naturæ utriusque res eadem est." Flavianus *in prima fidei professione* Christum confessus est ex duabus naturis esse: quod a concilio Constantinopolitano probatum est. Et vero si res per se spectatur, nihil omnino est difficultatis. Quin etiam ad fidem explicandam per se posset sufficere; ut observat Evagrius *lib. 1. hist.*

Observandum tamen est iniqua Eutychianorum contentione effectum esse aliquando, ut non modo putaretur id non satis esse, sed etiam ut ista locutio quadantenus suspecta evaderet. Nempe Eutyches, teste Boetio ex duabus quidem naturis Christum esse confitebatur, sed duas naturas aut in duabus naturis esse inficiabatur. Idem dicebat Dioscorus ea de causa damnatus a concilio Chalcedonensi, ut perhibet Eulogius, eratque hæc vulgaris apud Eutychianos sententia, quod asseruit Rusticus diaconus.

An Christus dici possit ac debeat esse in duabus naturis.

Respondeo dici posse in duabus naturis & ex duabus naturis: imo vero post Eutychianam hæresim exortam visum esse necessarium, ut non tantum ex duabus naturis, sed etiam in duabus simul esse diceretur, aut etiam duæ naturæ.

Probatur nonnullis veterum testimoniis. Gregorius Nazianzenus, apud Nicephorum *lib. 18. hist. cap. 46.* ita loquitur, " Magnus in theo„ logia Gregorius, inquit, loquitur sic. Ea ex quibus, & quæ est, „ servantem: de duabus naturis dogma istud sapientissime accuratissi„ meque sanciens.

In synodo Chalcedonensi cum Anatolius Constantinopolitanus, cui demandatum fuerat exarandæ fidei formulæ negotium, *act.* 4. & in ea duntaxat professus esset Christum esse ex duabus naturis, tanta vi reclamatum est ab episcopis, ac præsertim a legatis apostolicæ sedis, ut addere coactus fuerit Christum esse non tantum ex duabus, sed etiam in duabus naturis: quam historiam legere est apud Petavium *lib. 3. cap. 5.*

Cyrillus *in vita Euthymii*, " Illud, inquit, in duabus naturis recte „ additum est a synodo, non tanquam seorsum & per partes Christum „ dividente, sed eumdem in utroque confitente, & utrumque in eo„ dem.

Ferrandus diaconus *in epistola ad Severum*, " Si quis Christum, in-

„ quit, . . . quamvis eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen substantiis confiteri veretur aut dubitat, hic aut unius naturæ abolitionem aut utrarumque asseverat confusionem.

Maximus martyr, *supra*, " Non cessamus, inquit, confitentes Christum ex duabus naturis tanquam ex divinitate & humanitate; . . . & „ in duabus naturis tanquam in divinitate & humanitate, & duas naturas, ut pote Deum simul eumdem & hominem credentes &c.

An Christus dici possit esse ex tribus substantiis.

Respondeo 1. utrumque esse catholicum ac verissimum : quod nempe Christus sit ex duabus substantiis seu naturis, divina scilicet & humana; & quod Christus sit ex tribus substantiis, divinitate videlicet, corpore & anima, quemadmodum jampridem monuit Toletana synodus XV.

Respondeo 2. cum Apollinaris animam a Christo abstulisset; optimum antiquis apparuisse ac consultissimum ad impietatem ejus submovendam, si diceretur Christus esse ex tribus substantiis. Augustinus *lib.* 13. *de Trin. cap.* 17. " Sic Deo, inquit, conjungi potuit humana natura, ut „ ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima & carne. " Leo *epist.* 11. " Verbum, inquit, & caro atque anima unus Jesus Christus. Isidorus Hispalensis *lib.* 2. *de differentiis*, *num.* 6. " Nos, inquit, ex duabus subsistimus substantiis, corporis quidem & animæ : ille (Christus) ex tribus, Verbi, corporis, „ & animæ " Synodus Toletana XI. *in professione fidei*, " Christus, inquit, in . . . . . duabus naturis, tribus extat substantiis. " Ita etiam Toletana synodus XV.

Respondeo 3. hanc tamen loquendi rationem postmodum a nonnullis fuisse improbatam. Benedictus enim II. Romanus pontifex, id tanquam incaute ac minus considerate dictum a synodo Toletana XV. reprehendit. Quod cum accepissent Hispani præsules, paulo post coacto super ea re concilio sese purgarunt, contendentes utrumque recte posse dici; sed tamen satius else, si tres substantiæ agnoscerentur, ad elidendas Arianorum & Apollinaristarum fraudes. Quod Etherius & Beatus *in lib.* 1. *contra Elipandum*; Bernardus *lib.* 5. *de consider. cap.* 9. *serm.* 3. *in Vigilia nativ. Domini*; Stephanus Eduensis *de sacramento altaris cap.* 17. secuti sunt. Sed idem cum Benedicto papa sensisse reperiuntur, Leontius *lib.* 1. *contra Nestorium & Eutychem*; Damascenus *lib.* 3. *cap.* 16. Francofordiensis synodus *in epistola ad episcopos Hispanos*; Paulinus Aquilejensis *in sacro syllabo* &c. Ea videlicet de causa, quod Christus proxime constet ex duabus tantum naturis; ex tribus autem remote duntaxat. At, inquiunt, ut accuratus sit sermo, proximæ partes sunt duntaxat appellandæ, nec cum iis remotæ miscendæ sunt : alias nullus esset finis ac modus.

Respondeo 4. si utrumque adhibeatur, illud esse sedulo observandum,

dum, ut duas quidem pro libito naturas aut ſubſtantias appelles, nunquam vero tres naturas nomines, ſed tres ſubſtantias aut eſſentias : quod etiam veteres ſollicite caverunt : ut ſua n empe Eccleſiæ decretis de duabus adverſus Eutychianos naturis, ſemper conſtent vocabula.

An dici poſſit ex iis naturis compoſitus Chriſtus, & perſona ejus compoſita.

TRIPLEX hic eſt theologorum opinio. Bonaventura, Scotus, & alii non pauci contendunt nec Chriſtum, nec perſonam Chriſti dici poſſe ex duabus naturis componi.

S. Thomas contra 3. *parte*, *quæſt.* 2. *art.* 4. docet etiam perſonam Chriſti eſſe compoſitam. Typhanius autem Chriſtum ab hypoſtaſi ejus diſtinguens in grandi hac de re libro, pugnat ut Chriſtus quidem dici queat compoſitus, ſed non ipſius hypoſtaſis aut perſona.

Hujus autem quæſtionis ſolutio pendet ex natura & definitione compoſitionis. Jam vero duplex compoſitio eſt : prima ex partibus proprie dictis natura ſua incompletis & mutuum ad ſe invicem ordinem involventibus, quarum una ſit inſtar formæ, alia inſtar materiæ, qualis eſt coagmentatio hominis ex anima & corpore : ſecunda improprie dicta, atque, ut loquuntur, per modum numeri duntaxat, qui ex pluribus nullam ad ſeſe invicem neceſſitudinem habentibus poteſt coaleſcere.

ASSERTIO I.

NEC Chriſtus nec ejus perſona dici poſſunt ex duabus naturis tanquam ex partibus proprie dictis componi.

PROBATUR 1. veterum Patrum judicio.

Athanaſius apud Euthymium, *Panopliæ parte* 2. *tit.* 15. " Ambo, „ inquit, in una perſona conjunguntur, non compoſitione aliqua ex „ partibus, ſed unitione perfectarum naturarum, quia unam eſſentiam il„ la duo non faciunt. " S. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Maximum cap.* 10. " „ Chriſtus, inquit, una perſona eſt, geminæ ſubſtantiæ, quia Deus & „ homo eſt ; nec tamen Deus pars hujus perſonæ dici poteſt.

PROBATUR 2. duplici ratione. 1. eſt, Quod partes proprie dictæ ſint natura ſua incompletæ & totum efficiant, quod unaquaque parte ſeorſim eſt perfectius. Atqui divinitas in Chriſto non eſt aliqua natura per ſe incompleta, nec minus eſt perfecta qua totum ipſum ex natura eadem & humana coaleſcens. Ergo. 2. eſt, Quod ex duabus partibus proprie dictis una exurgat natura totalis & integra, v. g. in homine : proinde in Chriſto ſi res ita eſſet, unica foret agnoſcenda natura : quod hæreticum eſt. Ergo.

OBJICIES. Sunt quidam ex antiquis, qui ambas Chriſti naturas appellant ipſius partes : Maximus martyr apud Euthymium *parte* 2. *tit.* 15. & Euthymius ipſe *parte* 5. *tit.* 7. Ergo.

D I-

Distinguo : appellat partes improprie dictas ; concedo : proprie dictas ; nego.

ASSERTIO II.

Christus potest dici compositus ex duabus naturis per modum numeri.

Probatur veterum Patrum testimoniis.

Primo enim multi ita diserte loquuntur. Cyrillus in libro *de recta fide ad Theodosium* ait, " Mediatorem Dei hominumque compositum " esse ex humanitate nostra . . . . & ex unigenito . " Justinianus im- " perator *in professione fidei*, " Compositum Christum confitemur san- " ctorum Patrum doctrinam secuti. " Petrus diaconus *in lib. de Incar- " nat.* " Hinc etiam a sanctis Patribus, inquit, ... ex divinitate & humanitate Christus Dominus noster compositus prædicatur. " Ma- " xentius *dial.* 2. " Quamvis ex divinitate & humanitate .... Christum " compositum sive unitum esse fateamur &c.

Secundo non pauci aiunt Christum esse mixturam Dei & hominis, quod *supra* retulimus, quos inter non est omittendus Novatianus. Libro enim 18. *de Trinitate cap.* 19. vocat Christum ex utroque connexum, ex utroque contextum, atque concretum &c.

Tertio Christum secundum naturas duplicem esse affirmant alii. Sanctus Athanasius apud Euthymium *parte* 1. *tit.* 9. *cap.* 1. Sanctus Gregorius Nazianzenus *orat.* 2. & 38. Amphilochius, Antiochus ; Sanctus Joannes Chrysostomus apud Ephræmium *in bibliotheca Photii cod.* 229. &c.

ASSERTIO III.

Persona Verbi potest etiam ea ratione dici composita.

Probatur 1. consensione veterum. Synodus V. generalis *can.* 4. sic loquitur, " Non confitentur (Nestoriani) inquit, unitatem Dei " Verbi ad carnem . . . . secundum compositionem, sive secundum sub- " sistentiam factam esse, ... & ideo unam ejus subsistentiam com- " positam &c. Maximus martyr *lib. de una natura conposita* docet con- " tra Eutychianos id usurpari fas non esse, sed dici oportere potius " hypostasim unam Christi compositam. Sophronius Hierosolymita- " nus *in epistola synodica ad Sergium act.* 11. *synodi VI.* Nestorium re- " darguit " Quod . . . . unam Christi compositam hypostasim profi- " teri vereretur.

Probatur 2. ratione. Ad compositum enim per modum numeri satis est distinctorum unio. Atqui in Christo duæ sunt naturæ distinctæ & unitæ. Ergo.

Objicies 1. Ferrandus *epist. ad Severum*, & Hugo Victorinus negant personam Christi esse compositam. Ergo.

Di-

Distinguo antecedens: compositam ex partibus proprie dictis; concedo: per modum numeri; nego.

Instabis. At bene multi ex antiquis numerum a Christo submovent; de quo Petavius *lib. 4. cap. 4.*

Distinguo antecedens: numerum discretum ex rebus sejunctis, ut fieri solet, ortum; concedo: numerum generatim; nego.

Objicies 2. Hypostasis est quid simplicissimum. Ergo.

Distinguo antecedens: hypostasis in abstracto sumpta, seu pro personalitate; concedo: in concreto, seu pro persona; nego.

De communicatione Idiomatum.

Idiomatum communicatio est mutua ac reciproca nominum, attributorum, & proprietatum divinæ & humanæ naturæ de se invicem, & de Christo prædicatio.

Hæc autem prædicatio potest cogitari vel in abstracto fieri respectu naturæ, ut si diceretur, *natura divina est mortalis: natura humana est ubique*; vel in concreto respectu personæ, ut si dicatur, *Deus factus est mortalis: homo est Deus* &c.

Jam vero circa id duo errores notari possunt: 1. Est Nestorii, qui idiomatum communicationem non admittebat, etiam in concreto ac respectu personæ: non enim ferre poterat Deum dici passum, mortuum, &c. 2. Est Lutheranorum, qui in aliud extremum vitium prolapsi, idiomatum communicationem, etiam in abstracto ac respectu naturæ recipiunt, ita ut natura humana Christi dicenda sit esse ubique &c.

Admittendam esse idiomatum communicationem in concreto ac respectu personæ adversus Nestorianos jam olim e Scripturis, & Patribus evicimus: non esse admittendam in abstracto respectu naturæ mox adversus Lutheranos probabimus.

Sed antequam eo deveniamus, nonnulla observanda sunt.

Ac 1. quidem illud omne, & solum de aliquo prædicari posse, quod est.

2. Christo duas inesse naturas, & unam personam; utrique naturæ inesse proprietates, & actiones; naturæ autem nostræ inesse præterea defectus.

3. Personam Christi conferri posse seorsum vel cum natura divina, vel cum natura humana, vel posse spectari ut commune utriusque suppositum ac veluti subjectum.

4. Nomina alia esse abstracta, quæ formas duntaxat significant, ut divinitas; alia concreta, quæ formas & subjecta simul complectuntur, ut Deus. Nam *Deus* idem sonat quod *habens divinitatem*.

5. Nomina concreta alia esse substantiva, quæ substantiam ipsam & subjectum arguunt, ut *homo*, *Deus*; alia adjectiva, quæ subjectum & formam ei adjacentem aut accidentalem indicant.

6. No-

6. Nomina concreta adjectiva alia esse derivativa ex substantivis, quæ participationem quamdam substantiæ notant, ut *humanus*, *divinus* &c. alia absoluta, quæ proprietates, actiones, aut passiones innuunt, ut *mortalis*, *natus*, *passus* &c.

Jam ut recte fiat idiomatum communicatio, nonnullæ regulæ figendæ sunt.

REGULA I.

NOMINA abstracta naturæ divinæ de persona Christi identice dici possunt, non item nomina abstracta naturæ humanæ.

Ratio est, quia persona Verbi est quid idem realiter cum natura divina; non vero cum humana natura: sic persona Verbi potest dici esse identice & reipsa *divinitas*, *omnipotentia* &c. Non potest autem dici esse *humanitas*, *mortalitas* &c. Vigilius tamen *lib.* 5. *contra Eutychen* ait Verbum recte dici *carnem*, sed *caro* illic pro *homine* sumitur.

REGULA II.

NOMINA abstracta unius naturæ non possunt alteri tribui: sic dici non potest, *divinitas est humanitas*, *caro &c.* Idem intellige de proprietatum nominibus.

Ratio est quia naturæ ipsæ distinguuntur, ut ambarum proprietates. Attamen cum nomina abstracta accipiantur sæpe numero pro concretis, hinc S. Joannes evangelii *cap.* 1. 14. ait, Verbum factum esse carnem; hinc Cyrillus frequenter asserit ea quæ divina sunt facta esse propria humanitatis; Vigilius *lib.*4. divinitatem habere nomen humanitatis, id est Deum habere nomen hominis &c.

REGULA III.

NOMINA concreta substantiva, id est quæ naturam ipsam tanquam formam cum subjecto exprimunt, de Christo ac de se invicem prædicari possunt: sic dici potest *Deus esse homo* & *homo esse Deus*.

Ratio est, quia concreta nomina subjectum proprie significant. At idem est in Christo subjectum, quod omnia simul complectitur. Ergo.

Hic autem triplex cautio adhibenda est.

Prima est, ut nomina substantiva suppositum creatum non inferant: sic dici non potuit, cum Christus demonstraretur, *Hic homo factus est Deus*; licet dici queat, *Deus factus est homo*: quia videlicet prima propositio indicaret fuisse quoddam hominis suppositum, quod decursu temporis factum esset Deus: & hanc ideo rejicit Proclus Constantinopolitanus. Attamen Athanasius *lib.* I. *de natura humana*; Gregorius Nazian-

zianzenus *orat.* 36. S. Augustinus *lib.* 4. *de Prædestinatione sanctorum*, *cap.* 16. synodus Lateranensis sub Martino I. aiunt hominem factum esse Deum.

Secunda est, ut non fiat reduplicatio. Sic dici non potest; *Deus, quatenus Deus, in Christo est homo*, &c. quia videlicet cum fit reduplicatio, mens in formam potius intendit, quam in subjectum; divinitas autem certe non est homo.

Tertia, ut ea vitentur, quæ licet per sese dici possent, errorem tamen aut hæresim aliunde adjuvant. Sic Patres quidem antiqui, Ambrosius *serm.* 5. *in psal.* 118. Augustinus *epist.* 57. *ad Dardanum*: Damascenus *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 3. &c. Christum veriti non sunt CREATURAM & CREATUM appellare: hæc tamen propositio, *Christus est creatura*, propter Arianos omnino vitanda est; quod sapienter monet S. Thomas: de quo Petavius *lib.* 7. *cap.* 6.

REGULA IV.

NOMINA concreta adjectiva, quæ ex substantivis derivata sunt, Christo haud ita proprie attribuuntur: sic Deus non recte dicitur *factus humanus*; nec homo in Christo recte dicitur esse *divinus*, *Dominicus*, *Deifer* &c.

Ratio est, quia ista non naturam integram; sed quamdam duntaxat ejus participationem significant. At natura utraque in Christo inest.

Observandum tamen est non paucos ex antiquis ita esse locutos, quod alibi notavimus; sed iidem alibi aut alii, re accuratius expensa, hæc esse periculosa & fugienda monuerunt. Ita S. Augustinus cum *in psal.* 2. Christum vocasset *hominem dominicum*, illud *lib.* 1. *retract. cap.* 19. revo„ cavit, " Quamvis, inquit, nonnulla possit ratione defendi. " S. Thomas *divini* nomen excipit, eo quod illud de hoc ipso prædicetur, quod per se Deus est: dicitur enim *essentia divina*. At melius eo abstinetur. An enim dicemus Christum esse *hominem divinum*, ut dicitur a nobis *divinus Plato*? Etsi autem Christus & homo in Christo non debet dici *divinus*, quia nempe est Deus, caro tamen ejus potest dici *divina*, *deificata*, quia videlicet ipsa non est Deus, sed sua cum Deo conjunctione dignior facta.

REGULA V.

NOMINA adjectiva absoluta de Christo & de se mutuo prædicantur: sic dici potest Christus esse *mortalis* & *immortalis*: sic dicitur, *is, qui immortalis erat, factus esse mortalis*: sic *Deus esse in terris visus*, *passus sub Pontio Pilato* &c. quod adversus Nestorium demonstratum est.

Ratio eadem est, quæ *supra*. Nomina autem illa subjectum sonant;

quod

quod commune est omnium fundamentum. Id tamen observandum est, quod *supra* jam animadvertimus, ut nimirum propositiones sub reduplicatione non enuncientur: sic non potest dici *Christus quatenus Deus esse passus*.

REGULA VI.

Nomina adjectiva unius naturæ de altera natura non dicuntur nec de ejus partibus. Sic non potest dici *divinitas esse nata, passa*, &c. ut notant Patres concilii Hispalensis II. & Joannes Damascenus *lib. 3. cap.* 4. Atque in eo sita quondam fuit hæresis Theopaschitarum.

Ratio est, quia naturæ in Christo distinctæ semper manserunt: proinde unius proprietates in alteram non transierunt. Attamen Cyrillus passim ait naturam Verbi esse incarnatam. Vigilius *lib. 2. contra Eutychen*, & Fulgentius *lib. de quinque quæstionibus*, ajunt crucifixam divinitatem; Ferrandus *in epist. ad Anatolium* divinitatem esse passam: sed nomen abstractum *divinitatis* pro concreto, id est pro *Deo*, tunc usurpatur.

REGULA VII.

Nomina adjectiva quæ non proprietates, nec actiones, nec passiones denotant, sed meros defectus, Christo nec Verbo tribui oportet: sic Verbum dici non debet in Incarnatione mutatum, licet natura humana in ea mutata sit. Cujus rei eadem est ratio, quæ *supra* regula III.

REGULA VIII.

Quæ sunt ipsius unitionis, non possunt promiscue de Deo & homine in Christo vicissim dici: quapropter Deus quidem potest dici *incarnatus*, sed non item homo in Christo potest dici *incarnatus*; quod Rusticus diaconus observat.

Ratio est, quia idiomatum communicatio non ad ipsam unitionem spectat, sed eam sequitur: proinde in iis duntaxat locum habet, quæ ejus sunt consectaria, ut acute monet Scotus *in 3. dist. 7. quæst. 2. art. 3.*

An ex communicatione idiomatum sequatur humanam Christi naturam esse ubique.

Lutherani censent factam esse in Incarnatione idiomatum communicationem etiam in abstracto respectu naturæ, adeo ut humana Christi natura, eo facta sit omnipotens, omnisciens &c. Monstrosus hic error est, quem primo docuit Lutherus *in confessione de cœna Domini*: hunc autem ita postmodum locupletavit Brentius ejus discipulus, ut parens ubiquitatis, & Ubiquistarum Lutheranorum antesignanus habeatur. Vide *apologiam pro confessione Augustana*.

Ob-

Observandum tamen est 1. ab iis hanc communicationem non extendi ad omnia prorsus naturæ divinæ attributa. Nolunt enim v. g. cum natura humana communicatam esse æternitatem. Id ergo fere intelligunt duntaxat de omnipræsentia, omnipotentia, & omniscientia, ut loquuntur.

Observandum est 2. ab iisdem non admitti reciprocam naturæ humanæ proprietatum transfusionem in divinam naturam. Non enim illi sentiunt naturam divinam factam esse mortalem, corruptelæ obnoxiam, passam & mortuam esse.

Observandum est 3. a plerisque etiam Lutheranorum rejici hanc impietatem, ut quæ totam Christianam religionem evertat.

A S S E R T I O.

Per unionem hypostaticam humanæ naturæ non est communicata ubiquitas. Idem est de cæteris judicium.

Probatur variis Scripturæ testimoniis. Sive enim spectetur vitæ mortalis tempus, sive beatus immortalitatis post resurrectionem status, Christus ex Scripturis probatur fuisse quoad corpus & humanam naturam uni loco addictus, eoque circumscriptus; non vero ubique simul extitisse. Joan. 11. 15. Christus de se loquens, *Lazarus mortuus est; & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi*. Ibidem, versu 21. *Domine*, inquit Martha, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Matth. 28. 6. *Jesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim &c.* Ibidem cap. 26. 11. *Semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis*. Joan. 16. 28. *Exivi a Patre & veni in mundum; iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*. Lucæ 24. 51. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*. Act. 3. 21. *Quem oportet cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*.

Probatur 2. unanimi Patrum consensione, de qua legendi sunt Bellarminus *lib. 3. de Christo cap.* 14. & Petavius *lib.* 10. *cap.* 7. &c. Unus sufficiet nobis Augustinus, qui *in epist.* 57. *ad Dardanum*, de natura humana & corpore Christi loquens, " Cui profecto, inquit *cap.* 3. immor-
" talitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non
" est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim ne ita divinitatem a-
" struamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem
" consequens ut, quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus. Nam & de
" nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur &
" sumus; nec tamen, sicut ille, ubique sumus . . . . Una persona Deus
" & homo est, & utrumque unus Christus Jesus, ubique per id quod
" Deus est, in cœlo autem per id quod homo.

Probatur 3. Quia, ut plures etiam Lutherani animadvertunt, hæc doctrina symbolum & totam Christianam fidem funditus evertit. Credimus enim Christum natum esse ex Virgine, cum ex ejus utero exiit in

lucem;

lucem; mortuum esse, cum a corpore separata est anima; sepultum esse, cum ejus corpus e cruce in sepulchrum translatum est; descendisse ad inferos, dum anima e corpore egressa eo penetravit; resurrexisse, dum e sepulchro redivivus exiit; ascendisse in cœlum, dum eo e terris sublatus est; venturum esse ad judicandos homines, dum descendet de cœlo. Hæc omnia sane nec esse nec cogitari possunt, quin de uno loco transitus ad alium locum admittatur. At transitus ab uno loco ad alium, nullum potest locum proprie habere in iis, quæ ubique sunt. Ergo.

Probatur 4. ratione multiplici. 1. Quandiu manent distinctæ naturæ, tandiu manere debent distinctæ & non confusæ eorum proprietates. At in Christo duæ naturæ, etiam juxta Lutheranos, distinctæ remanent. 2. Nulla est ratio cur proprietates quædam communicatæ fuisse censeantur, non vero omnes; cur ubiquitas, non vero æternitas. Atqui nec ipsi quidem adversarii putant communicatam fuisse æternitatem. Ergo 3. Si unio hypostatica hanc communicationem postulat, aut omnes postulat aut nullas. At non omnes. 4. Si unio hypostatica id posceret, deberet esse mutua & reciproca utriusque naturæ proprietatum communicatio. At certe natura humana divinæ suas proprietates non communicat. Ergo nec humanæ divina suas tribuere debet.

Objicies 1. *Matthæi* 22. 44. Christus homo dicitur sedere ad dexteram Dei. Atqui dextera Dei ubique est. Ergo.

Distinguo antecedens: sedet ad dexteram Dei, ratione suppositi; concedo: ratione ipsius naturæ præcise; nego. Nam ibi per *dexteram* intelligitur æqualitas honoris. Eo autem evectus est homo Christus, non quidem ut ejus humanitas esset divinitati æqualis; sed ita ut facta sit illius personæ, quæ per sese ad dexteram Dei sedet & eosdem ratione ejusdem suppositi honores participet.

Objicies 2. Quæ intime uniuntur, eorum unum non potest esse sine alio. Atqui &c. Ergo.

Distinguo majorem: quæ intime uniuntur & adæquate, ita ut unum non pateat latius altero: concedo: intime & non adæquate; nego. Sic oculus & anima intime uniuntur; nec tamen oculus est ubicunque anima est, juxta communem veterum scholarum doctrinam. Anima enim per totum corpus funditur: oculus autem in capite fixus manet. Et certe hoc argumentum retorqueri potest in adversarios. Cur enim unum non poterit esse ubique & non alterum? cum unum semper fuerit, non item alterum.

Objicies 3. Christus homo est ubique.

Distinguo antecedens: Christus homo est ubique, tanquam Deus; concedo: tanquam homo; nego. Aliud est Christus homo; aliud est humanitas. Christus enim suppositum sonat; humanitas naturam per sese consideratam.

An ex communicatione idiomatum consequatur unum e sanctissima Trinitate pro nobis esse passum.

Istius propositionis, *Unus e Trinitate incarnatus & passus est*, multiplex & varia apud antiquos fors, ut ita dicam, fuit.

Primo enim id non pauci veteres, iique apprime catholici & insignes viri, citra ullam reprehensionem aut notam protulerunt, atque inter alios Proclus Constantinopolitanus archipræsul *in epistola ad Armenos*, quæ in synodo Chalcedonensi recensita & approbata est, teste Maxentio *in confessione fidei*, & Facundo *lib.* 1. nec non & Augustinus *Enchir. cap.* 38. & *in lib. de dono perseverantiæ*.

Secundo eadem hæc propositio paulo post suspecta evasit, quod ea delectarentur Eutychiani, quasi nempe una in Christo natura, quæ passa sit, illis verbis designaretur. Illam in synodo Chalcedonensi *sess.* 4. usurparunt ex eorum genere Carolus & Dorotheus: quod tacitis nominibus etiam refert Dioscorus, apostolicæ sedis legatus *in suggestione ad Hormisdam pontificem*: Eutychetis autem apocrisiario ascribit Ferrandus diaconus *in epistola ad Anatolium*. Quin etiam illam a synodo Chalcedonensi damnatam esse narrat Trifolius *in epistola ad Faustum senatorem*: quod tamen minus vere dictum esse arbitramur. Quidquid sit, hanc eamdem propositionem frequentabat Petrus Gnapheus patriarcha Antiochenus ex Eutychianorum secta & Theopaschitarum princeps, eamque ob rem ab Acacio Constantinopolitano & Felice III. summo pontifice castigatus, si fides habeatur epistolis, quæ sub eorum nomine circumferuntur. Eas enim cum ab omnibus hactenus fuissent receptæ, adulterinas esse contendit Valesius *in sua de Petro Gnapheo dissertatione*, ad calcem Evagrii. Denique hanc ipsam propositionem firmare studuit Anastasius imperator Eutychiani fautor dogmatis, uti perhibet idem Dioscorus, apostolicæ sedis legatus, in eadem mox allegata suggestione. Quæ quidem omnia medio & exeunte seculo V. acciderunt.

Tertio a catholicis VI. seculo redintegrari cœpit hæc propositio, & in usum restitui: sed non fine gravi difficultate. Cum enim Justino imperante anno 519. Scythæ quidam monachi, Achilles, Joannes, Maxentius, Mauricius, Leontius & Petrus diaconus, qui Constantinopoli forte versabantur, inter disputandum cum Victore quodam diacono contendissent præter concilii Chalcedonensis fidem, fateri insuper oportere unum de Trinitate esse crucifixum, idque plane negasset Victor, eum tanquam Nestorianum ad Joannem Constantinopolitanum & sedis apostolicæ legatos Constantinopoli degentes detulerunt. Sed ab his repulsi sunt tanquam Eutychianorum fautores & socii. Quocirca Romam se contulerunt ad Hormisdam summum pontificem. Sed cum non expectato judicio clam inde aufugissent, acriter eos insectatus est in epistola quam scripsit ad Possessorem episcopum, qui Constantinopoli erat, in

qua hos monachos Scythas, ut seditiosos, procaces, novitatum amatores, veterum auctoritatum contemptores, & jacientes diabolicæ zizaniæ nefanda semina describit. Interim agitata est inter catholicos hæc quæstio. Trifolius a Fausto senatore consultus, respondit istorum monachorum propositionem non solum ad Eutychianam hæresim, sed etiam ad Arianam impietatem implicari. Eorum autem contra doctrinæ patrocinium susceperunt S. Fulgentius & Ferrandus Diaconus. Denique mutata rerum facie res eo processit, ut Joannes II. summus pontifex eamdem propositionem approbarit duabus epistolis, & Acœmetas quosdam monachos Scythis acriter adversantes condemnaverit. Joannis II. sententiam secutus est Agapetus ejus successor *in epistola ad imperatorem*, & utriusque pronunciatum amplexus est Pelagius I. *epistola* 1. *ad Childebertum*.

Quarto denique ita deinceps obtinuit hæc propositio, ut inter ipsa fidei catholicæ placita ascita vulgo fuerit.

A S S E R T I O.

Catholica est hæc propositio, *Unus e sanctissima Trinitate passus est*.

Probatur 1. vetustiorum scriptorum, quos *supra* retulimus, auctoritate.

Probatur 2. judiciis summorum pontificum Joannis II. Agapeti, Pelagii, S. Fulgentii, Ferrandi diaconi mox allegatis.

Probatur 3. auctoritate consequentium pontificum, Patrum, ac synodorum. Hanc enim propositionem acceperunt 1. synodus V. *can.* 4. *&* 5. & cum probavit fidei formulam a Justiniano imperatore oblatam, qua illa continebatur: 2. Agatho summus pontifex *in epistola synodica ad concilium VI.* 3. synodus ipsa VI. *act.* 4. *&* 18. 4. VII. synodus œcumenica *act.* 3. &c.

Probatur 4. ratione. Hæc enim duo vera sunt, Christum unum esse e sancta Trinitate, & Christum esse crucifixum. Ergo.

De hac historia lege Petavium *lib.* 1. *cap.* 18. *&* *lib.* 5. *cap.* 2. *&* 3. Adde eminentissimum Norisium *in peculiari de hoc argumento dissertatione*.

Quæres quid sit sentiendum de additamento in trisagion inserto.

Respondeo 1. trisagium esse hymnum quemdam in toto orbe, ac potissimum ecclesiis Græcis celebratum & usurpatum, hisque expressum verbis, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*. Hunc hymnum e cœlis delapsum esse perhibent Joannes Damascenus *lib.* 3. *cap.* 10. & Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 36. Ei autem aliquando istud est insertum additamentum, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*.

Respondeo 2. non unam pariter fuisse istius additamenti fortunam. 1. Enim istud additamentum primus induxit Petrus Gnapheus ex Eutychianorum grege Antiochenus præsul & Theopaschitarum auctor. Cum autem

autem hic hymnus dirigeretur ad totam sanctissimam Trinitatem, illud eo consilio inseruit Petrus, ut ejusmodi verbis significaret ipsam divinitatem totamque adeo Trinitatem esse passam. Quo factum est, ut & propter auctorem & propter apertam impietatem, quam eo sensu præ se ferebat, illud additamentum statim apud omnes catholicos execrationi habitum fuerit. 2. Eum in catholicum sensum inflectere tentavit Calendio catholicus præsul Gnaphei successor, adjectis his vocibus *Christe rex*, quibus ad solum Christum referebatur. Id autem ea mente fecit, ut nempe populos huic additamento assuetos facilius ad Ecclesiæ catholicæ gremium revocaret.

3. Cum usus invaluisset ut is hymnus ad solum Christum referretur, sensim sine sensu hoc additamentum etiam sine Calendionis cautione apud Orientales Catholicos frequentari cœpisse, plerisque tamen repugnantibus.

4. Ad superioris usque seculi tempora istud idem additamentum hæsisse in libris Maronitarum; ac tum temporis esse diu multumque deliberatum, an ex his expungendum foret: quod utrum factum sit, ignoramus. De hoc lege Petavium *lib.* 5. *cap.* 4.

QUÆSTIO OCTAVA

De variis Christi titulis ac officiis.

DE quinque duntaxat titulis & officiis Christi dicemus, nimirum Filii, Servi, Mediatoris, Pontificis & Capitis.

ARTICULUS I.

An Christus dici queat Filius Dei adoptivus.

NON hic disputabimus an Christus sit filius Dei naturalis. Id enim abunde præstitimus, ubi actum est de sanctissima Trinitate: sed utrum habita ratione humanitatis possit etiam dici Filius adoptivus: circa quod errarunt VIII. seculo exeunte Felix & Elipandus, hic Toletanus, ille Urgelitanus præsul.

Errori occasionem primus dedit Elipandus, a quo Felix per litteras consultus, quid de humanitate Salvatoris Domini nostri Jesu Christi sentire deberet, utrum secundum quod homo est, proprius an adoptivus Dei Filius credendus esset atque dicendus, valde incaute & inconsiderate, & contra antiquam catholicæ Ecclesiæ doctrinam adoptivum non solum pronunciavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum

 libris

libris pertinacissime pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Verba sunt Eginhardi *in annalibus*.

Delatus est statim Felix, qui metropoli Narbonensi tum suberat ad Carolum Magnum Francorum regem, & Adrianum summum pontificem, quorum jussu habita est synodus Narbonensis anno 791. in qua Felicis causa agitata quidem fuit, non vero finita.

„ Quapropter; inquit idem Eginhardus, hujus rei causa ductus est „ ad palatium regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem . . . „ residebat; ubi congregato episcoporum concilio auditus est (anno „ 792.) & errasse convictus ad præsentiam Adriani pontificis Romam „ missus, ... hæresim confessus est atque abdicavit. Quo facto ad ci- „ vitatem suam reversus est. " Ibi autem cum ad vomitum rediisset Felix opera Elipandi, idemque insuper Elipandus scripsisset ad Carolum imperatorem fidei suæ professionem variis antiquorum Patrum sententiis refertam, partim mutilatis, partim in alium detortis sensum, illum obtestans, ut eam theologis expendendam committeret, totus exinde incumbere cœpit religiosus princeps, ut gliscens malum comprimeret. Istam itaque fidei formulam primo misit ad Adrianum pontificem, a quo ut hæretica proscripta est, & postea Paulino Aquilejensi, qui eamdem peculiari libello, quem *sacrosyllabum* dicunt, suo ac collegarum nomine proscripsit. Demum accivit etiam e majore Britannia Flaccum Albinum Alcuinum magni nominis virum, ut hanc ipsam confutaret. In Hispania vero ipsa adversus ejusmodi impietatem insurrexerunt Etherius episcopus & Beatus presbyter, quorum opera luculenta ad nos usque pervenerunt.

Quibus ita paratis, variæ deinceps synodi habitæ sunt, in quibus unanimi consensu error ille confossus est: nimirum Francofordiensis anno 794. a Carolo imperatore ex omnibus imperii sui provinciis coacta, cui etiam Hispani præsules nonnulli ac sedis Apostolicæ legati affuerunt; Forojuliensis anno 795. ac paulo post Romana sub Leone III.

Errorem denuo ejuravit Felix, sed paulo post in idem cœnum relapsus in eo obstinatus mortem obiit. Serior ac sincerior fuit Elipandi pœnitentia: sub obitum enim resipuit, & in catholicæ Ecclesiæ sinu vita cessit. Quæ fusius descripta leges apud **Petavium** *lib.* **1.** *caput* 22. & *lib.* 7. *cap.* 1. *&c.* & apud Cointium *in Annalibus Francorum*, &c.

Observandum vero est 1. Felicem & Elipandum non videri negasse Christum esse Filium Dei naturalem, nec personæ unitatem, aut communicationem idiomatum ex ea fluentem exclusisse: quod viri docti ex Elipandi confessione colligunt: adeo ut cum dicuntur Nestorii errorem renovasse, id intelligi putetur de consectario quodam hujus erroris, non vero ipsius errore.

Observandum est 2. eos, cum Christum esse Filium esse adoptivum statue-

statuerunt, respexisse ad Christi humanitatem; sic enim referunt eorum errorem Eginnardus, Ado Viennensis, Aimonius; ita etiam Adrianus Papa *in epistola ad Episcopos Hispanos*, synodus Francofordiensis *in epistola ad eosdem*: denique Elipandus ita mentem suam explicat *in sua fidei confessione*.

Observandum est 3. Gilbertum Porretanum ad eumdem scopulum impegisse navem, quod elicitur ex Gaufredo Claraevallensi.

Observandum est 4. si rem ipsam expendamus, non videri Scotum & Durandum ab hoc errore satis cavisse. Scotus enim *in 1. dist. 6. quaest. 1. in reportatis, eadem dist. quaest. 1.* docet Christum dici posse Filium adoptione; vitandam tamen esse hanc locutionem, quod haeretici ea abutantur: Durandus vero existimat non posse quidem Christum dici simpliciter *Filium adoptivum*; sed posse tamen ita appellari, si addatur *secundum humanitatem* vel *pro ut est homo*.

ASSERTIO.

Christus non potest ullatenus dici Filius Dei adoptivus.

Probatur 1. ex Scripturis.

Is enim non potest ullatenus dici Filius adoptivus, qui, etiam quatenus homo, est Filius Dei unigenitus, verus, proprius, & ab aliis omnibus Dei Filius longe sejunctus. Atqui talis dicitur Christus, etiam ut homo. Joannes evangelii *cap. 1. 18.* de Christo homine, quem oculis usurpaverat loquens, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*. Joan. 3. 16. Christus ipse de se incarnato verba faciens, *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *ut Filium suum unigenitum daret*. Matth. 3. 17. Pater aeternus de Christo baptizato, *Hic est Filius meus dilectus*, inquit, *in quo mihi complacui*. Rom. 8. 32. Paulus de Patre Christum hominem morti addicente, *Qui proprio*, inquit, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. At ut acute & vere animadvertit Adrianus papa *in epistola ad episcopos Hispanos*, traditus non est secundum divinitatem, sed humanitatem. Denique Joannes de Christo quem viderat & contrectaverat sermonem habens, epist. 5. 20. *Scimus*, inquit, *quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus* &c. Ergo.

Probatur 2. Ecclesiae & synodorum judicio, a quibus is error proscriptus est.

Probatur 3. Patrum testimoniis. Hilarius *lib. 5. de Trinitate* de Christo incarnato & jamjam morituro, "Is, inquit, & verus, & „ proprius est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncu„ patione." Augustinus *tract. 7. in Joannem*, "Oportebat, inquit, „ ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Ado„ ptati filii ministri sunt unici; unicus habet potestatem, adoptati mi„ nisterium." Africani praesules *in libello emendationis*, quem Leporio

dictarunt, "In hoc, inquiunt, maxime fides nostra consistit, ut credamus „ unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium.

PROBATUR 4. ratione. Adoptio enim, ut sciscunt jurisconsulti, est personæ extraneæ gratuita assumptio ad hæreditatem, ad quam ex origine & natura jus non habet. Atqui nulla est in Christo persona extranea; unica vero est, quæ per sese ex origine sua & natura jus habet ad cœlestem hæreditatem. Ergo Christus nulla ex parte est filius Dei adoptivus.

OBJICIES 1. Multi sunt veteres; qui dicant humanam naturam in Incarnationis mysterio fuisse gratis adoptatam. Marius Victor *lib. contra Arium*; Hilarius *lib. 2. de Trinit.* Cyrillus *dial. 3. contra Arianos*, &c. Ergo.

DISTINGUO antecedens: gratis adoptatam, id est nullis præcedentibus meritis assumptam; concedo: secus; nego. Isti veteres de natura ipsa loquuntur, non de Christo: & illam quidem adoptatam dicunt: sed non ideo Christum factum esse filium adoptivum.

OBJICIES 2. Ubi est causa formalis adoptionis, ibi debet esse adoptio. Atqui in Christo est causa formalis adoptionis. Causa enim formalis adoptionis est gratia habitualis. At in Christo est gratia habitualis, Ergo.

NEGO minorem. Ad probationem distinguo majorem: formalis causa adoptionis est gratia habitualis in persona extranea; concedo: in persona non extranea; nego.

OBJICIES 3. Tam Christus potest dici filius adoptivus, quatenus homo est, quam dicatur natus, mortuus, ut homo. Atqui.

NEGO majorem & paritatem. Triplex enim est in Christo attributorum genus: alia pertinent ad solam naturam humanam, ut mutari; alia ad personam simul & naturam, ut mors, passio; alia ad solam personam, ut incarnari, filium esse. Non mirum itaque si Christus ut homo dicatur esse passus & mortuus, quia natura ipsa passa est & mortua; non possit autem dici, ut homo, esse filius adoptivus, quia ad naturam humanam non pertinet esse filium.

OBJICIES 4. Vel Christus quatenus homo, est filius Dei adoptivus, vel naturalis. Atqui quatenus homo, non potest esse filius naturalis. Nam filius naturalis est ejusdem substantiæ cum Patre. Atqui. Ergo.

NEGO minorem. Ad probationem distinguo majorem: filius naturalis via generationis; concedo: filius naturalis via unionis; nego. Duplici ratione potest esse quis filius naturalis; vel quia genitus est de substantia, vel quia ei communicatur filiatio naturalis, dum ipsi communicatur hypostasis filii naturalis. Talis est Christus homo.

OBJICIES 5. Filius naturalis jus habet ex origine sua ad hæreditatem. Atqui talis non est Christus ut homo. Ergo.

NEGO minorem. Ut enim homo est Christus, jure illo gaudet, tum

tum prout est persona divina, tum prout habet naturam cum Verbo conjunctam. Vi enim istius conjunctionis jus habet ad hæreditatem.

OBJICIES 6. Si Christus ut homo est filius Dei naturalis, natura humana esse debet causa hujus filiationis. Atqui hoc falsum est. Ergo.

DISTINGUO majorem: si Christus ut homo precise est filius Dei naturalis; concedo: si filius est Dei naturalis, quatenus hic homo est; nego. Porro non dicimus Christum esse filium naturalem præcise quatenus est homo, sed quatenus est hic homo, idest, quatenus est certa quædam persona, quæ naturam humanam in se habeat subsistentem.

ARTICULUS II.

An Christus dici queat servus Dei.

SERVI nomen duplici modo sumitur; stricte & late. *Servus* ita stricte dictus, est persona non ingenua; alieni, non sui juris; quæ nullum per se jus habet ad domini hæreditatem: late autem *servus* dicitur, quicunque alterius voluntati obsecundat, & quoquo modo ei subditus est.

ASSERTIO I.

CHRISTUS non est servus stricte loquendo.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Paulus enim *ad Hebræos cap.* 1. eo nomine præponit Christum angelis, quod Christus *sit Filius Dei*, angeli autem contra servi in ministerium missi. Et *cap.* 3. eo anteponit Moysi Christum, quod Moyses esset *fidelis famulus in domo ejus*, *Christus vero tanquam Filius in domo sua*.

PROBATUR 2. ex Patribus. 1. Dionysius Alexandrinus *in epistola ad Paulum Samosatenum*, & *in responsione ad quæst.* 7. confitetur Christum quidem accepisse formam servi, sed extitisse servum negat. Augustinus *hom.* 39. " Dominus noster, inquit, etiam in forma servi, " non servus " &c. Theodoretus *dial.* 2. *contra Apollinaristas*, affirmat Christum a nullo hactenus viro catholico *servum* esse appellatum: & *in confutatione anathem.* 6. Christum quidem assumpsisse formam, quæ serva per se erat; sed exinde Christum non fuisse servum, at Dominum. Ita quoque Faustinus *contra Arianos*, quod etiam ex professo probat Joannes Damascenus *lib.* 3. *cap.* 21. ea potissimum ratione, quod *servi* ut & *Fili* nomen sit ex relativorum genere, quæ personæ conditionem sequuntur. Ut ergo non potest dici Christus *Filius Dei adoptivus*, ita nec posse dici *servum*. Denique Adrianus I. *in epistola ad*

 epis-

episcopos Hispanos; Patres Francofordienses *in synodica*; Alcuinus *lib.* 5. & alii fere omnes, qui contra Felicem & Elipandum scripsere, eadem vi eademque auctoritate contendunt Christum non esse servum, qua volunt eum non esse filium adoptivum, quod & veterum Patrum testimoniis confirmant.

Probatur 3. ratione. *Servus* enim stricte loquendo est persona non ingenua, alieni non sui juris, quæ nullum ad domini hæreditatem jus habet. Atqui talis non est Christus. Ergo.

Objicies. *Philipp.* 2. 7. dicitur Christus assumpsisse formam servi. Ergo.

Distinguo antecedens: id est formam quæ per sese serva erat & servi esse debebat; concedo: ita ut ea factus fuerit servus; nego: solutio patet ex Patribus mox adductis.

ASSERTIO II.

Christus potest vocari *servus*, quatenus est homo, si hoc nomen latius sumatur.

Probatur 1. ex Scripturis. Isaiæ 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum* (quod de Christo interpretatur Matthæus *cap.* 12. *v.* 18.) Isaiæ 49. 5. *Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi*. Versu 6. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob*: quod de Messia dictum esse, & res ipsa ostendit & apostoli significant *Act.* 13. 47. Isaiæ 53. 11. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos* &c.

Probatur 2. ex his etiam Patribus, qui vel contra Arianos vel contra Felicem & Elipandum pugnarunt. Ii enim ipsi Christum *servi* nomine donare non dubitarunt, v. g. Athanasius *orat.* 3. *in Arianos*; Gregorius Nazianzenus *orat.* 36. Gregorius Nyssenus *opusc. de fide ad Simplicium*; Ambrosius *lib.* 5. *de fide*, & ex professo *in epist. ad Sabinum*; Augustinus ipse *in altercatione cum Pascentio Ariano*; Etherius & Beatus *contra Elipandum*.

Probatur 3. ratione. Non minus enim Christus dici potest *servus* quatenus est homo, quam dicatur *obediens*, *subjectus* &c. Atqui dicitur *subjectus* 1. Cor. 15. 28. *obediens*, Philipp. 2. 8. Ergo.

Quæ cum ita sint facile conciliari possunt oppositæ scholarum super ea re sententiæ: aliis Christum recte *servum* appellari posse contendentibus; aliis contra negantibus.

ARTICULUS III.

An & quomodo Christus mediator sit.

Notandum est 1. *Mediatorem* appellari, qui inter partes hinc & inde sejunctas tanquam sequester interponitur medius.

No-

Notandum eſt 2. aliquem poſſe eſſe mediatorem duobus modis: ac 1. quidem per ſubſtantiam ſuam, ſi nempe partium diſſidentium naturas ſimul in ſe conjunctas habeat: 2. per operationem, ſi nimirum aliquid agat ad illas ſecum invicem conciliandas.

Notandum eſt 3. poſſe quempiam hac poſtrema ratione eſſe multifariam mediatorem, ac 1. quidem ſi internuncius & interpres ſit utriuſque partis: 2. ſi inter ipſas arbiter electus ſit, qui rem componat: 3. ſi pro una parte apud alteram intercedat & agat advocatum: 4. ſi ſponſorem & vadem ſe præſtet, & ut diſſidentes conciliet, ſatisfaciat parti offenſæ.

Notandum eſt 4. dupliciter poſſe quempiam hoc modo eſſe mediatorem, proprie ſcilicet ac perfecte, aut improprie & imperfecte. Is autem perfectus mediator eſt, qui omnia mox recenſita præſtat, imperfectus, qui ex his nonnulla duntaxat complet.

Notandum eſt 5. circa hæc non unum extitiſſe errorem. 1. Enim Chriſtum eſſe quoad ſubſtantiam Dei & hominum mediatorem inficiati ſunt quotquot ab illo aut divinitatem aut humanam naturam abſtulerunt. Errarunt etiam in hoc capite Ariani, cum ipſum eatenus quoad ſubſtantiam mediatorem agnoſcebant, quatenus in eo admittebant naturam quamdam Deum inter & res alias creatas mediam. Errarunt quoque Monophyſitæ, qui ex duabus naturis ſimul conflatis unam quamdam mediam effloruiſſe arbitrabantur. Hos omnes *ſupra* jam revicimus.

2. Sociniani Chriſtum quidem habent pro mediatore, ſed inſtar internuncii duntaxat & interpretis, non vero ſponſoris & vadis; de quo poſtea ubi de ſatisfactione Chriſti.

3. Lutherani & Calviniani ſuper hoc mediatoris munere in varias partes a vero receſſere. Stancarus enim illud in ſolam humanam Chriſti naturam refundit; Sarcinius contra ſoli divinæ tribuit; Calvinus vero & alii in utramque ſimul tranſcribunt, ita ut exiſtiment Verbum divinum etiam ante Incarnationem veras ac genuinas mediatoris partes impleviſſe.

ASSERTIO I.

Christus Dei & hominum mediator eſt quoad ſubſtantiam.

Probatur. Ille enim eſt Dei & hominum mediator quoad ſubſtantiam, in quo Deus & homo ſubſtantiali nexu uniuntur. Atqui talis eſt Chriſtus ex antea dictis.

ASSERTIO II.

Talis eſſe debuit Chriſtus ut humanum genus cum Deo ſatisfactione legitima conciliaret.

Pro-

PROBATUR 1. ex Patribus. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 20. " Oportebat, in„ quit, mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinqui„ tatem ambos in amicitiam & concordiam adducere. " Tertullianus *de* „ *resurrectione carnis cap.* 51. " Sequester Dei atque hominum, inquit, „ appellatus ex utriusque partis deposito. " Cyprianus *lib.* 2. *testimonio*„ *rum*, *testim.* 10. " Quod & homo & Deus Christus, inquit, ex utro„ que genere concretus & mediator esse inter nos & Patrem posset. " Au„ gustinus *lib.* 10. *conf. cap.* 12. " Mediator inter Deum & homines, in„ quit, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile homini„ bus. " Fulgentius *de fide ad Petrum cap.* 2. " Idcirco mediator, in„ quit, quia idem Deus atque homo verus, habens unam cum Patre „ divinitatis naturam, & humanitatis unam cum matre substantiam.

PROBATUR 2. ratione. Debuit enim illa satisfactio pretii esse infiniti. At nulla esse potuisset satisfactio, si Deus tantum fuisset; nullus autem esse potuisset infinitus valor, si homo duntaxat extitisset. Ergo Deus & homo simul esse debuit.

ASSERTIO III.

CHRISTUS non fuit proprie mediator humani generis ante Incarnationem.

PROBATUR 1. generatim. Qui enim proprie mediator est, is supplicare debet ac satisfacere parti offensæ, adeoque ipsi sese submittere. Atqui Christus ante Incarnationem, nec id fecit, nec facere potuit, cum æqualis omnino esset Patri, nec quidquam haberet, quo ei satisfaceret. Ergo.

PROBATUR 2. ex mox dictis. Mediator enim debuit utraque simul natura præditus esse. Atqui ante Incarnationem ejusmodi non fuit Christus. Ergo.

PROBATUR 3. ex Patribus, qui diserte notant Christum non cœpisse esse mediatorem, nisi ab Incarnationis tempore. Sic v. g. Athanasius *lib. de natura humana suscepta*, " Verus Deus est Filius, inquit, & antequam homo fieret & postquam factus est mediator Dei & hominum &c.

OBJICIES. At Christus ab apostolo *Gal.* 3. 18. dicitur fuisse mediator cum lex Moysi data est, *ordinata per angelos in manu Mediatoris*: quod de Christo exponunt Chrysostomus, Photius, & Theophylactus. Ergo.

RESPONDEO non esse hunc genuinum Apostoli sensum. Ea enim verba de Moyse exponenda sunt, qui improprie dicitur fuisse mediator, quia Deum inter & Judæos sequestrum agebat, & Dei apud illos interpres erat.

INSTABIS. At multi ex antiquis statuerunt Verbum divinum olim sanctis patriarchis apparuisse, ut Patris voluntatem ipsis declararet, aliaque obiret in humani generis commodum & Incarnationis futuræ præludium munia. Ergo jam tum mediator erat.

DI-

DISTINGUO antecedens : mediator improprie, esto : proprie ; nego. Inde enim consequens ad summum est jam tum Christum aliquo e mediatoris officiis esse persunctum.

ASSERTIO IV.

CHRISTUS post Incarnationem perfectus hominum mediator fuit.

PROBATUR singulorum perfecti mediatoris munium enumeratione.

Primo enim verus internuncius & perfectus interpres Dei apud homines fuit : Joan. 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Hoc sensu Malach. 3. 1. *Angelus fœderis* appellatur, & Isaiæ 9. 5. *Consiliarius*.

Secundo arbitrum egit. In humano enim genere cum Deo reconciliando, non meram justitiam exhibuit, sed eam benignitate, gratia, & misericordia temperavit.

Tertio noster est apud Deum intercessor. 1. Joan. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Rom. 8. 38. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*.

Quarto denique semetipsum dedit redemptionem pro omnibus, ut Deo satisfaceret, quod brevi demonstrabimus.

ASSERTIO V.

CHRISTUS non est mediator penes humanam naturam solam, quatenus a divina intelligitur præcisa.

PROBATUR. Quia aliquid intervenire debuit quod infinitum pretium satisfactioni conferret. Atqui id ex se non habuit natura humana sola. Ergo.

ASSERTIO VI.

CHRISTUS non est mediator penes naturam divinam solam.

PROBATUR. Natura enim divina non potuit satisfacere. Qui enim satisfacit, is eo ipso sese subjicit. Atqui Christus non habebat naturam divinam, quæ se subjicere posset. Ergo.

ASSERTIO VII.

UTRAQUE natura non est mediatoris muneribus functa.

PROBATUR. Nostræ enim salutis negotium, obedientia, precibus, & sacrificio peractum est. Atqui tria hæc in divinam naturam non cadunt. Ergo nihil illa in hoc negotio operata est.

AS-

ASSERTIO VIII.

CHRISTUS est hominum mediator quatenus homo Deus, ita tamen ut quatenus homo omnibus mediatoris officiis persunctus sit.

PROBATUR 1. ex Scripturis. 1. Tim. 2. 4. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Hebr. 2. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium : .... unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*

PROBATUR 2. ex Patribus. Augustinus *lib.* 11. *de civit. Dei cap.* 2. " Per hoc mediator, inquit, per hoc & homo. " *Lib.*10.*conf.cap.*43. " In quantum homo, inquit, in tantum mediator : in quantum autem Verbum, non medius, qui æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto unus Deus. " *Tract.* 72. *in Joannem*, Mediator autem Dei, & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus Jesus. " Adde *expositionem epistolæ ad Gal.* & *in Psalm.* 103. Cyrillum *lib.*1. *dial. de Trinit.* Hilarium *lib.* 9. &c.

PROBATUR 3. ratione. Sola enim natura humana ejusmodi functionum capax fuit. At quamvis ut homo omnes mediatoris partes obierit; idem tamen esse debuit Deus, non quidem ut natura divina aliquid simul operaretur, sed ut propter conjunctionem hypostaticam idoneum satisfactioni pretium largiretur. Unde *Act.* 20. 28. dicitur Deus *Ecclesiam acquisivisse sanguine suo* : & Hebr. 9. 14. Christus dicitur *per Spiritum sanctum sese Deo obtulisse*. Quocirca mediatoris partes ita distinguendæ sunt, ut Deus in Christo moraliter sese habuerit, valorem impertiendo; & homo efficienter, & physice, agendo nimirum ac tolerando; & ipsa quidem persona fuerit principium *quod*, sola autem natura humana principium *quo*.

ARTICULUS IV.

An & quomodo Christus sacerdos fuerit.

ASSERTIO I.

CHRISTUS veri nominis sacerdos fuit.

PROBATUR 1. ex Scripturis, ac præcipue ex epistola ad Hebræos, ubi Apostolus id ex professo astruit. Hebr. 3. 1. *Considerate pontificem confessionis nostræ Jesum.* cap.4.14. *Habentes pontificem magnum qui penetravit cælos* &c.

PROBATUR 2. perpetua & constanti Patrum traditione, qui unanimi con-

consensu docent non solum ab eo oblatum esse in cruce sacrificium, sed etiam sacratissimam Eucharistiam tanquam veri nominis sacrificium ab eo institutum agnoscunt. De quo alibi.

PROBATUR 3. ratione. Ille enim veri nominis est sacerdos, qui omnia sacerdotis officia explevit. Atqui ea præstitit Christus. Triplex enim est, juxta S. Thomam, sacerdotis munus; 1. divina populo tradere, Malach. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus:* 3. populorum vota ad preces ad Deum deferre: 4. offerre sacrificia: *Omnis enim pontifex*, inquit Paulus ad Hebr. 5. 1. 1. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona & sacrificia pro peccatis.* Atqui Christus eas partes implevit. 1. Enim cœlestia nobis tradidit. Joan. 17. 16. *Notum feci eis*, inquit ipse, *nomen tuum, & notum faciam.* 2. Hominum preces ipse perfert ad Patrem: 1. Joan. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*, &c. 3. Sacrificium pro nobis obtulit: Hebr. cap. 9. vers. 12. *Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta.* Ergo.

ASSERTIO II.

CHRISTUS est sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

PROBATUR 1. ex Scripturis Psal. 109. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: quem locum Apostolus ad Christum applicat *Hebr.* 5.

PROBATUR 2. ratione. Is enim verus est ac merito appellatur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, cujus personam ac sacrificium adumbravit persona ac sacrificio Melchisedech. Atqui res ita est. 1. Enim Melchisedech idem est quod *rex justitiæ*, ut interpretatur Paulus *ad Hebræos* 7. 20. Melchisedech *rex Salem*, id est, *pacis* fuit, ibidem. 3. Exhibetur sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens. 4. Panem & vinum obtulit, quia sacerdos erat Dei Altissimi. 5. Benedixit Abraham, qui pater est omnium credentium. Atqui 1. Christus rex est, ut sæpe in Scripturis dicitur, & quidem justitiæ, *Jerem.* 33. 15. 2. Princeps pacis; *Isaiæ* 9. 6. 3. Manet in æternum, & sempiternum habet sacerdotium *Hebr.* 7 24. 4. Sacrificium instituit ex corpore, & sanguine suo sub speciebus panis, & vini, quod tota traditio testatur. 5. Denique in ipso benedictæ sunt omnes gentes. Ergo.

AR-

ARTICULUS V.

An Christus sit caput Ecclesiæ, & cujusnam.

NOTABIS 1. *Ecclesiæ* nomen in Scripturis, & apud Patres vel strictius accipi de sola fidelium hominum Christi sanguine redemptorum societate, vel latius de omni tam hominum quam angelorum congregatione.

Notabis 2. ad perfectam capitis notionem, ex humani capitis similitudine, tria potissimum requiri. 1. Est, ut cum membris suis connexum sit: 2. ut ea supereemineat: 3. ut in eadem vivificam quamdam vim diffundat.

Notabis 3. Christum spectari posse vel quatenus est Deus, vel quatenus est homo.

ASSERTIO I.

CHRISTUS est caput omnium fidelium hominum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Ephes. 1. 32. *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. cap. 6. 23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Coloss. 1. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.*. Atqui Ecclesia proprie ex fidelibus constat. Ergo.

PROBATUR 2. ratione. Christus enim habet tria illa, quæ ad capitis notionem necessaria sunt. 1. Arcta cum fidelibus necessitudine jungitur. In nobis enim manet, & nos in ipso. 2. Dignitate cunctos supereminet. 3. Vitam ab ipso derivatam habemus. Ergo.

ASSERTIO II.

CHRISTUS, quatenus est Deus, caput est omnium Angelorum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Coloss. 2. 10. *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis:* : quæ verba de Christo ut Deo interpretantur Chrysostomus *hom. 1. in epist. ad Ephes.* Theodoretus *ad hunc Apostoli locum*; Oecumenius *ibid.* &c.

PROBATUR 2. ex Patribus, videlicet Irenæo *lib. 2. cap.* 18. Ambrosio *epist.* 37. Chrysostomo eodem *supra*, ubi sic ait, " Omnibus „ unum posuit caput Christum Angelis, & hominibus; sed hominibus Christum secundum carnem, Angelis vero quatenus est Deus „ Verbum.

AS-

ASSERTIO.

CHRISTUS quatenus homo caput est Angelorum dignitate, auctoritate, & multiplicis gratiæ secundariæ largitione.

PROBATUR 1. enumeratione singulorum. Caput enim Angelorum est 1. dignitate: Paulus enim ad Ephesios 1. 20. de persona Dei loquens, *Quam operatus est*, inquit, *in Christo suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*.

2. Auctoritate & potestate: Matthæi enim 28. 18. *Data est mihi*, inquit Christus, *omnis potestas in cœlo & in terra*, Ephes. 1. 22. *Omnia subjecit sub pedibus ejus*. Philipp. 2. 8. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium* &c. 1. Petri 3. 22. *Qui est in dextera Dei, ... profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis ac virtutibus*, Hebr. 1. 14. de Angelis, *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*.

Tertio multiplicis gratiæ largitione. Ephes. 3. 10. Paulus postquam dixit sibi datam esse hanc gratiam in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, sic pergit, *Ut innotescat*, inquit, *principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*.

ASSERTIO IV.

CHRISTUS non est caput Angelorum primæ gratiæ largitione.

PROBATUR 1. ex duobus Scripturæ locis, ubi Christus aperte significatur non propter angelos, sed propter homines duntaxat venisse. 1. Enim *Matthæi* 18. 12. & *Lucæ* 5. 4. Christus depingitur sub imagine pastoris, qui dimissis in deserto nonaginta novem ovibus, excurrit unam ovem perditam requisiturus: quod Ambrosius, Gregorius, Beda, Theophylactus, Anselmus & alii intelligunt de Christo qui Angelos in cœlo reliquerit, ut veniret in terram humanum genus liberaturus. 2. Hebr. 2. 11. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, ... unde debuit per omnia fratribus similari*. Ibi enim causam affert Apostolus cur carnem Christus assumpserit. Id autem ex eo repetit, quod propter homines carne indutos, non vero propter Angelos venerit. At si non venit propter angelos, certe non venit ut eis gratiam & salutem conferret. Ergo.

PROBATUR 2. ex Patribus, quorum alii in hoc secernunt angelos ab hominibus, quod angelorum princeps sit Christus, quatenus est Deus Verbum; hominum autem contra sit caput, quatenus homo factus est, v. g. Irenæus, Ambrosius, & Chrysostomus *supra*. Alii negant Christum propter angelos venisse ac mortuum esse, scilicet Tertullianus

nus *de carne Christi cap.* 14. Augustinus *in expositione epistolæ ad Gal.* & *in Enchir. cap.* 61. Fulgentius *lib.* 5. *ad Trasimundum cap.* 34. Gregorius magnus *moral. lib.* 28. *cap.* 6. Bernardus *in feriam* 4. *majoris hebd.* Rupertus *lib.* 4. *in apoc.* &c.

PROBATUR 3. ex distinctione status naturæ innocentis a statu naturæ lapsæ, de quo alibi ex professo differemus. Ibi enim ostendemus gratiam angelis & primis hominibus datam, fuisse versatilem & a Deo creatore profectam; gratiam autem naturæ lapsæ concessam esse a Christo salvatore.

PROBATUR 4. ratione *supra* jam allegata, cum probavimus Christum in terras eo tantum consilio venisse, ut homines liberaret, & venturum non fuisse, nisi Adamus peccasset.

OBJICIES 1. Christus Ephes. 1. 10. dicitur *instaurasse omnia*, *sive quæ in cælis*, *sive quæ in terris sunt*. Ergo.

DISTINGUO antecedens: instaurasse ruinas implendo, hoc est in locum angelorum lapsorum homines reparatos sufficiendo; concedo: secus; nego. Ita Patres. Et vero ex hoc consequens foret malos angelos fuisse a Christo restitutos; quod nemo dixerit.

OBJICIES 2. Christus idem dicitur Coloss. 1. 20. *Reconciliasse omnia*, *sive quæ in terris*, *sive quæ in cælis sunt*. Ergo.

DISTINGUO antecedens: reconciliavit peccatum humani generis delendo, quod inimicitiam induxerat inter Deum angelosque bonos ex una parte, & homines peccatores; concedo: Angelorum noxas eluendo; nego. Ita Patres. Et vero id nimis probaret, ut jam monuimus.

OBJICIES 3. *Hebræorum* 2. 10. Christus appellatur auctor salutis eorum, quos Deus in gloriam adduxerat antequam Christus consummaretur. At nulli præter Angelos ante passionem Christi gloria donati fuerant: Ergo Christus est auctor salutis angelorum.

DISTINGUO majorem: adduxerat, id est adducere decreverat, aut in eo erat ut adduceret; concedo: quos gloria jam donaverat; nego. In græco codice habetur, ἀγαγόντα hoc est *qui adducebat*.

OBJICIES 4. Non pauci sunt Patres, qui doceant angelos a Christo gratiam habuisse, qua perinde ac homines salutem consecuti fuerunt. Cyrillus *lib.* 9. *de adoratione* & *lib.* 5. *in Isaiam ad cap.* 54. Fulgentius *lib.* 2. *ad Trasimundum cap.* 3. Gregorius Magnus *hom.* 14. *in Ezech.*. Bernardus *serm.* 22. *in cantica canticorum num.* 6. ubi " Qui erexit hominem lapsum, inquit, dedit stanti angelo ne laberetur. " Ergo.

DISTINGUO: gratiam perinde habuisse a Christo diversa ratione spectato; concedo: eadem ratione considerato; nego. De Christo & gratia generatim differunt illi Patres. Christus porro est Deus simul & homo, creator simul & redemptor. Jam vero quatenus Deus est & creator, gratiam angelis tribuit, quatenus homo & redemptor, gratiam nobis promeruit. Utraque autem gratia ex genere suo una est, auxilium nempe supernaturale: at specie & efficaciæ modo discrepat.

QUÆ-

QUÆSTIO NONA.

De Donis in Christum collatis.

QUÆ hic excutienda habemus, ea vel ad Christi mentem ac scientiam pertinent, vel ad ejus voluntatem ac sanctitatem spectant.

ARTICULUS I.

De scientia Christi.

QUATUOR hic investigabimus. Primum An in Christo fuerit rerum omnium scientia: Secundum, An ei concessa fuerit a primo conceptus exordio scientia seu visio beatifica: Tertium, an etiam donatus fuerit visione Dei comprehensiva: Quartum, quotuplex in eo scientia distinguenda sit.

SECTIO I.

An Christus rerum omnium scientiam habuerit.

NON agimus hic de Christo, quatenus est Deus; certum enim est omnia ipsi ea ex parte comperta ac nota fuisse: sed de ipsius anima humana: nec disputamus de cognitione rerum, quæ esse possunt; sed de notitia earum, quæ aut fuerunt, aut sunt, aut futuræ prævideri queunt:

In Christo ignorantiam agnoverunt 1. Gnostici ac Valentiniani, qui Christum sub ferula præceptoris alphabeto operam dedisse fabulabantur, teste Irenæo *lib.* 1. *cap.* 17.

2. Ariani: ex quo etiam colligebant ipsum non esse divinitate præditum. Ita Athanasius *orat.* 4. &c.

3. Theodorus Mopsuestenus, tanquam Nestorii præcursor in synodo quarta damnatus: de quo ipsa synodus *coll.* 8. *cap.* 12. & Leontius *lib.* 3. *in Eutychen.*

4. Idem Nestorius, cum Christum merum per sese existimaret, quod perhibet Cyrillus *lib.* 3. *in ipsum.*

5. Leporius, Nestorii quondam discipulus, quem ideo ad palinodiam coegerunt præsules Africani, ut patet ex libello ejus emendationis.

6. Felix, quem *supra* diximus Christum pro filio Dei adoptivo habuisse. Id enim ipsi tribuit Agobardus Lugdunensis.

7. Eutychiani quidam, Severi Corrupticolarum principis, & Themistii diaconi sectatores, Themistiani a Themistio dicti, & a dogmate

Agnoetæ, seu, ut Latini scribunt, Gnoitæ & Ignoitæ, quod aliquid Christo ignotum fuisse prædicarent. De quibus Eulogius apud Photium *cod.* 230. & Gregorius Magnus *lib.* 8. *epist.* 42. &c.

Illud autem eo magis mirum est de Eutychianis, quod ipsi vulgo dicerent humanam Christi naturam in divinam transiisse.

8. Erasmus *ad cap.* 2. *Lucæ*.

9. Lutherus aliquando; Calvinus *suis in harmoniam commentariis*; Grotius *ad cap.* 13. *Marci* &c.

At contra Hugo Victorinus librum ex professo scripsit, ut probaret Christum non modo nihil ignorasse, sed etiam nullam aliam quam divinam habuisse scientiam.

ASSERTIO I.

Christus habuit scientiam creatam.

Probatur iisdem momentis, quibus *supra* ostendimus in Christo fuisse creatam animam & mentem: huic enim respondere debuit humana cognitio ac scientia.

ASSERTIO II.

In Christo fuit scientia rerum omnium ab ipso vitæ exordio.

Probatur 1. ex Scripturis. Isaiæ cap. 11. 2. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus scientiæ & pietatis*. Joan. 21. 17. *Domine tu omnia nosti*.

Probatur 2. Ecclesiæ judicio & auctoritate, quæ id in Valentinianis, Arianis, Nestorianis eorumque sequacibus non tulit.

Probatur 3. Patrum testimoniis. Origenes enim *in caput* 13. *Matth.* definit Christum nullius rei inscitia laborasse: si autem aliquando in Scripturis interrogans inducitur, id eodem modo exponi oportere, quo illud Dei, *Adam ubi es?* Idem omnino reperitur apud Chrysostomum *hom.* 41. *in Lazarum*. Inde est quod Patres Africani Leporium coegerint, ut pravam istam opinionem revocaret. Denique Eulogius & Gregorius Magnus Agnoetas ex professo confutarunt.

Probatur 4. theologorum consensione, quos inter Feuardentius *in suis ad Irenæum notis*; Maldonatus *ad* 1. *Lucæ*; Petavius in *lib. de Trin. & Incarnatione*, Calvinianos revicerunt.

Probatur 5. ratione. Erat enim Christi dignitatis, ut ea omni perfectione præditus foret, cujus homo capax est. Deinde vero susceptæ ab eo mediatoris, doctoris hominum, ac omnium judicis partes, id omnino postulabant, ut nihil prorsus ignoraret.

Objicies. Non pauci sunt Patres, qui senserint Christum scientia temporis decursu profecisse; & dum mortalis vixit, ignorasse judicii diem; de quo Petavius *supra*.

Res-

Respondeo id quidem nonnullis aliquando esse visum; sed rem postea ita fuisse eliquatam, ut hac de re nemo jam dubitare possit.

SECTIO II.

An Christus a primo conceptus puncto visione beatifica fruitus sit.

Observandum est 1. nonnullos theologos, numero tamen paucissimos, olim extitisse qui negaverint Christum hac visione beatifica fruitum fuisse per mortalem vitam suam; quia nempe non cernebant qua ratione beatitas illa perfecta cum tantis doloribus, quantos tulit Christus, & cum tristitia, quam expertus est, consistere posset.

Observandum est 2. nihil ea de re in Scripturis diserte haberi; imo & non multos esse ex antiquis Ecclesiæ doctoribus, qui id enucleate de Christo dixerint.

Observandum est 3. plerosque jam cum doctos tum imperitos in eam sententiam conspirasse, ut credant concessam esse Christo jam ab ipsis vitæ mortalis initiis claram & intuitivam Dei visionem.

ASSERTIO.

Christus ab ipso vitæ mortalis exordio beata visione potitus est.

Probatur 1. ex quibusdam Scripturæ locis, quæ id non obscure significant. 1. Enim plena & perfecta Dei cognitio Christo tribuitur: fuit enim *plenus gratiæ & veritatis*, Joan. 1. 14. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ibidem v. 16. At cognitio Dei plena & perfecta est visio Dei intuitiva. Quæ enim intuitiva non est, ea non plena, & imperfecta in Scripturis appellatur, 1. Cor. 13. 9. *Ex parte cognoscimus*, inquit Paulus: v. 12. *Videmus nunc per speculum, in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. Ergo intuitiva visione donatus est Christus, etiam a primis vitæ temporibus. 2. Ibidem v. 18. *Deum nemo vidit unquam*, inquit Evangelista; *unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Ibi enim de Christo non tantum ut Deo, sed etiam ut homine sermo est; imo potissimum de Christo quatenus homo est; eatenus enim cœlestia hominibus prædicavit: proinde Christus quatenus homo, dicitur illic fuisse in sinu Dei. At esse in sinu Dei & Deum clare ac intuitive contemplari sunt unum & idem. In sinu enim Dei esse ibi opponitur iis qui non vident Deum. At cum Joannes ait, *Deum nemo vidit unquam*, id intelligitur de visione intuitiva. Homines enim cognoscunt Deum abstractive, ut loquuntur. Ergo.

Probatur 2. ex Patribus. Eusebius *lib. 10. demonstr. evang. cap. 21.* illud exponens psalmi 21. *In te projectus sum ex utero*, " Cum enim ad-

 „ huc

„ huc in penetrali gestantis me genitricis essem, inquit de Christo, te „ Deum meum intuebar. " Augustinus *lib.* 4. *de consensu evang. cap. ult.* postquam asseruit neminem in hac vita videre posse limpidissimam illam lucem, ubi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas cernuntur, sic addit, " Qua maxime proprietate, inquit, distat a cæteris homo, cum „ susceptione Verbum caro factum est. " S. Leo *epist.* 11. *ad Julianum*, " „ Cum simplex, inquit, & incommutabilis natura Deitatis tota sit sem„ per in sua essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum, & sic „ naturam assumptam beatificans, ut glorificata in glorificante perma„ neat. " Adde alios *supra* memoratos, qui hoc esse unionis hypostaticæ consectarium putarunt, ut Christus non solum quoad animam beatus esset, sed etiam quoad corpus gloria cœlesti gauderet.

PROBATUR 3. communi theologorum consensione.

PROBATUR 4. ratione duplici. 1. Enim Christi dignitas id poscit, ut ei perfectionem omnem tribuamus, quæ cum Incarnationis mysterio, & humanæ redemptionis negotio non pugnet. 2. Cui homini Christo sit concessum ut esset Deus, quod multo maximum est, non videtur ei denegari debuisse id quod minus est, nempe ut videret Deum. Qui plura voluerit, is adeat Melchiorem Canum *lib.* 12. *de locis theologicis cap.* 3. & Petavium *lib.* 11. *de Incarn. cap.* 4.

OBJICIES. Beatitas pugnat cum maximo dolore. Beatitudo enim est status omnium bonorum aggregatione perfectus: proinde summa voluptate refertus. Quis autem capiat quo pacto possit eadem anima torrente voluptatis absorberi, simul & acutissimo dolore torqueri. Etsi enim hæc cogitari possent in remisso gradu secum invicem non pugnare: at sane non possunt in summo gradu simul cohærere. Atqui visio Dei clara & intuitiva est hominis beatitudo, & Christus acerbissimos in cruce doloris sensus expertus est. Ergo.

DISTINGUO majorem: beatitas completa; concedo: secus; nego. Duplex enim beatitudo: altera completa, quæ corpus & animam simul complectitur; altera imperfecta, quæ ad solam animam spectat. Prima stare non potest cum dolore; potest secunda.

INSTABIS 1. Gaudium & tristitia, voluptas & dolor non possunt esse simul. Atqui. Ergo.

DISTINGUO majorem: non possunt esse simul de eodem; concedo: diverso respectu; nego. Ita martyres mediis in suppliciis ac cruciatibus summa voluptate & pace fruebantur. Si autem id locum habuit in servis, quanto magis in Domino? Nempe anima Christi hinc quidem Deo intime conjuncta erat, illinc vero erat corpori illigata: quatenus cum Deo jungebatur, torrente voluptatis immergebatur; alia vero ex parte dolore & tristitia.

INSTABIS 2. At summum gaudium non potest simul consistere cum summo dolore, etiam circa diversa. Ergo.

DISTINGUO antecedens: nisi summi gaudii volente Deo vis comprimatur;

matur; concedo : si volente Deo comprimatur; nego. Duplex est animæ Christi pars, superior videlicet ac inferior. Voluptatem summam ex claro Dei intuitu superior capiebat, & illud sane gaudium redundasset in inferiorem, totamque animam perfudisset, nisi gaudium illud e parte superiore per sese ac sponte fluens Christus cohibuisset, ut per tristitiam, dolores, cruciatus, salutis nostræ negotium perficeret. Cohibuit autem ea fere ratione, qua per omnem vitam mortalem animæ suæ gloriam continuit, ne in corpus efflueret. Hæc quidem non facile capiuntur, aut conciliantur : sed quid mirum si mysteria, quæ natura sua supra rationem posita sunt, mente non penitus assequamur?

Objicies 2. Cum clara Dei visione non possunt consistere fides & spes. Atqui in Christo fuerunt spes & fides. Ergo.

Nego minorem. Mox enim docebimus nec spem, nec fidem in Christo extitisse.

Objicies 3. Lucæ 24. 26. dicitur, *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Ergo non potiebatur gloria, antequam pateretur.

Distinguo antecedens : in gloriam completam animæ simul & corporis; concedo : secus; nego.

SECTIO III.

An anima Christi Deum comprehenderet.

Duplex a theologis vulgo distinguitur clara Dei visio; altera intuitiva, qua Deus videtur simpliciter ut in se est; altera comprehensiva, qua tantum cognoscitur, quantum cognosci potest.

ASSERTIO.

Anima Christi Deum non comprehendebat.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ Deum humanæ menti incomprehensibilem esse generatim definiunt : Jeremiæ 32. 19. *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu*.

Probatur 2. ex Patribus, qui idem generatim pronunciant, quique speciatim ea ratione revincunt Anomæos tam stolide quam insolenter Dei comprehensionem sibi arrogantes : de quo olim *in tractatu* DE DEO AC DIVINIS ATTRIBUTIS.

Probatur 3. auctoritate concilii Constantiensis, in quo hæc Augustini de Roma inter alias damnata est propositio, *Anima Christi Deum videt tam clare & intense, quam Deus videt se ipsum*.

Probatur 4. ratione. Non potest enim Deus comprehendi, quin cognitio æquet Dei intelligibilitatem, eamque exhauriat. At Dei intelligibilitas infinita est : proinde ejusmodi cognitionem pariter infinitam esse oporteret. At nulla est cognitio animæ creatæ & finitæ, qualis est Christi, quæ infinita dici queat. Ergo &c.

Objicies. S. Fulgentius, cum ipsum Ferrandus interrogasset, " Utrum „ anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam; & „ quemadmodum Pater & Filius & Spiritus-sanctus, ita idem Filius seipsum, per id quod homo est in eo quod Deus noverit, ex utraque & „ in utraque substantia totum capiens Patrem, " Fulgentius, inquam, ei respondens *num. 3.* ita esse decernit : idque probat, 1. quia ut humanitas Christi personam habere creditur æqualem Patri, sic & æqualem habere debeat notitiam : 2. quia, cum fides Christum altissimum confiteatur, non jam totus, sed ex parte Christus prædicatur altissimus, si anima ejus infra altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei a fidelibus prædicatur. 3. Quia anima Christi tantum novit Deum, quantum divinitas ipsa, licet non noverit sicut illa, quia videlicet notitia, quæ in Deo est, divinitas ipsa est. Cognitio autem quæ in homine Christo est, Deus non est. Unicum enim hoc discrimen est juxta B. Fulgentium inter utramque. Ergo anima Christi comprehendit vere Deum.

Respondeo 1. Fulgentium a nonnullis theologis exponi de notitia plena, qualis est beatorum, ita ut non sit reipsa comprehensiva.

Respondeo 2. ut, quod sentimus, candide aperiamus, Fulgentium nobis videri in ea versatum esse sententia. Id enim demonstrat cum Ferrandi quæstio, tum Fulgentii triplex ratio mox memorata. Uni autem Fulgentio reliqui fere omnes opponendi sunt Ecclesiæ doctores.

Instabis. Albinus Flaccus *lib.2. de Trinit. cap.12.* in eamdem sententiam descendit. Ergo.

Respondeo ab Albino non tantum Fulgentii mentem esse expressam, sed & verba ipsa descripta esse; quocirca aut eodem modo exponendus est, aut pariter deserendus.

Ex quo sequitur Christum non cognovisse omnia possibilia. Non possunt enim illa cognosci, quin tota exhauriatur Dei potentia quæ infinita est : de quo S. Thomas & theologi alii.

SECTIO IV.

Quotuplex in Christo sit scientia.

Triplex in Christo vulgo agnoscitur scientia, beatifica nimirum, infusa & acquisita.

Beatifica ea est, quam exposuimus, scilicet clara Dei visio.

Infusa duplex est : altera, quæ natura sua talis est, qualis est cognitio rerum supernaturalium : altera, quæ per accidens duntaxat est talis, qualis est rerum naturalium notitia, quæ licet labore acquiri posset, liberaliter tamen a Deo conceditur. Utraque in Christo fuit.

Acquisita denique dividitur in eam, quæ mentis est; & eam, quæ ex sensibus oritur. Prima proprie dicitur acquisita, quia nempe ex certis principiis generalibus ratiocinando colligitur : secunda experimentalis,

lis, quod sensuum experientia & factis singularibus nitatur. Utraque inerat Christo : non enim dubium est, quin Christus ratione uteretur & sensuum ministerio.

Per scientiam beatificam cognovit anima Christi Deum & ea omnia, quæ a theologis dicuntur videri posse in Verbo formaliter, de quo olim.

Per scientiam infusam cognovit res omnes naturales & supernaturales, liberas & necessarias, existentes, præteritas & futuras.

Per scientiam acquisitam omnia, quæ sub mentem ac sensus quotidiano usu cadebant.

ARTICULUS II.

De multiplici gratia Christi.

GRATIA generatim donum est a Deo liberaliter sine ullo meritorum respectu alicui concessum. Gratia autem ejusmodi duplex distingui potest : altera, quæ ad sanctimoniam ejus conferat, cui donatur, & hæc *gratia gratum faciens* solet appellari ; altera, quæ non ad ejus sanctitatem, sed ad aliorum potius utilitatem ac commodum spectat, & ea generis nomen retinet, vocaturque *gratia gratis data*, ut facultas edendorum miraculorum, prophetia &c.

Gratia autem gratum faciens, altera est substantialis, altera accidentalis. Substantialis est illa, quæ ex divinæ naturæ hypostatica conjunctione fluit. Accidentalis est illa, quæ priori superadditur. Atque hæc postrema rursus duplicis generis est : altera nempe est habitualis ; altera actualis.

Ad gratiam revocantur dona, quæ vulgo enumerantur Spiritus-sancti.

ASSERTIO I.

IN Christo fuit gratiæ plenitudo.

PROBATUR ex variis Scripturæ locis. Joannis enim 1. 14. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*. Ibidem v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Ibid. 3. 34. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat* (ei) *Deus Spiritum*. Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*.

ASSERTIO II.

IN Christo fuit gratia substantialis.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Coloss. enim 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

PROBATUR 2. ex his quæ de substantiali Christi sanctitate dicenda sunt.

ASSERTIO III.

IN Christo fuit gratia habitualis ejusdem cum nostra conditionis.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Isaiæ enim 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini.* Hæc enim verba non modo Spiritus sancti illapsum, sed & habitationem significant, quæ gratia est habitualis.

PROBATUR 2. ex Patribus. Cyrillus enim *lib: de fide* asserit Christum humano more Spiritum sanctum accepisse. Cassianus autem refellens Nestorium, qui sentiebat Christum gradatim ad sanctitatis apicem ascendisse, hancque excellentem gratiam non cum ipso natam, sed postea ex illapsu divinitatis infusam; " Nos, inquit *lib.* 2. *cap.* 6. aliud " non dicimus, quam quod divina gratia cum divinitate descenderit. " .... Si Dei Filius; ergo indubitanter Deus. Si autem Deus; " ergo gratia Dei non carens. Neque enim ea re unquam caruit " quam ipse fecit. *Gratia enim, & veritas per Jesum Christum facta* " *est.* " Quæ sane verba creatam quamdam gratiam nostræ similem arguunt.

PROBATUR 3. ratione. Gratia enim habitualis non modo conceditur ut sit animæ ornamentum, sed etiam ut animam idoneam faciat bonis operibus naturaliori quodammodo eliciendis Atqui ejusmodi gratia perfectio quædam est Christo non deneganda. Ergo.

NEC dicas ad id satis fuisse gratiam unionis.

NAMQUE gratia unionis natura sua afficit duntaxat, & ornat animam; non vero eam movet, & impellit ad operandum. Atqui in Christo debuit esse quiddam ejus generis, quo moveretur, quo bona opera eliceret, uno verbo principium quoddam activum & connaturale bonorum operum.

QUÆRES an ista gratia fuerit infinita.

RESPONDEO non fuisse. Quia anima Christi finita est, utpote creata: quidquid autem recipitur, ut vulgare fert effatum, ad modum recipientis recipitur.

QUÆRES 2. an isthæc gratia dicenda sit naturalis, an adventitia.

RESPONDEO dici naturalem, si spectetur unio hypostatica, cujus est consectarium naturale ac necessarium: dici autem adventitiam, & accidentalem, si spectetur ipsa gratiæ natura, & humanitas Christi præcise & sine unionis hypostaticæ respectu.

ASSERTIO IV.

IN Christo fuit gratia actualis.

PROBATUR. Gratia enim actualis nihil aliud est quam cœlestis ac superna men-

mentis collustratio & pia motio voluntatis ad opus laudabile. Atqui Christus iis erat indesinenter instructus. Ergo.

ASSERTIO V.

In Christo fuerunt dona Spiritus sancti.

Probatur 1. ex Scripturis. Isaiæ enim cap. 11. 10. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini.*

Probatur 2. veterum auctoritate. Novatianus *de Trinit. cap.* 29. de Spiritu sancto disputans. " Hic est, ait, qui in modum columbæ, postea quam Dominus baptizatus est, super eum venit & mansit; habitans in solo Christo plenus ac totus; nec in aliqua mensura, nec portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulate distributus, & missus, ut ex illa delibationem quamdam cæteri consequi possent, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente: ut ex illo donorum atque operum venæ ducerentur, Spiritu sancto in Christo affluenter habitante: hoc enim jam propheta Isaias aiebat, *Et requiescet super eum* &c. Theodoretus *ad hunc locum*, " Secundum humanitatem, inquit, omnia Christus habuit dona Spiritus, quippe cujus e plenitudine omnes accepimus. " Vide Rupertum *lib.* 2. *in eumdem prophetam.*

Probatur 3. ratione. Omnia enim ista Spiritus sancti dona eo natura sua tendunt, ut his homo adjutus alacriter, & nullo negotio Spiritui sancto obsequatur. At nihil eorum, quæ ad virtutem conducunt, Christo est abjudicandum. Ergo.

Objicies 1. Consilium aliquam dubitationem involvit. Atqui nulla in Christo fuit dubitatio, circa ea quæ agenda essent. Ergo.

Distinguo majorem: per accidens ratione subjecti, v. g. in nobis; concedo: per se & natura sua; nego. Consilium enim per sese nihil aliud est, quam rectum de agendis judicium, quod quidem fuisse in Christo nullus negaverit.

Objicies 2. Timor non est, ubi est perfecta charitas, ut docet S. Joannes 1. *epist.* 4. 18. At in Christo perfecta fuit charitas. Ergo.

Distinguo majorem: timor servilis; concedo: timor castus & filialis; nego. Hic enim dicitur permanens in sæculum sæculi, *psalmo* 18. 10. & in eo errasse perhibetur Abaelardus, de quo Bernardum vide *epist.* 190. Uno verbo, si quid imperfectum his Spiritus sancti donis admixtum in nobis occurrat, illud est a Christo prorsus removendum.

AS-

ASSERTIO VI.

In Christo fuerunt gratiæ gratis datæ.

Probatur. Gratiæ enim illæ sunt, sermo sapientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, &c. quæ ab apostolo recensentur 1. *Cor.* 12. Atqui hæc omnia in Christo fuerunt: sermo sapientiæ ad alios erudiendos; gratia sanitatum ad infirmos curandos; operatio virtutum ad edenda miracula, prophetia ad futura prædicenda, discretio spirituum ad internas cordium cogitationes cognoscendas, ut liquet ex historia evangelica.

Nec dicas prophetiam esse obscuram.

Nam id per accidens usu venit, quia nimirum Deus prophetis vulgaribus omnia aperte non revelabat: at per se & natura sua, non est obscura. Unde & Christus propheta appellatur *Deut.* 18. 5. *Matth.* 13. 57. *Marci* 11. 32. *Luca* 24. 19.

ARTICULUS II.

De Christi virtutibus.

Virtutes aliæ sunt infusæ, aliæ acquisitæ, aliæ morales, aliæ theologicæ.

Virtus infusa juxta S.Thomam 1. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. est virtus ordinata ad bonum quod modificatur per legem divinam, & a Deo liberaliter conceditur.

Acquisita est virtus ordinata ad bonum quod modificatur secundum regulam rationis humanæ, & potest comparari per actus humanos, quorum principium est ratio.

Virtutes theologicæ sunt eæ, quæ circa Deum proxime versantur, fides scilicet, spes, & charitas.

Morales quæ circa alia versantur, ut temperantia, justitia &c.

Jam vero morales vel spectantur quatenus in se sunt & seclusis imperfectionibus, vel quatenus sunt in nobis una cum imperfectionibus, quæ ex peccato aliave causa oriuntur. Sic continentia v. g. in nobis duo importat, abstinentiam scilicet ab impuris voluptatibus, & resistentiam pravis concupiscentiæ motibus.

ASSERTIO I.

In Christo non fuerunt virtutes morales cum imperfectionibus, quibus admixtæ sunt in nobis.

Probatur. Id enim repugnat perfectæ Christi integritati, quæ non modo cujuslibet generis peccatum, sed etiam quamlibet pravam concupiscentiam excludebat.

AS-

ASSERTIO II.

In Christo non fuerunt fides & spes theologicæ.

Probatur. Fides enim theologica est argumentum non apparentium, *Hebr.* 11. 1. seu circa res obscuras versatur: spes autem circa res futuras & nondum possessas. At Christus clare Deum intuebatur, & eo potiebatur ab ipso conceptus exordio.

Et certe cum Leporius dixisset in Christo fuisse fidem, id revocare coactus est, ut legitur in libello ejus emendationis.

Nec dicas fidem recenseri ab Apostolo inter ea Spiritus-sancti dona, quæ modo dicta sunt in Christo fuisse.

Hæc enim fides non est virtus theologica, qualem hic expendimus; sed pro fiducia sumitur.

Nec addas in Scripturis spem Christo non semel tribui.

Hæc enim spes non est Dei olim possidendi, qualis est virtus theologica: sed rerum aliarum firma ac certa expectatio, quæ beato Christi statui non repugnabat.

ASSERTIO III.

In Christo fuerunt omnes virtutes tam infusæ quam acquisitæ, tam morales quam theologicæ, quæ cum ejus integritate ac felicitate non pugnabant.

Probatur. Id enim ad summam Christi perfectionem pertinebat, ut omnibus virtutum numeris absolutus foret.

Nec dicas virtutes acquisitas esse virtutes mere humanas Christoque indignas.

Non enim statuimus in Christo fuisse virtutes hoc sensu acquisitas; sed eo tantum sensu, quod nempe eas virtutes habuerit supernaturali Dei dono, quas alii homines possunt frequenti actuum humanorum exercitio assequi.

ARTICULUS IV.

De Christi sanctitate.

Tria duntaxat hic supersunt expendenda. Primum, an anima Christi præter sanctitatem ex gratia habituali profectam, aliam insuper habuerit substantialem ex sua cum Verbo conjunctione: Secundum, An nullum unquam peccatum admiserit. Tertium, An ne ullum quidem admittere potuerit.

An

An Christi anima sanctitatem quamdam substantialem habuerit.

ASSERTIO.

ANIMA Christi sanctitatem quamdam substantialem traxit ex sua cum Verbo conjunctione.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Præterquam quod enim cum in antiquo tum in novo fœdere Christus vocatur *sanctus*, *justus*, & quidem excellenti quadam ratione, imo & *justitia*, certe id de Christo homine aperte indicat Angelus *Lucæ* 2. 35. cum sic ait Mariæ substantivum in modum; *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

PROBATUR 2. ex Patribus, quorum ea est communis doctrina.

Dionysius Alexandrinus *in epistola ad Paulum Samosatenum*, " In eo " inquit, ostendebatur Christi a Joanne discrimen, ex summa mundi- " tia & incomparabili justitia: quod opus quidem justitiæ Joannes " erat: Jesus autem natura. " *Ibidem*, " Naturalis justitia .... existit " in Christo.

Basilius *in psal.* 44. " Cæteri homines, inquit, labore, exercitatio- " ne & attentione animi hoc assequuntur, ut ad honestatem bene sint " affecti, & a malo aversi. Tibi vero (Christe) naturalis quædam " cognatio cum bono, & alienatio ab iniquitate.

Augustinus *Enchir. cap.* 40. " Modus iste quo natus est Christus de " Spiritu-sancto .... insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præ- " cedentibus meritis .... Verbo Dei copularetur in tantam personæ " unitatem, ... ut .... fieret quodam modo gratia ipsa homini illi " naturalis, qua nullum peccatum posset admittere.

Cyrillus *lib.* 11. *in Joan.* " Sanctum est illud omne, inquit, quod a " mundi sordibus est immune: quod quidem naturaliter est in Christo: " adscititium vero & adventitium inest sanctis discipulis per sanctifi- " cationem, quæ est ex gratia.

Maximus martyr *in dial. cum Pyrrho*, " Ille, inquit, non ut nos " .... consultando & quærendo, sed divine subsistendo, per ipsum suum " esse naturale, bonum habuit.

PROBATUR 3. ratione. Qui enim est substantialiter Deus, idem est substantialiter sanctus. Atqui. Ergo.

OBJICIES. Non magis sanctitas ipsa Dei communicari a Verbo potuit cum humanitate; quam omnipotentia, immensitas &c. Atqui. Ergo.

NEGO majorem & paritatem. Discriminis enim triplex ratio est: 1. Quod omnipotentia, immensitas, aliæque proprietates non tam ad hypostases, quam ad naturam divinam pertineant, sanctitas vero contra transcendat & ex æquo personis ac naturæ divinæ competat: proinde cum

cum natura divina humanam per se ipsa immediate non afficiat, sed Verbi hypostasis, ab ipsa persona sanctitas in humanam naturam derivari potuit, non omnipotentia, non immensitas. 2. Quod sanctitas aliquid sonet instar rei cujusdam moralis. Quæ autem ex morali genere sunt, aut ad ea accedunt quadantenus, ea non modo dignitate sua possessores suos perfundunt, sed etiam ea omnia, quæ cum ipsis copulata sunt. Sic regia dignitas vestibus ipsis regum honorem conciliat: quanto magis sanctitas Verbi afficit naturam humanam in sinum suum receptam & physice cohærentem? 3. Quod humana natura, ut pote finita, non sit capax omnipotentiæ & immensitatis, capax autem sit sanctitatis substantialis.

INSTABIS. Natura humana non communicat cum natura divina passibilitatem suam. Ergo pariter &c.

NEGO consequentiam & paritatem. Ratio est, quia natura humana non proxime conjungitur cum divina, sed cum Verbi persona. Non communicat ergo passibilitatem suam naturæ divinæ; sed tantum personæ ipsi. At sicut communicat personæ passibilitatem suam; sic ab ipsa communicatam recipit sanctitatem.

An Christus ab omni peccato immunis fuerit.

INTER veteres hæreticos nullus reperitur, qui ita inverecundus & procax extiterit, ut Christo peccatum ascriberet.

At nonnulli inter recentiores eo impietatis ac insaniæ venisse perhibentur, imprimis autem apostata quidam Præmonstratensis & alii, antichristiani optimo jure appellati, de quibus Vasquezius *disput.* 16. *cap.* 1.

A S S E R T I O.

CHRISTUS nullum unquam peccatum admisit.

PROBATUR 1. Ex Scripturis. 1. Enim in iis passim *justus*, *sanctus*, ac *justitia ipsa* appellatur; Isaiæ 45. 8. Jeremiæ 33. 15. Malach. 4. 2. Sap. 2. 12. Isaiæ 45. 8. 51. 5. 53. 11. 62. 1. Jeremiæ 23. 5. Zachariæ 9. 9. Psalmo 4. 4. 15. 10. Isaiæ 12. 6. Danielis 9. 24. 1. Cor. 1. 30. Actuum 3. 14. 7. 52. 22. 14. Jacobi 5. 6. Marci 1. 23. Actuum 2. 27. 4. 27. &c. 2. Diserta sunt de hac re testimonia; Joan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Hebr. 4. 15. *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Ibidem cap. 7. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. 1. Petri 1. 18. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati*. Ibidem cap. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*.

ejus. 1. Joan. 3. 5. *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*.

PROBATUR 2. constanti totius Ecclesiæ traditione omniumque Patrum unanimi consensu, qui non solum docent Christum nunquam peccasse, sed etiam peccare non potuisse.

An in Christo fuerit impeccantia.

ASSERTIO.

CHRISTUS nullum unquam peccatum admittere potuit.

PROBATUR ex communi Patrum atque adeo Ecclesiæ sententia.

Hippolytus martyr apud Theodoretum *dial.* 1. " Arca, inquit, ex " lignis, quæ putrescere nequeunt, fuit ipse salvator..... Nam qui " peccavit, confitendo dicit, *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ* " *a facie insipientiæ meæ*. Dominus autem impeccabilis erat.

Origenes *lib.* 2. *de principiis cap.* 6. ad finem, probat animam Christi nullum sensum vel passibilitatem habuisse peccati, idque candentis ferri similitudine, quod quidem ferrum si metallum spectes, peræque capax est frigoris & caloris; ubi autem ignescere cœpit, quandiu ardet, omne a se frigus repellit. " Hoc ergo modo, inquit, etiam ani- " ma illa, quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sa- " pientia, semper in Deo posita est; & ideo . . . nec convertibilis & " mutabilis est.

Athanasius *de Incarnatione Verbi*, " Impossibile erat, inquit, alio mo- " do integritatem & impeccantiam in humanam naturam recipere, ni- " si Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem justitiam in- " vexit in mundum.

S. Prosper *de vita contempl. lib.* 3. *cap.* 31. " Sine peccato conceptus " & natus, inquit, non solum non peccavit, sed etiam peccare non " potuit.

Alios afferre operæ pretium non est, cum nullus sit, qui a cæteris diffideat. Qua autem ratione id consistere potuerit cum perfecta quæ in Christo fuit indifferentiæ libertate, consule Massoliæum 1. *parte de libertate Christi*.

Undenam repetenda sit illa Christi impeccantia.

THEODORUS Mopsuestenus ex Leontio *lib.* 3. & Nestorius ejus discipulus id tantum ascripserunt vehementi Christi in virtutem studio, cujus vi ac merito id tandem a Deo sit consecutus, ut bono immutabiliter adhæreret.

Durandus autem, Scotus, Gabriel, Marsilius, Henricus &c. id attribuunt beatæ Dei visionis & abundantibus gratiæ donis, quibus cumulatus

latus esset Christus; non vero ipsius unionis hypostaticæ virtuti, ita ut nihil absurdi esse sentiant, si humanitas Christi non tantum per se spectata, sed etiam post suam cum Verbo conjunctionem citra hæc adventitia Dei munera peccare potuisset.

Alii vero omnes theologi vulgo reclamant indignabundi.

A S S E R T I O.

Anima Christi ex sua cum Verbo conjunctione, id expressit & habuit ut nullum omnino peccatum admittere posset.

Probatur 1. non tantum ex communi omnium Christianorum sensu, sed etiam ex constanti & manifesta Patrum doctrina; ita ut sine gravi temeritatis nota, præteriri non debeat contraria opinio.

Origenes *supra*, " Anima illa in Deo posita est, ideo nec converti-„ bilis & mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit.

Hippolytus martyr apud Anastasium biblioth. *excerpto* 8. asserit ex ea conjunctione factum esse ut naturalis esset Christo a malo alienatio.

Dionysius Alexandrinus *epist. ad Paulum Samosat.* " Nisi, inquit, „ fuisset (Christus) idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse „ alienus a potestate peccandi .... Non enim est homo justus super ter-„ ram, qui faciat bonum, & non peccabit &c.

Athanasius *lib. de Incarn. adversus Apollinaristas*, qui Christo mentem abjudicabant, ne fateri cogerentur eum peccare potuisse, ait nullum esse timendi locum propterea quod " Impeccantiam humanæ na-„ turæ tribueret ipsius cum divina conjunctio. " Idem astruit *serm.* 2. *in Arianos*.

Gregorius Nazianzenus *orat.* 36. de Christi voluntate loquens, " Il-„ lius voluntas, inquit, cum tota deificata sit, Deo procul dubio non „ adversatur.

Ambrosius *lib. de Incarn.* idem quod Athanasius pertractans argumentum, & adversus eosdem, ipsis eodem quoque respondet modo. *Libro* autem 2. *apologiæ David*, " Nemo, inquit, sine peccato, nisi „ unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus, qui Dei Filius est, „ utique Dei Filius arbiter justitiæ, obnoxius non est culpæ.

Cyrillus *lib. de fide ad Theodosium* " (Christi) caro, inquit, postea „ quam Verbi omnia vivificantis caro effecta est, e vestigio statum „ firmum ac omnibus modis stabilem, peccatoque .... multis partibus „ potentiorem nacta est. " Ex quo statim colligit illam eo ipso fa-„ ctam esse immutabilem.

Augustinus *de corrept. & gratia*, " Nihil metuendum erat, inquit, „ ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Dei humana „ natura suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa „ susce-

„ susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo suscepta nullum in se
„ motum malæ voluntatis admitteret.

Fulgentius *lib.* 3. *ad Trasimundum cap.* 22. “ Deitas, inquit, non
„ potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine pec-
„ cato permansit, quia eam in unitatem personæ divinitas accepit,
quæ naturaliter peccare non potuit.

Adde quæ *supra* de sanctitate Christi substantiali disputavimus.

Probatur 2. ratione. Ista enim humanitatis cum Verbo conjunctione, homo in Christo factus est Deus. Si ergo homo in Christo peccaret, Deus quoque peccare dicendus foret: proinde etiam Deus posset cum reliquis reprobis ac damnatis aliquando æternis ignibus exuri. Quod quidem & sentire & dicere ita pietati adversatur, ut nemo sit Christianorum, qui ad id totus non cohorreat.

Nec reponas id non repugnare, propterea quod peccati labes in isto casu in Deum quidem caderet denominatione tenus propter idiomatum communicationem, non vero divinitatem afficeret, quæ peccato obnoxia esse non potest.

Nam hoc ipsum, quis patienter audire sustineat? At aliud reipsa insuper admittendum est. Si enim humana natura peccaret, non modo Deus propter idiomatum communicationem peccare dicendus foret, sed etiam vere in divinitatem ipsam culpa redundaret. Nam Deus eo ipso quod humanam naturam in unitatem personæ assumpsit, ita singulare in eam dominium est consecutus, ut eam dirigere teneatur, & peccatum quodlibet, si possit, ab ea arcere. In hoc enim præter cætera posita est personæ superioris cum inferiori natura hypostatica conjunctio. Itaque cum Deus omne procul dubio peccatum ab humana natura propulsare possit; si non impediret, vitio ipse subjaceret: quod dictu horrendum est.

QUÆSTIO DECIMA.

De Christi satisfactione, & merito.

Hic Socinianos impetimus, qui ut Christi divinitatem, ita & ejus pro nobis satisfactionem inficiantur.

Cum autem tria sint controversiæ capita, primum de satisfactionis necessitate; secundum de ejus veritate; tertium de perfectione; de primo autem jam dudum dixerimus, duo duntaxat supersunt super hoc negotio excutienda.

AS-

ARTICULUS I.

An Christus vere pro nobis satisfecerit.

HIc præcipuus est cardo quæstionis, quæ ut nitide percipiatur, nonnulla observanda sunt.

Ac primo quidem posse quempiam dici satisfacere duobus modis, proprie nimirum, & improprie. Is proprie pro alio satisfacit, qui ad strictos justitiæ apices pretium æquivalens solvit, & debitum ab ipso contractum ea ratione extinguit. Is autem satisfacere dicitur improprie, qui aut per partis læsæ acceptationem, ut loquuntur, gratuito debiti relaxationem ab ea impetrat, aut ad debitum extinguendum ea omnia exequitur, quæ ab ipsa imperantur.

Secundo, posse quempiam pariter dici alterius servatorem duplici modo, nempe præconio, consilio, exemplo; aut merito, opere & efficacia.

Tertio duplici quoque ratione dici posse quempiam pro altero mori: 1. ita ut intelligatur mori utiliter pro eo, hoc est pro ejus bono. 2. ita ut intelligatur mori ejus loco ac vice.

Sociniani ut fucum faciant & fallant incautos, 1. non negant Christum pro nobis Deo satisfecisse; sed eum satisfecisse ajunt improprie & metaphorice, quia nempe iis omnibus defunctus est, quæ sibi ab ipso impositæ fuerant, partibus ad salutem nostram procurandam, & ab eo gratis obtinuit debitorum nostrorum relaxationem. Nolunt autem eum satisfecisse proprie, hoc est ad accuratæ justitiæ amussim æquivalens pro nobis pretium exsolvisse.

2. Iidem confitentur Christum esse servatorem hominum, sed præconio duntaxat, consilio & exemplo, quia nimirum eis salutis viam annunciavit, ad illam eos cohortatus est, eisque in illa sequenda exemplo præluxit; non autem opere, merito & efficacia, humanum genus reparando.

3. Christum non inficiantur pro nobis esse mortuum; sed ita ut intelligatur esse mortuus pro bono & commodo nostro duntaxat; non vero ut intelligatur esse mortuus hominum loco ac vice per veram ejus in nostri locum substitutionem.

Catholici, imo & reliqui omnes Christiani contendunt,

1. Christum Deo satisfecisse non tantum improprie, sed etiam proprie; pretium non solum æquivalens, sed etiam abundans exsolvendo.

2. Eumdem esse servatorem nostrum non præconio duntaxat, consilio & exemplo; sed etiam opere, merito & efficacia, quia vere nos redemit.

3. Ipsum esse mortuum non pro bono nostro tantum generatim; sed etiam speciatim vice nostra, per veram ipsius in hominum locum substitutionem.

Scilicet peccatum, pro quo satisfactio exhibetur, triplicem habet respectum. 1. Enim debitum est, quo divinæ justitiæ obligamur. 2. Inimicitiam inducit Deum inter & hominem. 3. Crimen est, quo rei fimus mortis & maledictionis æternæ. Hinc qui peccant 1. dicuntur debitores, *Matth.* 6. 12. *Coloss.* 2. 14. 2. Inimici, *Rom.* 5. 10. & *Coloss.* 1. 21. 3. Rei, *Marci* 3. 29. *Jacobi* 2. 10.

Itaque Deus se habet 1. ut creditor, cui debetur: 2. ut pars offensa, quæ placanda est: 3. ut judex, qui pœnam repetit.

Quocirca ad veram & legitimam satisfactionem tria requirebantur, 1. ut esset debiti solutio: 2. ut esset iræ divinæ placatio: 3. ut esset reatus expiatio.

Egebamus ergo, 1. sponsore, qui pro nobis debitum solveret, cum ipsi solvendo impares essemus: 2. reparatore, qui nos Deo reconciliaret: 3. sacerdote & victima quæ se nostri loco ad pœnas substitueret, ut peccata nostra expiaret.

Quæ cum ita sint, videndum est, an eas omnes partes Christus expleverit.

ASSERTIO.

CHRISTUS pro nobis vere satisfecit.

TRIPLICI argumentorum genere Socinianos impugnabimus, 1. desumetur e Scripturis; 2. ex Patribus; 3. e ratione.

SECTIO I.

De satisfactionis Christi veritate ex Scripturis.

PROBATUR 1. Is vere pro nobis satisfecit, qui debita nostra ac peccata tanquam sponsor in se assumpsit a se loco nostro expungenda; tanquam mediator, inimicitias, sanguine suo sustulit, Deumque iratum hominibus reconciliavit; ac denique tanquam sacerdos in victimam piacularem, nostri loco ac vice semetipsum obtulit, & pretium quo indigebamus ut redimeremur, exsolvit. Atqui hæc omnia præstitit Christus. Ergo.

Major ex veræ satisfactionis natura & definitione constat.

Minor autem tres habet partes sigillatim probandas, & ab adversariorum cavillationibus vindicandas.

CAPUT I.

An juxta Scripturas Christus tanquam sponsor ac vas noster, debita nostra ac peccata in se assumpserit, a se loco nostro expungenda.

ASSERTIO.

CHRISTUS ut sponsor & vas noster ex Scripturis, debita nostra ac peccata in se assumpsit a se loco nostro expungenda.

AR-

ARGUMENTA.

PROBATUR variis Scripturæ testimoniis. Sed duntaxat afferemus

Primum ex Isaiæ capite 53.

PROBATUR itaque 1. ex capite 53. Isaiæ, quod de Christo ipsimet Sociniani interpretandum esse censent. Sic enim habetur versu 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* (græce, *Et ipse peccata nostra fert, & pro nobis affligitur:*) *& nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.* Versu 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus* (hebraice *Castigatio pacis nostræ super eum, & livor ejus sanitas nobis fuit.*) Versu 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, (hebraice, *Conjecit Dominus in illum iniquitates omnium nostrum*) Versu 7. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum &c.* Versu 8. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Versu 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* Versu 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, (hebraice *Si posuerit seipsum sacrificium pro delicto, anima ejus videbit semen, quod prolongabit dies.*)

Jam vero omnia ibi occurrunt quæ ad indicandam Christi in locum nostrum subrogationem, ejusque satisfactionem desiderari queant. Si enim ad legitimam unius pro altero satisfactionem requiritur.

1. Ut, qui satisfacit, pœnas ab altero debitas ferat;
2. Ut eas ferat non propter sua, sed alterius peccata:
3. Ut a parte læsa eæ pœnæ sponsori & vadi imponantur:
4. Ut ab eodem ipso sponsore ac vade suscipiantur:
5. Ut sic peccata expientur, & debitum censeatur esse expunctum:
6. Ut salus inde consequatur:

Ea certe omnia tam aperte illis exponantur, ut nihil luculentius esse possit.

1. Enim dicitur Christus pœnas peccatorum nostrorum tulisse: v. 4. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Is quippe est frequentissimus ac tritissimus Scripturæ usus, ut ille peccata portare dicatur, qui pro peccatis plectitur: v. g. *Levit.* 5. 1. 19. 8. 20. 17. & 20. 24. 13. *Num.* 14. 33. *Ezech.* 28. 20.

2. Has peccatorum nostrorum pœnas tulit, non propter suas, sed propter nostras iniquitates: v. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* v. 8. *Propter scelus populi mei percussi eum.* v. 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

3. Deus peccatis nostris læsus id ab eo tanquam vade exegit: v. 6. *Posuit*

fuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. v. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate*.

4. Christus illud idem sponte in se suscepit : v. 7. *Oblatus est quia ipse voluit* &c.

5. Peccata nostra sic expiata fuere, & debita persoluta : v. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam*, seu, ut hebraice est, *Si posuerit seipsum in victimam piacularem pro delicto* &c.

6. Denique sanitas, pax, salus inde consecuta est; v. 5. *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum* &c. Ergo.

Respondent Sociniani, apud Isaiam *cap.* 53. *vers.* 4. Christum quidem juxta vulgatum interpretem, tulisse languores nostros : at juxta hebræum codicem Christum potius esse dicendum languores nostros ac peccata abstulisse. Scilicet, inquiunt, loco verbi hujus, *tulit*, hebraice aliud est verbum ambiguum, quod etiam significat *auferre*. Quod adeo verum est, ut de Deo ipso usurpetur *Exodi* 34. 7. & *Num.* 14. 18. Deus autem profecto non dicitur in se portare peccata, sed ferre patienter & auferre, quomodo etiam reddidit interpres noster. Jam vero, inquiunt, verbum istud per se ambiguum apud Isaiam in *auferendi* significatione necessario accipi oportet. Cum enim Christus languores sanaret morbosque expelleret, dicitur a Matthæo *cap.* 8. *v.* 16. & 17. adimplevisse quod dictum erat per Isaiam dicentem, *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras ipse portavit*. Porro Christus morbos quidem curavit & abstulit; sed in se procul dubio non assumpsit.

Refellitur Sociniana responsio. Ut enim demus verbum, quod apud Isaiam occurrit, ita esse ambiguum, ut simul significet, *ferre* & *auferre*, videndum jam erit, quo sensu illic accipiatur. Tria autem sunt, quæ illud eo inflectant, quo volumus, ita ut idem sonet quod *portare* & *in se assumere*.

1. Enim in eodem ipso commate, ad finem, verbum ejusdem significationis adjicitur *portavit*, quod quidem etiam juxta hebraicos fontes non nisi *bajulandi* sensu assumitur.

2. Ratio ipsa, quæ ibidem subjungitur, illud idem demonstrat, & omnem præcludit effugio viam. Ideo enim peccata nostra tulisse dicitur Christus, quia *Vulneratus est propter iniquitates nostras*, & *attritus propter scelera nostra*, quia *disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus* : quia *posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*, quia denique *ipse Christus posuit animam suam in sacrificium pro delicto*. Hæc enim omnia aut absurde dicta sunt, aut evidenter ostendunt Christum tanquam vadem nostrum ac victimam piacularem non tantum peccata nostra abstulisse, sed etiam illa eorumque pœnam in se recepisse.

3. Tandem Petrus mox allegandus ita Isaiam interpretatur, ut omnem, si qua foret, ambiguitatem tollat. Ait enim Christum eo sensu peccata nostra tulisse, quod ea *in corpore suo super lignum portaverit*.

Neque

Neque vero id obstat, quod ex Matthæo objiciunt, quasi nempe Christus in se non tulerit peccatorum pœnas, sed eas duntaxat a nobis abstulerit. Unum enim alterum non excludit; sed utrumque simul verum est. Non enim eas in se assumpsit Christus, nisi ut easdem a nobis auferret; & utrumque simul indicavit propheta: ac primum quidem præcipue; alterum vero tanquam consectarium. Cum autem inter peccatorum pœnas aliæ ad animam pertineant, aliæ ad corpus ut morbi &c. omnes autem a nobis ablaturus venerit Christus, non mirum si Matthæus asserat impletum fuisse Isaiæ vaticinium, cum morbos a corporibus hominum depulit; impletum, inquam, non quoad primariam partem, quæ ad animam spectat, quæque omnium est origo ac fundamentum, sed quoad secundariam, quæ ad corpus respicit, quæque ordine executionis prima fuit. Quod enim Isaias potissimum loqueretur de pœnis quas in se tulit Christus, & nostro loco luit, patet ex iis, quæ statim subnectuntur, *Et nos putavimus eum quasi leprosum, percussum a Deo & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras*. Hæc enim verba graphice nobis depingunt acerbam illam mortem, cui pro nobis a Deo est traditus; nullam autem connexionem habent cum miraculis, quibus morbos depellebat. Dicant enim Sociniani an Christus unquam haberi potuisset ut leprosus, percussus a Deo & humiliatus, eo quod dæmones ejiceret, omnesque languores curaret; cum ista opera maximo contra honori ac gloriæ ipsi forent.

Stet ergo fixum & immotum duo his Isaiæ verbis notari: primum, assumptos fuisse a Christo dolores nostros in se, & in se translatas peccatorum pœnas: alterum inde consequens, Christum eumdem hoc pacto cunctas peccatorum pœnas tum quoad animam, tum quoad corpus a nobis depulisse. Primum fuit præcipuus ac primarius prophetæ scopus; alterum secundarius duntaxat. Nos ex primo capite argumentum deprompsimus; secundum exposuit Matthæus. Utrumque simul admittimus; utinam & Sociniani.

Secundum Ex 1. Petri capite 2. v. 24.

Secundo 1. Petri 2. 24. non absimilis est locus, in quo B. Apostolus de Christo loquens, *Qui peccata nostra*, inquit, *ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis*. Quibus quidem verbis sic ad Isaiam respicit, ut dum easdem voces usurpat, ejus sententiam distinctius enucleet.

1. Enim quod dixerat Isaias de languoribus illud apertius exponit Petrus de peccatis. 2. Quod propheta addiderat de peccatis nostris a Deo in Christum conjectis, id Apostolus refert ad crucis supplicium aut potius sacrificium. 3. Cum *peccatorum* nomine juxta vulgatum Scripturæ morem pœnæ peccatis debitæ designentur, simul indicat Petrus Christum has pœnas peccatis nostris debitas in se suscepisse, & in cru-

cem sursum tulisse a se luendas : græce enim est ἀνήνεγκεν, id est *in corpore suo super lignum sursum tulit*. Ergo.

Respondent Sociniani Petrum apostolum, si græci fontes inspiciantur, non esse usum verbo simplici φέρειν, quod est *ferre*, sed composito ἀναφέρειν, quod etiam usurpatur de peccatis delendis *Hebr. 9. 28.* ubi sic habet noster interpres, *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda* (græce ἀναφέρειν) *peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*. Itaque juxta B. apostoli mentem non in corpore suo portasse peccata nostra seu peccatorum nostrorum pœnas Christus dicitur, sed potius peccata nostra delevisse super lignum in corpore suo (seu, ad hebraicæ linguæ ipsi usitatæ ingenium *per corpus suum*,) id est uno verbo per mortem suam; quod Sociniani haud illubenter admittunt. Arbitrantur enim Christum posse dici morte sua peccata delevisse, quia nempe peccatorum delendorum & viam hominibus aperuit, & facultatem a Deo obtinuit moriens.

Refelluntur. Fœde enim intervertunt & miserabiliter torquent apostoli Petri locum, qui si attenta mente & bona fide consulatur, clare nobis exhibet Christum peccata nostra in corpore suo super lignum crucis, instar victimæ piacularis gestantem : quod insuper multa evincunt.

1. Enim Isaiam laudat, qui istud invicte probat, ut mox demonstravimus.

2. Addit nos livore Christi sanatos esse, quod vim mortis ejus ad delenda peccata nostra efficientem significat.

3. Idem arguit Apostoli scopus. Ibi enim Christianos hortabatur, ut calumnias, convitia mala ac supplicia sibi illata patienter ferrent : exemplum autem Christi adducit, qui non suas, sed nostras calamitates in corpore suo super lignum tulit æquo animo & lubenter : quasi diceret : An non ingruentia mala patienter ferre debemus nos, qui rei sumus, cum Christus pœnas peccatis nostris debitas sibi imponi sustinuerit, & æquo animo tulerit. Hæc sane optime cohærent. At non cohærebunt, si admittatur Socinianorum interpretatio. Quis enim hanc hortationem ferat. Tolerate patienter mala vobis illata, quia Christus peccata nostra abstulit? nulla profecto esset ratio, aut admodum frigida, nec ulla inter utrumque membrum connexio apparet.

4. Denique Verbum, ἀναφέρειν, *sursum tollere*, nobis ob oculos ponit ritum oblationis sacerdotalis : proinde Christus ibi describitur ut victima peccatis nostris onusta, quæ in crucem elata tanquam in aram, sacrificio suo omnes iniquitates nostras expiaverit. Neque certe aliam significationem obtinet in epistola *ad Hebræos cap. 9. 28.* quod Sociniani nobis opponunt. Non enim dicitur exhausisse peccata, seu peccatorum pœnas a nobis abstulisse, nisi quia simul eas in se transtulerat, cum oblatus est. Nempe duos Christi adventus confert & opponit ibi Paulus : in secundo dicitur venturus esse sine peccato, non

qui-

quidem quoad culpam. (semper enim ea immunis fuit;) sed quoad pœnam, id est nullis onustus peccati pœnis, dolore &c. sed potius plenus gloriæ, majestatis. Ergo in primo venerat iisdem oneratus pœnis peccatorum nostrorum, & eas tulit in se cum oblatus est; alias nulla esset inter utrumque adventum oppositio.

Tertium ex epistolæ 2. ad Cor. cap. 5. 21.

Tertio Epistolæ 2. ad Cor. 5. 21. de æterno Patre qui proprio Filio non pepercit, verba faciens Paulus, *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Ibi enim

1. Christus dicitur factus peccatum seu victima pro peccatis. *Peccati* enim vox illud hic sonat, ut & *Levit.* 5. v. 6. & 7. *Isaiæ* 53. 10. &c.

2. Additur factus peccatum pro nobis seu hostia pro peccatis, non suis, sed nostris.

3. Dicitur a Deo ipso factus seu constitutus ejusmodi pro peccatis nostris victima, quod arguit Christum a Deo ipso in vadem ac sponsorem nostrum esse constitutum.

4. Denique finis ac fructus hujus subrogationis illico exprimitur his verbis, *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Sic enim peccata nostra expiavit in cruce Christus pro nobis, ut nos exinde ejus meritis justitiam adepti fuerimus.

Respondent Sociniani Christum ab Apostolo 2. *ad Cor.* 5. 21. dici factum esse pro nobis peccatum, non quod factus sit hostia pro peccatis nostris; sed quod in gratiam nostram sub peccatoris specie venerit, & ab inimicis tanquam peccator habitus & exceptus fuerit.

Refelluntur. Nam quod aiunt 2. *Cor.* 5. 21. Christum dici factum esse pro nobis peccatum, quia tanquam peccator a Judæis habitus est & punitus, id certe futile est. 1. Enim *peccati* nomen in Scripturis nunquam hoc sensu sumitur. 2. Christus dicitur factus peccatum, non a Judæis, sed a Deo, & apud Isaiam a seipso. At neque dici potest factus peccatum, quia in similitudinem carnis peccati venit. Aliud enim est peccatum fieri, aliud peccatricis carnis similitudinem gestare: neque ullum potest exemplum afferri, quo ostendatur unum pro altero usurpari.

Quartum ex epistola ad Gal. cap. 3. v. 13.

Quarto ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Hic enim locus & personæ subrogationem & debiti ipsius compensationem simul complectitur. Cum enim legem omnes violassemus in maledictum ejus legis, id est pœnas transgressoribus legis debitas in-

curreramus: Christus autem ab iis nos redemit, non gratis, sed factus ipse pro nobis maledictum; id est, cum pro loco nostro maledictionem istam in se transtulisset. Neque enim dicimur empti tantum, sed empti pretio, 1. *Cor.* 6. 20. redempti sanguine, 1. *Petri* 1. 18.

Respondent Sociniani Christum *ad Gal.* 3. 13. dici factum esse pro nobis maledictum, non quod maledictionem nobis debitam, pœnasque peccatorum in se transtulerit; sed quod in commodum nostrum ac nostram utilitatem subierit crucis mortem, quæ a Deo maledicta fuerat.

Refelluntur. Vim quippe faciunt Apostoli verbis. Nihil enim est evidentius quam Christum nos de maledicto legis redemisse, quia ipse maledictum illud in se suscepit, & factus est pro nobis maledictum. Liquet enim ab Apostolo pœnas hic conferri, & commutationem earum hic notari: alioquin hic nihil peculiare de Christo diceretur. Nam & martyres in exemplum commodumque nostrum pertulerunt cruces. An ideo dicentur pro nobis facti maledictum, & ea ratione nos a maledicto liberasse?

Quintum ex epistola 1. ad Tim. cap. 2. v. 6.

Quinto 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit semetipsum*, inquit, Paulus, *redemptionem pro omnibus, ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων*, id est, *pretium redemptionis pro omnibus*. Hinc quippe intelligimus

1. Pretium intervenisse in negotio redemptionis nostræ.

2. Hoc pretium fuisse ipsum Christum. Vox enim illa, ἀντίλυτρον compensationem & commutationem sonat; ut & præpositio, ἀντὶ, quæ substitutionem & vicem maxime arguit. Sic Matth. 5. 38. *Oculum*, inquit Christus, *pro oculo, dentem pro dente*: Sic & cap. 11. v. 22. 1. Petri 3. 9. Lucæ 9. 11. 1. Cor. 11. 15. 1. Thess. 11. 15. Sane hæc eadem præpositio in compositione tria significare solet, ut notant grammatici: ac 1. quidem æqualitatem & paritatem, ut ἀντιθεὸς 2. contrarietatem & oppositionem ut ἀντιδικὸς 3. compensationem & commutationem, ut ἀντίψυχος.

Porro apud B. Paulum ibi nec oppositionem, nec æqualitatem denotat. Ergo comutationem & compensationem seu substitutionem, quod etiam notat præpositio ὑπὲρ.

Denique Christus *ibidem* significatur se dedisse in ejusmodi redemptionis pretium, quod argumento est ipsum in sponsorem & vadem se sponte obtulisse, ut apud Isaiam legitur.

Respondent non esse urgendam vim præpositionum ἀντὶ & ὑπὲρ quæ reperiuntur apud eumdem Paulum *in epistola ad Timotheum*. His enim, inquiunt, sæpe designatur non personæ substitutio ac debiti commutatio, sed tantum causa propter quam, aut finis cujus gratia fit aliquid. Sic accipitur præpositio ἀντὶ ad Ephes. 5. 31. cum ait Paulus,

Pro-

Propter hoc (ἀντὶ τύτυ) *relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suae* : ut & *Lucae* 1. 20. 19. 44. & *Matth.* 19. 5. Sic pariter praepositio ὑπὲρ sumitur: Ad Colossenses enim cap. 1. 24. *Adimpleo*, inquit Paulus, *ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. (ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, id est, *in Ecclesiae bonum*) quomodo etiam intelligitur a Joanne epist. 1. cap. 3. 16. *Ita & nos debemus pro fratribus animas ponere* (ὑπὲρ τῶ ἀδελφῶν). Neque enim illic sermo est de unius in alterius locum subrogatione. Sic etiam saepe in Scripturis Christus dicitur mortuus pro peccatis nostris (ὑπὲρ τῶ ἁμαρτιῶν). quis autem non intelligat Christum non fuisse in nostrarum iniquitatum locum substitutum?

Refelluntur. Non immerito enim allegamus praepositiones ἀντὶ & ὑπὲρ, cum dicitur Christus pro nobis esse mortuus, seque in redemptionis pretium obtulisse. Namque praepositio, ὑπὲρ, substitutionem illic sonat. Neque obstant exempla ab adversariis allata. Fatemur enim cum de rebus agitur, ea saepe significari duntaxat caussam propter quam, aut finem cujus gratia fit aliquid: sed contendimus eadem praepositione, cum agitur de personis, constanter & ubique significari in Scripturis substitutionem. Sic *Matth.* 2. 22. Archelaus dicitur regnasse loco Herodis patris sui, Ἡρώδυ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

Quod autem in Scripturae locis a nobis *supra* memoratis idem etiam arguat praepositio ὑπὲρ *infra* fusius & accuratius docebimus.

Sextum ex epist. ad Hebr. cap. 7. v. 22.

Sexto ad Hebraeos, 7. 22. res sine ulla ambiguitate definitur, dum sic Paulus de Christo ait, *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus*. Itaque Christus est sponsor noster. Jam vero sponsor de foederis & pactionum observatione spondet: & si pars una non est solvendo, se ipse in rei aut debitoris locum substituit, vel ut debitum solvat, *Prov.* 22.*v.* 26.& 27. vel ut poenam ferat, ad quam se ultro obstrinxit, *Gen.* 4. *v.* 32. & 33. proinde cum per peccata nos essemus Deo debitores, Christus eo ipso quidquid Deo debebamus in se transtulit a se solvendum. Et vero Christus, dum se in cruce pro nobis in redemptionis pretium dedit, dicitur ab Apostolo Col. 2. 14. *delevisse chirographum contrarium nobis* : & psal. 68. 5. *quae non rapuerat exsolvisse*.

Respondent Christum *ad Hebr.* 7. 22. sponsorem appellari, non quod debita nostra exsolverit; sed quod novum foedus sanxerit, tanquam Dei interpres & internuncius.

Refelluntur. Sic enim mentem suam ipse exponit Apostolus cap. 9. v. 15. *Ideo*, inquit, *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis*.

CA-

CAPUT II.

An juxta Scripturas Christus ut mediator nos Deo morte sua reconciliaverit.

ASSERTIO.

CHRISTUS ut mediator morte sua nos Deo reconciliavit.

PROBATUR. Christus enim morte sua nos Deo reconciliasse dicendus est, si constet 1. Deum hominibus propter peccata fuisse iratum, & ab his pœnas justitiæ suæ debitas exigere statuisse; 2. Christum ut divinum numen placaret, se ut piaculum divinæ justitiæ obtulisse; 3. Eumdem Christum morte sua Dei adversus nos inimicitias extinxisse; 4. Ea ratione hominum & Dei mediatorem nominari. Atqui singula hæc e Scripturis constant. Ergo.

Quod Deus hominibus ob eorum peccata iratus fuerit.

I. itaque dicimus Deum nobis iratum fuisse, & a peccatoribus statuisse pœnas justitiæ suæ debitas repetere. Quod cum antea diligenter demonstraverimus, hac præterea ratione potest astrui. Is enim merito peccatis offensus esse dicitur, quem peccatis admissis propitium fieri ac semper placari oportuit. Atqui ubi crimina admissa fuerunt, ad expianda, pœnasque amoliendas, Deum propitium fieri ac placari semper oportuit. Hinc tot apud omnes gentes sacrificia: hinc tot apud Judæos expiationis ritus, Levit. cap. 5. 6. *Orabitque pro ea sacerdos, & pro peccato ejus*, hebraice & græce: *Et propitium Deum faciet sacerdos pro peccato ejus*. Sic & versu 10. *Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei* Psal. 77. 38. *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum*. Psal. 79. 9. *Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*.

RESPONDENT Deum non fuisse nobis iratum ob peccata, proinde satisfactione, qua reconciliaretur ipse, neutiquam opus habuisse. Itaque homines fuisse quidem Dei inimicos; sed Deum nullatenus humani generis inimicum fuisse: quod adeo verum est, inquiunt, ut nos quidem Deo reconciliari passim in Scripturis dicamur; nunquam vero legatur Deus hominibus esse vicissim reconciliatus.

REFELLUNTUR. Atque ut omittamus, quæ jam dicta sunt, & olim de justitia Dei disputavimus, profecto Rom. 1. 18. sic ait Paulus, *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Ephes. 2. 3. *Eramus natura filii iræ*. Gal. 3. 19. *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non permanserit*

ferit in omnibus , quæ scripta sunt in libro legis , ut faciat ea . Itaque dubium nullum est , quin homines odisset propter scelera , eorumque esset inimicus . Unde vetus Judæorum Ecclesia hac imbuta fide orabat Deum in libro Machab. *ut populo suo reconciliari dignaretur.* At homines vicissim Dei erant inimici & a Deo alienati, *Coloss.*1. 21. Ergo ex utraque parte inimicitiæ erant susceptæ, & ut illæ extinguerentur, mutua reconciliatione opus fuit.

Quod Christus se Deo ejusque justitiæ pro nobis in piaculum dederit.

Secundo asserimus Christum ut divinum numen nobis iratum placaret , pœnasque peccatis debitas a nobis averteret , se Deo ejusque justitiæ , pro nobis in piaculum obtulisse : Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius , per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem* (græce ἱλαστήριον) *per fidem in sanguine ipsius , ad ostensionem justitiæ suæ , propter remissionem præcedentium delictorum.* 1. Joan. cap. 2. vers. 2. *Et ipse est propitatio* (græce ἱλασμὸς) *pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi .*

Singula porro hic ponderanda sunt.

1. Enim Christus dicitur ἱλαστήριον , seu pretium ad placandum numen oblatum : ea enim vis est istius vocabuli . 2. Dicitur ἱλασμὸς , id est victima ad placandum Deum , ut etiam accipitur *Num.* 5. 8. totoque capite 16. *Levitici* . Et vero hæc nomina , ut notum etiam est ex profanis auctoribus iræ placamen significant : quod etiam apud sacros scriptores est frequentissimum . Hinc solemnis expiationis dies *Levit.* 23. 27. vocatur dies ἐξιλασμοῦ. Hinc sacrificium in expiationem hominis proficiens dicitur ibidem ἐξιλάσασθαι περὶ αὐτοῦ . Hinc hircus qui mactatur pro expiatione *Num.* 28. 39. dicitur pariter ἐξιλάσασθαι. Hinc denique pretium redemptionis animæ , munusque quo ira placatur . Psal.48.8. dicitur ἐξίλασμα.

2. Addit Apostolus Christum se in ejusmodi pretium obtulisse justitiæ divinæ.

3. Id præstitisse, cum in cruce pro nobis dedit sanguinem suum.

4. Denique fructum utriusque subjicit , nempe redemptionem humani generis, & remissionem præcedentium delictorum. Ex quibus promptum est colligere iratum fuisse nobis ob scelera admissa Deum ; Christum vero se interposuisse ad iram ejus placandam. Ut autem id præstaret , sanguinem suum in pretium satisfactionis obtulisse.

RESPONDENT Christum dici propitiationem esse factum pro nobis, non quod satisfactionem ullam pro nobis obtulerit , aut numen placaverit ; sed quod Dei erga homines benevolentiam declaraverit, & apud Patrem degens , advocatum nostrum agat , divinamque gratiam nobis

con-

conciliet, quo pacto arcæ operculum Exodi 25. 22. & Num. 7. 9. *propitiatorium* appellatur. Deinde vero etiamsi Christus ita nominaretur, eo quod Deum placavit, inde colligi non posse satisfactionem; cum possit aliquis precibus aliave via placari citra ullam satisfactionem.

Refelluntur. Quod enim aiunt Christum esse propitiationem nostram, quia nempe Dei benevolentiam nobis patefecit, & etiamnum in cœlis eamdem nobis precibus procurat, id certe debilius est, nec eas notiones implet quas Apostoli verba per se excitant. Neque vero iis officit *propitiatorii* nomen arcæ operculo inditum. Non enim ita vocabatur quod esset oraculorum sedes; sed quod veluti solium esset Dei judicis, ex quo se placatum populo denunciabat ob peracta sacrificia, victimasque cæsas, quorum sanguis versus illud aspergebatur, quasi in hostiam piacularem divino numini oblatus, *Levit.* 16. 14. ita ut etiam ibi, ob iræ divinæ placationem, illud arcæ operculum *propitiationis* nomen habuerit. Quod cum ita sit, & illud arcæ operculum *propitiatorii* nomine donatum non fuerit, nisi quia ibi fieret expiatio peccatorum typica & legalis, ut veritas typo responderet, non potuit Christus merito insigniri eodem nomine, nisi veram peccatorum expiationem sanguine suo procurasset, & tanquam victima piacularis iram Dei placasset. Et certe *Hebr.* 2. 17. Christus dicitur *repropitiasse peccata populi, ut fidelis pontifex ad Deum*; quod necessario arguit, ut Deum placaret, & propitium faceret, sese in hostiam obtulisse. Quod autem addunt Sociniani, Deum potuisse a Christo placari alia quam satisfactionis via, nempe precibus &c. id certe ridiculum est. Apostoli enim nobis divinandum non reliquere, quo pacto Christus Deum placaverit: nec preces memorant, sed sanguinis pretium.

Quod Christus morte sua Dei adversus nos inimicitias extinxerit,

Tertio subjungimus Christum hac morte tanquam causa meritoria inimicitias extinxisse, nosque Deo reconciliasse. Rom. cap. 5. v. 10. *Cum inimici essemus*, inquit, *reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. Ephes. 2. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, ... ut .... reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*. Coloss. 1. 19. *In ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*. Quis enim non videt illic ubique significari Christum se, vitam suam, suumque san-

sanguinem in satisfactionem obtulisse, ut mortis suæ merito, & efficacia Deum nobiscum reconciliaret.

RESPONDENT Sociniani Christum quidem dici reconciliatorem: sed reconciliationem factam non fuisse per iræ divinæ a nobis aversionem, sed per nostram duntaxat ad Deum conversionem, quod ex multis capitibus colligunt.

Ac 1. quidem ex eo quod, ut jam diximus, nunquam legatur in Scripturis Deum nobis reconciliari, vel Christum nobis Deum reconciliasse; sed tantum nos esse Deo per Chistum reconciliatos: quo Scriptura innuit, inquiunt, non Deum, sed nos inimico animo fuisse; nec illum placari, sed nos inimicitias nostras deponere debuisse.

2. Ex eo quod Deus ipse 2. *Cor.* 5. 9. dicatur nos per Christum reconciliasse. At si Deus ipse nos reconciliavit, inquiunt, utique non iratus, sed placatus jam ac propitius fuit. Neque vero, inquiunt, de eo dubitari potest, cum Deus dicatur nos dilexisse, quando adhuc inimici eramus, Rom. 5. 10. & ex illa dilectione Filium suum misisse, 1. Joan. cap. 4. vers. 10. *Ipse prior dilexit nos & misit Filium suum* &c. Qui vero, inquiunt, iratus & infensus fuisse dici potest, qui tam benigno & propenso in nos animo jam tum fuit?

3. Ex eo quod Deus dicatur nos reconciliasse non reputans peccata: 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans illis delicta ipsorum*. Proinde non per legitimam satisfactionem reconciliavit, sed per gratuitam & liberam condonationem.

4. Ex eo quod reconciliationem etiam procurasse nobis legantur Apostoli 2. ad Cor. 5. 19. *Et posuit in nobis*, inquit Paulus, *verbum reconciliationis*. At illi haud dubie nullam pro nobis satisfactionem Deo exsolverunt.

5. Ex eo quod *Ephes.* 2. 13. & *Coloss.* 1. 20. ubi mutuæ inimicitiæ videntur esse designatæ, non agat Apostolus de Deo, & hominibus sibi invicem infensis, sed de Judæis & Gentilibus inter quos erant simultates, vel de hominibus, & angelis, qui humano generi propter peccata infensi erant.

REFELLUNTUR. Hæc enim responsio merum est effugium. Eam enim, quæ in Scripturis tam frequenter memoratur, reconciliationem fuisse factam per iræ divinæ a nobis aversionem, non autem per nostram duntaxat ad Deum conversionem, multa sunt quæ evincant. 1. Est, quod Deus esset iratus nobis, proinde non potuerit nobis reconciliari nisi placatus. 2. Est, quod Scriptura summam Dei erga nos charitatem in nostra reconciliatione laudet *Rom.* 5. Quis autem dicat in eo enitere Dei misericordiam, quod nos ab ejus odio discesserimus, nisi simul ipse Deus iram in nos ob peccata inflammatam, & odium quod in nos propterea conceperat, deposuerit? 3. Est, quod conversio nostra ab Apostolo ut reconciliationis a Christo factæ finis ac fructus assignetur *Rom.* 3. 24. & *Coloss.* 1. 22. proinde illa reconciliatio distinguitur a nostra ad Deum conversione, & ejus causa est.. In-

Infirma vero sunt quæ adversus hæc obtendunt Sociniani . 1. Enim falsum est nusquam legi Deum hominibus reconciliari. Vide 2. *Machab.* 7. 33. & 8. 29. Quamvis autem hi libri ad dogmatum fidem stabiliendam ut canonici a Socinianis non admittantur ; attamen admitti debent in testimonium fidei Judæorum . Sed ut ab iis abstineamus, duplex profecto reconciliatio legitur 2. *Cor.* 5. una Dei *versu* 18. & 19. altera hominum *versu* 20. Quod autem frequentius legatur homo fuisse Deo reconciliatus , quam Deus homini , id ex eo profluxit, quod ejus potissimum sit reconciliari , qui alterum offendit , *Matth.* 5. 24. & 1. *Cor.* 7. 11.

2. Adversariorum causam non juvat id quod adjiciunt, Deum nempe nonnisi ex summæ charitatis impulsu misisse Filium suum ad reconciliationem nostram . Utrumque enim simul consistere potest, & reipsa fuit in Deo . Aliud enim est esse benevolum ; aliud esse placatum . An non enim principes aliquando perduelles subditos ad extremas redactos angustias , & mox , nisi ignoscatur , perituros, ita servant misericordia commoti, ut certas tamen ad exemplum simul & satisfactionis pœnam duras pacis conditiones imponant ? quo pacto & benignos & iratos se esse indicant . Eodem modo fuit benevolus erga homines Deus , etiam ante missum Filium , ex insita benignitate ; sed propitius eis non fuit nisi ex Christi satisfactione . Ipsa quippe ad misericordiam propensio sub conditione mansit , usquequo peccatorum expiandorum partes susceperit & obierit Filius : quo peracto in absolutam evasit . Sic in nostræ salutis negocio , mirum in modum *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt* , Psalm. 84. 11. Misericordia & justitia , licet oppositæ , uno eodemque homine occupantur , sed diverso respectu : misericordia spectat naturam , quam salvet; justitia peccatum, quod puniat : quorum alterum est benevoli patris ; alterum æqui judicis. Utriusque concentum insigni exemplo vide *Job cap.* 42. *v.* 7. & 8.

3. Quod asserit Apostolus 2. *Cor.* 5. 19. Deum sic mundum reconciliasse , ut hominibus deinceps peccata non imputaverit , id Christi satisfactionem non perimit , sed stabilit contra. Nam ideo peccata nobis non imputavit Deus ; quia eadem Christo imputaverat, & eluenda commiserat; quod statim elegantissime simul ac luculenter explicat Paulus , cum addit , *Eum qui non noverat peccatum , pro nobis peccatum fecit ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* . Utrumque rursus conjungit *Rom.* 3. 25.

4. Apostoli quidem appellantur *ministri reconciliationis* ; sed non dicuntur ipsi nos Deo reconciliasse : reconciliationem procuratam annunciabant ; sed non ipsi procurabant. Quod cum ita sit, & eam reconciliationem fine dubio nobis Christus procuraverit, haud mirum est si satisfactione defunctus is fuerit, non illi.

5. Non diffitemur fuisse mutuas inter Judæos & Gentiles, angelos & homi-

mines inimicitias; sed non de his tantum agit Apostolus, verum etiam de iis quæ Deum inter & hominem intercedebant, ut patet ex locorum allegatorum contextu.

Quod Christus propter eas causas mediator in Scripturis appelletur.

Quarto tandem ea ratione Christus mediator est Dei & hominum. Non enim mediator est duntaxat, quod Dei voluntatis apud homines interpres fuerit, aut pro his apud Patrem intercedat; sed quod, ut Deum cum hominibus reconciliaret, sanguinem suum in satisfactionis & redemptionis pretium obtulerit. In eo enim potissimum collocatur in Scripturis mediatoris Christi officium 1. Tim. 2. 5. quod is fuerit, *qui dedit redemptionem* (græce *redemptionis pretium*) *semetipsum pro omnibus* Hebr. 9. 15. *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Sic *Hebr.* 12. 24. Apostolus mediatorem Jesum, & sanguinis ejus super nos aspersionem simul conjungit, alludens ad sanguinem victimarum, quo conspersus fuit populus *Exodi* 24. 8. Ut enim hujus victimarum sanguinis interventu maculæ legales tollebantur; ita Christi sanguinis opera ac merito peccata nostra expiata significat. Hinc Christus in ultima cœna sanguinem suum vocat *sanguinem novi testamenti*; seu quo novum fœdus sancitum est.

Respondent duo.

1. Est, Moysen appellari mediatorem *ad Gal.* 3. 14. At ille nullam satisfactionem objit pro Judæis. Ergo.

2. Est, novum fœdus totum clementiæ esse. *Jeremiæ* enim 31. 34. ubi fœdus illud novum annunciatur, Deus misericordiam suam in remissionem peccatorum prædicat. Nullam autem satisfactionis aut debitæ aut postulatæ mentionem facit. Ergo.

Refelluntur. 1. Enim vim non facimus præcise in vocabulo *mediatoris*, cui tamen est ex vulgatiori sua significatione non mediocre ad nostram sententiam fulciendam robur; sed in ea potissimum ratione, qua Christus mediatoris nostri officio functus esse dicitur. Esto enim Moyses ad Galatas 4. *mediator* nominetur quod Dei apud Judæos interpres fuerit, an eadem est ratio Christi? Nequaquam. Imo vero tam diversa ratio Christi mediatoris est, ut idcirco Christus dicatur *unus esse mediator Dei & hominum*. In quo igitur posita est excellens illa ac singularis ratio, qua Christus unus mediator definitur? In eo scilicet quod, ut e vestigio explicat Paulus, *solus semetipsum dederit in redemptionis pretium pro nobis*. Non est itaque eo sensu duntaxat mediator, quod Dei internuncius fuerit: alias mediator non aliter foret ac Moyses, prophetæ, aliique innumerabiles, qui Dei interpretes extiterunt.

runt. Uno verbo non fuit imperfectus mediator, sed perfectus, quia Deum & homines ita secum invicem conciliavit, ut non tantum vice Dei apud homines, sed etiam vice hominum apud Deum sequester fuerit, dum pacem & proprii sanguinis oblationem fecit, *Hebr.* 5. 1. 2. Lubenter agnoscimus summam fuisse in novo fœdere sanciendo Dei misericordiam : eam cum Jeremia prædicamus; sed ita tamen ut justitia comes fuerit, quam alia Scripturæ testimonia astruunt. Fœdus enim hoc non nisi morte mediatoris sanciri potuisse Paulus affirmat. *Hebr.* 9. v. 15. & 16.

CAPUT III.

An Christus tanquam pontifex semetipsum in victimam piacularem pro nobis & nostro loco obtulerit.

ASSERTIO.

CHRISTUS tanquam pontifex in victimam piacularem semetipsum pro nobis & nostro loco obtulit.

PROBATUR variis momentis. Sed ut ultimam hanc minoris nostræ partem absolvamus & ineluctabile momentum hinc adversus Socinianos petitum pro argumenti gravitate ac dignitate exponamus, sex omnino capita sedulo nobis demonstranda incumbunt. 1. Est, sacerdotes eo potissimum consilio esse institutos, ut sacrificiis divinum numen placent: 2. victimas in hominum reorum vicem ac locum fuisse substitutas ad iræ divinæ aversionem, & tales fuisse veteris legis victimas, quibus Christus olim adumbratus fuit. 3. Est, Christum etiam in terris positum, fuisse sacerdotem. 4. In eo præsertim situm esse Christi sacerdotium, quod semetipsum in victimam piacularem pro nobis obtulerit. 5. Eo sensu passim dici pro nobis esse mortuum, quod reipsa nostrum in locum subrogatus fuerit. 6. Ea pariter de causa dici nostrum redemptorem, quod sanguinem suum in redemptionis nostræ pretium divinæ justitiæ obtulerit.

Sociniani enim, ut Christi satisfactionis vim elevent, definiunt. 1. sacerdotes potissimum esse institutos, ut Dei apud homines essent interpretes & pro iis apud Deum intercederent: 2. Christum non fuisse adumbratum omnibus veteris legis sacrificiis, & præsertim iis in quibus victimæ putari possunt in locum hominum cæsæ fuisse, sed aliis duntaxat : 3. Christum non fuisse proprie sacerdotem, nisi ex quo in cœlum ingressus est : 4. Christum quidem dici posse nostra in cruce expiasse delicta, sed improprie tantum : 5. Eumdem dici mortuum pro nobis, id est nostri causa, non autem nostri loco : 6. Christus nos sine pretio redemisse.

Quod

Quod sacerdotes eo præsertim consilio sint instituti, ut divinum numen sacrificiis placent.

1. IGITUR statuimus sacerdotes eo potissimum consilio fuisse institutos, ut sacrificia offerrent pro expiandis delictis. Quod quidem probatione vix indiget, cum id aperte testetur communis omnium gentium notio ac usus, atque illud insuper disertissime moneat Paulus ad Hebr. 5. 1. *Omnis namque pontifex*, inquit, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

RESPONDENT Sociniani sacerdotis munus non tam in sacrificiorum pro peccato oblatione, quam in divinæ voluntatis interpretatione esse collocandum.

REFELLUNTUR. Etsi enim fateamur hoc esse sacerdotis munus, ut divinam voluntatem hominibus patefaciat : at negamus has esse præcipuas ejus partes : imo vero sacerdos & propheta eo distinguuntur, quod propheta sit proprie interpres divinæ voluntatis ; sacerdos vero fit ad sacrificia pro populis offerenda. Dei ergo vices apud populum agit propheta, hominum contra apud Deum sacerdos. Cum itaque Christus veri nominis sacerdos fuerit, debuit verum pro nobis sacrificium offerre.

Quod victimæ in hominum locum substitutæ fuerint.

Secundo. Non minus constat victimas eadem mente fuisse institutas, ut nempe hominum nocentium loco substituerentur ac cæderentur.

Primo enim id evincit populorum omnium consensio : hinc illud Poetæ vulgatissimum,

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

Hinc humanæ victimæ apud cunctas fere nationes usurpatæ, " Cum „ crederent, ut ait Cæsar de Gallis, pro vita hominis, nisi vita ho„ minis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari. " Atque, ut ad sacras litteras veniamus, hinc illud Levit. 17. 11. *Anima carnis in sanguine est : ego illum dedi vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* Ibi enim pro vita hominis, vita animantis substituitur. Uno verbo omnes gentes eo ad mactandas victimas impulsæ sunt, quod putarent divinum numen sanguine placari.

2. Illud idem evidenter arguunt ritus illi omnes, qui in victimis mactandis usurpari consueverant. 1. Enim qui victimam offerebant, illi eam de suo dare tenebantur, ut eo ostenderent se reos esse, quorum in lo-

in locum subrogaretur victima, ad ferendam pœnam, quæ ipsi homini debebatur. 2. Manus super hostiam imponebant *Levit.* 4. *v.* 4. & 15. ut declararent se in illam peccata sua transferre. 3. Iidem supra ejusdem hostiæ caput peccata sua confitebantur, *Levit.* 16. 21. ut ea se in illud devolvere significarent. 4. Lavabant super eamdem hostiam manus *Deut.* 21. 6. ad derivandam in illius caput criminis pœnam. 5. Imprecatio fiebat in capita victimarum *Levit.* 16. 21. & apud Herodotum *in Euterpe*, ut quidquid mali hominibus imminebat, in eas recideret. Atque inde sane est quod in Scripturis victimæ passim dicantur portare peccata, id est, pœnam peccatis debitam, *Levit.* 16. 22. imo dicantur etiam peccata *cap.* 5. *v.* 6. 7. & 15. 6. Iram divinam ac pœnam in se ingruentem deprecabantur *Deut.* 21. 8. 7. Sanguis effundebatur, ut mortis ac supplicii commeriti expressa imago exhiberetur & substitutio indicaretur, cum sanguis pro anima sit, *Levit.* 17. 11.

Denique ejusmodi satisfactionem & substitutionem perspicue demonstrant tres sacrificii effectus. Ut enim culpa Deum lædit, pœnam meretur & reum hominem constituit; ita sacrificium pro peccato. 1. Deum placare dicitur *Levit.* 1. 3. 13. 17. 2. peccatum ejusque pœnam expiare *Levit.* 4. *v.* 5. & 11. 3. hominem liberare, *ibidem*. At isthæc obtineri non poterant sine satisfactione. Nec enim Deus placari poterat sine sanguinis effusione, *Hebr.* 9. 22. nec peccatum expiari sine pœnæ solutione, nec homo liberari sine victimæ subrogatione.

Jam vero ejusmodi victimis adumbratus fuit Christus. 1. Enim lex Mosaica futuræ umbra fuit. *Finis enim legis Christus*. Rom. 10. 4. 2. Ejusdem legis sacrificia *umbræ cœlestium* vocantur Hebr. 8. 5. seu *cœlestium exemplaria & imagines*, ibid. & cap. 9. 23. & *parabola temporis instantis*. cap. 9. v. 9. 3. Tandem ne singula hic persequamur, certum est Apostolum in epistola ad Hebr. *cap.* 7. 8. & 9. in eo totum esse, ut probet sacerdotium Leviticum fuisse abrogatum, & antiquata vetera sacrificia, quia umbræ tantum erant sacerdotii & oblationis Christi: cedere autem oportet umbras, dum veritas lucet. Ergo.

Respondent Sociniani non posse ullum ex iis omnibus, quæ apud Judæos pro peccato offerebantur, sacrificiis in gratiam Christi satisfactionis, & factæ ab ipso totius mundi peccatorum expiationis argumentum erui. 1. Quia falsum est omnia, quæ olim pro peccato offerebantur sacrificia, fuisse imagines oblationis Christi. Id enim, inquiunt, solis publicis & anniversariis competit. 2. Quia ipsa publica & anniversaria sacrificia non potuerunt esse imagines expiationis universalis, cum ipsa pro certis duntaxat, id est levioribus peccatis offerrentur, nempe ignorantiæ peccatis, non autem pro gravioribus, ut nec alia quævis sacrificia. 3. Quia nullum est in veteribus sacrificiis satisfactionis vestigium.

Refelluntur. Quidquid enim hic Sociniani regerunt, id aut falsum est, aut prorsus inane.

1. Enim

1. Enim quod omnia veteris legis sacrificia Christum adumbrarent multa declarant, sed præsertim duo. Ac primum quidem quod lex Mosaica tota typica foret, ac potissimum sacrificia, ut modo ostensum est. Alterum autem quod ea sacrificia fuerint imagines sacrificii Christi, quæ abrogata sunt, ut jam observavimus. At omnia nullo excepto abrogata sunt per Christum vetera sacrificia. Ergo omnia nullo excepto totidem erant Christi imagines. Quod autem Christus non anniversariis ac publicis tantum, sed etiam quotidianis ac privatis sacrificiis adumbraretur, multa sunt argumenta. 1. Subministrant disertissima Apostoli verba *ad Hebr.* 17. 27. ubi ea cum Christi oblatione, ut figuram cum veritate comparat. *Talis*, inquit, *decebat ut nobis esset pontifex, ... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo*. Sic etiam cap. 10. 11. *Et omnis quidem sacerdos*, inquit, *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei*. Quod enim Sociniani dicunt, sacerdotes in quotidianis ac privatis sacrificiis non consuevisse pro suis peccatis offerre; hoc falsum est, ut patet ex Levitico *cap.* 4. *v.* 3. *&* 13. Quod autem addunt *quotidie* idem esse quod *quotannis*, quid aliud est quam manifesta Scripturæ & humani sermonis depravatio; præsertim cum hæc sacrificia quotidiana, quæ *cap.* 7. *v.* 26. *& cap.* 10. *v.* 11. memorantur ab Apostolo enucleate distinguantur ab anniversariis, quorum mentio fit *cap.* 9 *v.* 7. & *cap.* 10. *v.* 1. *&* 3. 2. Argumentum est quod inter sacrificia propitiatoria nulla essent publica & anniversaria ex agnis; sed tantum privata & quotidiana, *Levit.* 4. 34. 12. 6. 14. 2. *&* 12. *Num.* 6. 12. *&* 14. Atqui agni pro peccato immolati figuræ fuerunt Christi propter peccata nostra quondam occidendi, & in expiationem peccatorum nostrorum offerendi. Hinc enim est quod Christus dicatur *agnus, agnus occisus, agnus qui tulerit peccata mundi*. Ergo privata quotidiana sacrificia Christum adumbrabant. 3. Argumentum petitur ex eo quod Spiritus-sanctus voluerit accuratissimam de hujusmodi sacrificiis privatis doctrinam explicare. At illud fuisset indignum Deo, nisi futurum olim Christi sacrificium iis adumbrari voluisset. 4. Argumentum ducitur ex eo quod omnia sacrificiorum propitiatoriorum genera sæpe referantur ad Christum in novo fœdere. Quod enim apostolus Paulus peculiarem operam collocet in anniversariis exponendis, & ad Christum applicandis, id nobis non officit; quandoquidem in iis sic immoratur, ut tamen alia non omittat, sed simul recenseat.

Jam vero sacrificia vetera sive publica sive privata pro aliis, quam levioribus, & quæ jam appellantur ignorantiæ peccatis, id est etiam pro gravioribus, uno verbo pro omnibus peccatis (exceptis tamen iis, quæ non sacrificiis sed morte piabantur) offerri consuevisse, res est, quæ si bona fide agitur, in dubium revocari nequit. 1. Enim *Levit.* 16. 21. de

sacro expiationis anniversario, & victima tunc offerri solita loquens Moses, *Posita*, inquit, *utraque manu super caput ejus confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta & peccata eorum.* OMNES INIQUITATES, ait, UNIVERSA DELICTA, non quædam duntaxat. 2. *Num.* 5. 6. sacrificia indicantur pro quibuscunque hominum peccatis: ita namque hebraice, *Vir sive mulier quæ fecerit aliquid ex omnibus peccatis hominum prævaricando prævaricationem in Dominum, anima illa rea est*. Quis autem neget alia quam ignorantiæ peccata ab hominibus admitti, voluntaria ac gravia? 3. Exempla si quæramus, sacrificium imperatur *Levit.* 5. 1. pro dissimulatione alienæ blasphemiæ: *ibidem v.* 4. pro juramento in alterius damnum: *Levit.* 6. 2. pro negatione depositi, furto ac rapina: *ibidem v.* 3. pro rei ad alterum pertinentis iniqua detentione, & temerario falsoque juramento: nemo autem non videt plura ex iis esse gravissima, & nonnisi sponte admitti. An non grave pariter crimen fuit stuprum, aut adulterium cum ancilla admissum? At sacrificio jubetur expiari *Levit.* 19. 21. An non grande scelus Judæorum fuit in Mosen, aut potius in Deum murmurantium? At illud sacrificio deletum est *Num.* 5. 45.

Hæc autem omnia tam publica quam privata sacrificia extiterunt totidem mortis Christi typi, ut jam notavimus, & quidem ita ut hac morte totius orbis peccata esse expianda designarent.

INSTANT Sociniani. At nulla est horum sacrificiorum cum morte Christi similitudo, sive rem ipsam, sive fructum, sive expiationis modum spectes.

Ac 1. quidem si rem ipsam spectes, nulla est privatorum sacrificiorum cum Christi morte convenientia. Christus enim mortem pro omnibus obiit, nec ut obiret, hominum voluntatem consuluit. At privata contra sacrificia ad privatos tantum quosdam pertinebant, & ex eorum pietate ac voluntate proficiscebantur.

2. Nulla etiam affinitas deprehendi potest, si ad fructum mortis attendas. Christus enim mortuus est ad abstergendas totius orbis maculas, cujuslibet tandem generis forent. At multa erant peccata, videlicet idololatria, homicidium, adulterium, &c. pro quibus nullum in veteri lege sacrificium erat institutum. Et vero sacrificia Mosaica pro solis ignorantiæ peccatis adhibebantur; non autem pro gravioribus. Neque enim horum mentio fit, sed illorum duntaxat, *Levit.* 4. *vers.* 2. 22. & 27 *cap.* 5. *vers.* 17. & *Num.* 15. 22. Sane *ibidem v.* 25. ubi publicum sacrificium memoratur, ait quidem Deus se populi peccata condonaturum, sed statim hanc causam adjicit, *Quoniam non sponte peccaverunt*. *Versu* autem 30. Deus denunciat peccatum voluntarium, quod non ignorantia admittitur sed manu excelsa, non esse sacrificiis expiandum, sed morte luendum. Imo ne solemne quidem illud, & anniversarium sacrificium, quod fiebat die expiationis publicæ omnibus indiscriminatim peccatis eluendis erat institutum, sed pro ignorantiis duntaxat usurpabatur. Sic enim Apostolus

ſtolus de eo ad Hebr.9.7. *In ſecundo autem (tabernaculo) ſemel in anno ſummus pontifex (ingrediebatur) non ſine ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia.*

3. Tandem, inquiunt, nulla eſt ſimilitudo, etiam juxta catholicorum ſententiam, inter hæc ſacrificia & mortem Chriſti, ſi reſpicias ad expiationis modum. Chriſtus enim mortuus eſſe dicitur a catholicis ad ſatisfactionem pro nobis exhibendam, & ad veram peccatorum expiationem procurandam. Quis vero dicat brutas animantes, dum cæderentur, pro hominibus Deo ſatisfeciſſe? Quis neſcit his victimis expiatas quidem fuiſſe externas quaſdam corporis labes; non vero animæ noxas? Imo ne hircus quidem emiſſarius, qui in ſacro anniverſario pro expiatione populi offerebatur, & peccata omnium portare, atque in deſertum aſportare dicitur *Levit.16.* ullum præſtare poteſt, inquiunt, ſatisfactionis vel leve veſtigium. Ad ejuſmodi enim ſatisfactionem præſtandam intercedere oportuiſſet ſubſtitutæ victimæ mortem: hircus autem ille, nedum cæderetur, liber in ſolitudinem abibat. Supereſt itaque ut eo tantum ſignificare vellet Deus peccata populi gratuita condonatione non minus eſſe ablata, quam ſi hircus ille ea in deſertum ſecum aſportaſſet. Quamvis ergo publicum illud ſacrificium, & cætera id genus poſſint ac debeant dici quadantenus fuiſſe umbræ & imagines oblationis Chriſti; attamen illa dici non poſſunt ita fuiſſe imagines, ut morte Chriſti expianda eſſe totius orbis peccata deſignarent.

Refelluntur. 1. Quippe ſtatuimus in privatis etiam ſacrificiis fuiſſe futuri Chriſti ſacrificii imaginem. Quanquam enim non inficiamur publica, & anniverſaria ſacrificia excellentiores fuiſſe ejus figuras (quo fit ut Apoſtolus ad ea tam frequenter reſpiciat *in epiſtola ad Hebræos*) Id tamen non impedit quominus ejuſdem ſacrificii umbræ fuerint etiam privata. Scilicet nullus fuit in veteri lege adæquatus ſacrificii a Chriſto offerendi typus, cum tanta eſſet illius præſtantia, ut uno typo exhauriri non potuerit. Varii itaque typi adhibiti ſunt, ut ipſius partem aliquam quiſque pro modulo repræſentaret. Quocirca cum Chriſtus ſic pro omnibus mortuus ſit generatim, ut ſinguli tamen debeant hujuſce mortis fructum ſibi applicare, par fuit ut ſacrificia quædam publica, & anniverſaria mortis ejus pretii amplitudinem deſignarent, privata vero ac quotidiana fructum ex hac morte ad ſingulos derivandum & applicandum indicarent; hominum autem ſingulorum pietas, ex qua privata illa ſacrificia proficiſcebantur, intimi illius pœnitentiæ ſenſus imago eſt, qua unuſquiſque veniam peccatorum, ac meritorum Chriſti applicationem obtinet.

2. Falſum eſt veteris legis ſacrificia non pertinuiſſe ad graviora, & voluntaria peccata, ſed tantum ad leves & ex ignorantia profectas culpas. Id enim jam revicimus: neque profecto contrarium probat obſervatio adverſariorum, quod nempe peccata iis expiari ſolita, vocentur *ignorantiæ.* Quis enim neſcit omnia peccata ita generatim appellari;

tum quia juxta effatum Aristotelis *lib. 3. Ethicorum, cap. 12.* " Omnis " peccans est ignorans; " tum quia passim juxta Scripturarum consuetudinem, quicunque peccant, nominantur nullo discrimine *insipientes, stulti, cæci?* Vide *Psal.* 13. 1. *Prov.* 1. 7. & 12. 8. 5. 9. 4. *ad Titum* 3. 2. *Ephes.* 4. 18. 5. 8. etiamsi aliunde peccata peccent letalia, *Psal.* 118. 21. *Prov.* 19. 27. *Isaiæ* 28. 7. *Actuum* 3. 17. 1. *Cor.* 2. 8. Quod autem pro quibusdam insignioribus peccatis, qualia sunt idololatria, homicidium, adulterium, aut similia, non sint instituta sacrificia, mirum profecto esse non debet, cum ista non sacrificiis, sed morte expiari oporteret. Mors enim temporalis in antiqua lege, mortis æternæ figura, & imago fuit. Ut igitur pro iis, qui jam addicti sunt æternæ morti, nullum est sacrificium, quod prodesse queat: ita pro iis, qui ob atrociora quædam scelera morti obnoxii erant, nullum olim adhibebatur sacrificium.

3. Non ita desipimus, ut antiquæ legis sacrificiis animæ noxas expiatas fuisse arbitremur: hoc enim diserte negat Apostolus ad Hebr. 9. 9. dum scribit ea *non potuisse juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Et cap. 10. 4. *Impossibile enim est*, inquit, *sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Sed tantum volumus iis adumbratam fuisse veram, & a Christo olim faciendam peccatorum expiationem. Ut enim apud Judæos quædam maculæ erant & impuritates legales, quæ internarum macularum per peccata conscientiæ inustarum imagines forent; ita sacrificia quæ legales illas maculas & externas impuritates expiabant, figuræ erant illius sacrificii, quo omnes animæ noxæ quondam erant eluendæ. Ut autem ejusmodi legales maculæ tollebantur mactatione victimarum; ita hominum peccata Christi morte expianda fuerunt. Nec refert quid hircus emissarius, qui dictus est portare peccata populi, non interimeretur. Non enim hic unus hircus totam expiationem peragebat. Duo quippe hirci eligebantur: unus cædebatur ad expiationem: unde Levit. 16. 15. ait Deus, *Cumque mactaverit* (summus pontifex) *hircum pro peccato, inferet sanguinem ejus intra velum, ... ut .... expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & a prævaricationibus eorum cunctisque peccatis.* Alter vero hircus longe a conspectu sanctuarii ac Dei amovebatur in desertum, omnibus peccatis populi onustus.

Itaque totum hoc sacrificium duplici actu constabat; 1. quidem hirci prioris immolatione, qua designabatur vera peccati expiatio, quæ per sanguinis effusionem & pœnæ lationem typice tunc fiebat, & aliquando a Christo reipsa facienda erat: 2. hirci posterioris emissione, qua designabatur oblatio, & remotio peccati inde consequens. Hircus enim ille sic in desertum abibat, ut nunquam rediret. Quod argumento esse poterat peccata sic esse dimissa, ut nunquam in conspectum Dei contra ipsos deinceps recurrerent. Insolens autem nemini videbitur, si duo

duo typi assumpti fuerint ad rem eamdem pro duplici respectu adumbrandam, cum unus non esset satis.

Quod Christus dum in terris degeret sacerdos fuerit.

Tertio contendimus Christum, dum vitam mortalem agebat, sacerdotem fuisse, & sacrificium in cruce pro nobis obtulisse, cum pro nobis seipsum morti obtulit, cujus quidem sacrificii applicatio fit in cœlo ab eodem Christo per jugem ac continuam pro nobis apud Patrem suum intercessionem. In veteribus enim sacrificiis duo distinguebantur, victimæ mactatio seu immolatio extra sancta sanctorum, & ejusdem victimæ sanguinis intra sancta sanctorum a summo Pontifice coram arca fœderis repræsentatio. Cum autem vetera sacrificia imagines essent sacrificii quondam a Christo offerendi, statuimus Christum in terris obtulisse sacrificium in cruce, dum se in victimam pro nobis dedit; deinde vero introisse in cœlum, ut se coram Deo pro nobis indesinenter sisteret, & ejus gratiam nobis procuraret.

Itaque Christum jam tum fuisse sacerdotem cum in terris degeret, multa sunt quæ arguant.

Ac 1. quidem Christi cum summo Judæorum pontifice, & cœli cum sancto sanctorum comparatio a Paulo instituta *Hebr. cap. 7. vers. 8. & 9.* Ut enim summus pontifex sacerdos reipsa erat antequam in sancta sanctorum ingrederetur, sic & Christus debuit esse sacerdos antequam in cœlum intraret.

2. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus*, ut inquit idem Apostolus, *pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* At hoc non in cœlo fit, sed in terra; nec enim alibi sacrificia offeruntur: proinde Christus alibi sacrificium offerre non debuit.

3. Hoc ipsum ostendit Apostoli locus Hebr. 7. 26. ubi sic ait: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, ... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Ibi enim Paulus indicat oblationem a Christo factam respondere antiquis sacrificiis in lege Mosaica offerri solitis. At ista sacrificia victimarum mactatione, & oblatione peragebantur. Pariter ergo Christi oblatio peragi debuit ipsius morte, quæ fuit victimæ pro nobis mactatæ oblatio. Et sane hæc Christi oblatio in eo opponitur veteribus sacrificiis, quod hæc quotidie celebrarentur; illa vero semel peracta fuerit. At non posset dici facta semel, nisi in morte facta fuisse statueretur. Quæ enim est Christi in cœlis oblatio, jugiter fit & fiet usque ad consummationem sæculi.

4. Idem confirmat quod dicitur ibid. cap. 9. 25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum* (Christus), *quemadmodum pontifex intrat in sancta per*

ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. Ibi enim quot verba ſunt, tot ſunt in Socinianos fulmina. Si enim oblatio Chriſti ſemel facta eſt; ergo in cruce, non in cœlo. Si Chriſtus, ut ſæpius ſe offerret, debuiſſet frequenter pati ab origine mundi; ergo ipſius oblatio tunc facta eſt cum in cruce paſſus eſt: alias nullum foret Apoſtoli ratiocinium. Si ſe obtulit cum adhuc appareret; ergo in terra, non in cœlo: ex quo enim in cœlos ivit, jam amplius non apparet. Si denique oblatio tum facta eſt cum peccati deſtitutio contigit, id certe ad crucem eſt referendum: ibi enim peccatum extinxit 1. *Petri* 2. 4.

5. Ibidem *cap*, 10. 5. Chriſtus inducitur loquens in hunc modum. *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*. Verſu autem 19. *In qua voluntate*, inquit, *ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu-Chriſti ſemel. Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens* (græce; *cum obtuliſſet*) *hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei. Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Ibi enim victimæ a Chriſto facta oblatio opponitur ejuſdem in cœlis ſempiternæ ſeſſioni. Deinde hæc eadem oblatio dicitur eſſe prior iſta ſeſſione. Tandem, quod ſæpe jam monuimus, dicitur ſemel tantum eſſe facta, & una eſſe, & jam eſſe conſummata: quæ profecto in ſolum ſacrificium in cruce oblatum competere poſſunt; non vero in illam perpetuam interceſſionem, quam pro nobis in cœlis quotidie peragit.

6. Ibidem *cap*. 1. 3. ubi ſic ait Paulus, *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, ... purgationem peccatorum faciens* (græce, *cum per ſemetipſum feciſſet*) *ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis*. Ex iis enim verbis colligere promptum eſt a Chriſto factam fuiſſe jam per ſui corporis oblationem peccatorum purgationem, cum in cœlos abiit. At peccatorum ejuſmodi purgatio non potuit fieri a Chriſto per ſui corporis oblationem, niſi jam eſſet ſacerdos. Ergo ſacerdos jam erat antequam in cœlos introiret.

7. In epiſtola ad Epheſ. cap. 5. 2. Paulus ad charitatem exhortans, *Ambulate in dilectione*, inquit, *ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Chriſtus enim ſe pro nobis tradidiſſe paſſim dicitur, cum in cruce mortuus eſt pro peccatis noſtris v. g. *Rom*. 4. 25. & 8. 31. At hic dicitur tradidiſſe ſe oblationem & hoſtiam. Ergo ſe in cruce pro nobis tanquam hoſtiam & ut ſacerdos Deo obtulit. Hæc porro hoſtia dicitur etiam fuiſſe Deo in odorem ſuavitatis, quod ſæpe legitur dictum de ſacrificiis expiationis; *Geneſ*. 8. 21. *Exodi* 29. 41. *Levit*. 1. 17.

Respondent Chriſtum non fuiſſe in terris ſacerdotem: quod probare nituntur variis momentis. 1. Quia juxta Apoſtolum ad Heb. 2. 17. de-

17. *debuit Christus fratribus per omnia similari tentarique per omnia, ut misericors pontifex fieret & fidelis*. Et cap. 4. 15. Debuit mortem experiri, & alia ejusmodi mala gustare antequam factus fuerit pontifex.

2. Quia juxta eumdem *cap.* 5. 5. non prius sacerdotium obiit Christus, quam ipsi dictum fuerit a Patre, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. At id ipsi a Patre non est dictum nisi post resurrectionem, ut monet ipse Paulus *Hebr.* 13. 23. & *Rom.* 1. 4.

3. Quia *Hebr.* 8. 4. sic ait idem Apostolus, *Si ergo esset super terram* (Christus) *nec esset sacerdos*. Ex eo enim, inquiunt, consequens est Christum esse non potuisse super terram sacerdotem; sed debuisse, ut sacerdos fieret, in cœlum ingredi.

4. Quia idem Paulus *ibid.* rem istam satis aperte definit, dum ait cap. 7. 26. *Decebat ut nobis esset pontifex, ... excelsior cœlis factus*.

5. Quia idem Apostolus *ad Hebr.* 10. 5. innuit a Christo factam esse oblationem in ingressu quodam. At ibi non loquitur de ingressu in vitam. Addit enim *versu* 9. tunc abrogata esse vetera sacrificia. At illa non sunt abrogata, cum Christus a B. Virgine editus est in lucem. Ergo Apostolus loquitur de ingressu in cœlos, quo demum tempore factus est sacerdos.

6. Quia certum est Christum in cœlis etiamnum se offerre pro nobis, & ita fieri oportuisse *Hebr.* 7. 25. At id opus non fuisset si Christus morte sua oblationem & expiationem necessariam peregisset.

Refelluntur. Hæc levia quippe momenta sunt.

1. Enim Apostolus *ad Hebr.* 2. 17. & 3. 15. non docet quando Christus incœperit esse pontifex; sed qualis fuerit, & quod necessarium fuerit ut esset misericors & fidelis pontifex. Necesse quippe erat ut pontifex noster posset satisfactionem exhibere, & ut nobis compati vellet. Primum erat fidelis pontificis, qui se sponsorem nostrum constituerat: alterum misericordis. Duplex igitur similitudo requirebatur: prima naturæ ad patiendum: altera infirmitatum, tentationum &c. ad miserandum. His enim miseriis magis afficimur, quas experti sumus. Unde apud Virgilium olim Dido,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Debuit igitur Christus participare carni & sanguini, ut posset pati: debuit tentari per omnia ut compati posset. Utrumque ea de causa commemorat Apostolus *ibidem*.

2. Non ait Apostolus *ad Hebr.* 5. 5. Christum tunc demum esse a Deo constitutum pontificem, cum ei dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; sed Christum a Deo factum fuisse pontificem, qui ei dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hæc autem duo a se invicem maxime distant. Hæc itaque Patris declaratio continet causam & fundamentum, cur Christus factus fuerit pontifex, nempe filiationem.

Idcir-

Idcirco enim sacerdos fuit pro antiquo more, quod filius fuisset primogenitus. Eadem insuper declaratio auctorem hujus sacerdotii manifestat, nempe Patrem: sed non designat quo cœperit tempore Christi sacerdotium. Deinde vero Christus vocatus fuerat Filius longe ante mortem suam, nempe cum transfiguratus est, *Matth.* 17. 5. imo cum baptizatus est, *Matth.* 3. 17. quin & ab ipso conceptus exordio, *Lucæ* 1. 32. Projnde si sacerdotium ejusmodi vocatione nititur, Christus fuit sacerdos longe ante mortem. Unde Paulus *ad Rom.* 1. 4. non ait Christum in resurrectione factum fuisse filium, sed prædestinatum, seu potius, ut in græco codice est, declaratum. Nam per resurrectionem ut Filius Dei Christus agnitus est ac declaratus. Neque enim fieri poterat ut morte detineretur, qui verus Dei Filius foret, quemadmodum recte ratiocinatur Paulus *Actuum* 13. *versu* 35. 36. & 37.

3. Idem Apostolus *ad Hebr.* 8. 4. Christum si in terris tunc fuisset sacerdos, non futurum omnino fuisse sacerdotem pronunciat duplici de causa. 1. Est, quod non esset de tribu Levi, cui terrenum sacerdotium fuerat demandatum. 2. Quod munia non explesset. Namque ut Levitæ sacris in atrio non operabantur, nisi ut postea in sacrarium ingressi, se coram Deo sisterent, ut pro populo apud eum intercederent, qui erat sacrificii finis; sic Christi sacerdotio necessarium quiddam defuisset, si mansisset in terris, nec post oblatam in cruce hostiam sese in cœlum recepisset, ut appareat vultui Dei pro nobis. Quod mysterium diligenter exponit Paulus *ad Hebr.* 9. Sed ex eo consequens non est Christum non fuisse antea sacerdotem; sicut consequens non est Levitas non fuisse prius sacerdotes, quam in sacrarium introirent. Imo vero contrarium inde colligitur, ut antea annotavimus. Sunt qui hæc verba, *si esset super terram*, non ad Christum, sed ad hostiam referant. Si enim hostia fuisset terrena ac vulgaris; ea non a Christo, sed a Levitis offerenda fuisset.

4. Non urget quod Paulus ante dixerat cap. 7. 26. *Decebat ut nobis esset pontifex ..... excelsior cœlis factus*. Aliud enim est Christum debuisse cœlis fieri excelsiorem, id est in cœlum ingredi, quia nempe munia quædam in cœlis habuit pro nobis peragenda; aliud non fuisse prius sacerdotem, quam cœlis excelsior fieret, aut in cœlos introiret: sicut aliud est summum pontificem Judæorum debuisse quotannis sacro expiationis die sancta sanctorum ingredi; aliud non fuisse prius pontificem, quam eo ingressus foret.

5. Scripturam evidenter pervertunt Sociniani, dum ingressum ab Apostolo *Hebr.* 10. *versu* 5. & 9. memoratum referunt ad Christi in cœlos ingressum. Apostolus enim conceptis verbis loquitur de ingressu Christi in mundum, & de eo tempore, quo Christo aptari cæptum est corpus, & quo ipse ait, *Ecce venio*: *Ideo*, inquit versu 5. *ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, Ecce venio*. An

non

non ergo directa fronte cum Apostolo pugnant adversarii? An enim dici potest in mundum esse Christus ingressus, cum eo contra egressus est? An demum ei corpus aptari cœpit, cum in cœlum ascendit? An dixit Christus, *Ecce venio*, cum abiit? Porro Apostolus ait *versu* 9. Christum his verbis vetus testamentum abstulisse, ut novum statueret, id est designasse aliquando auferendum; antiquatum vero esse in cruce: tunc quippe, ut monet Apostolus ad Ephes. 2. 4. *medium parietem maceriæ solvit*, quo Judæi a gentibus separabantur, id est legem. Abrogatum est autem eo tempore vetus testamentum, non quidem de facto, sed de jure. Ex eo enim vim amisere omnia legalia; licet deinceps abolita illa fuerint.

6. Graviter hallucinantur adversarii, dum putant Christum, quando in cœlis sese offert Patri pro nobis, eo dici expiare peccata; aut ejusmodi oblationem supervacaneam fore, si expiatio in terris peracta esset: falluntur, inquam, graviter: confundunt enim expiationem cum ipsius applicatione. Expiatio quidem in terris peracta est, ita ut omnia consummata fuerint, quando Christus ipse moriens exclamavit, *Consummatum est*: at applicatio fructus ex ea manantis quotidie fit per intercessionem Christi. Neque vero hanc intercessionem Apostolus unquam appellat *oblationem*; imo utramque distinguit *cap.* 9. *versu* 24. *&* 25. dum ait Christum se semel olim pro nobis obtulisse, sed nunc jugiter apparere vultui Dei pro nobis. Et sane oblatione expiata esse peccata non semel asserit. At nullibi expiationem peccatorum nostrorum Christi intercessioni ascribit. Quid ita? nisi quia revera oblatio facta est in cruce, ubi se victimam piacularem pro nobis dedit; intercessio autem fit in cœlis ad expiationis fructum singulis applicandum. Uno verbo oblatio Christi, ejusque apud Patrem intercessio, ita secerni debent, ut olim apud Judæos secernebatur victimarum extra sancta immolatio, & summi pontificis intra sanctuarium coram arca fœderis apud Deum pro iis intercessio.

Quod Christus in victimam piacularem se pro nobis tradiderit.

Quarto addimus Christum in hoc sacrificio se in victimam piacularem pro nobis tradidisse: quod quidem non pauca persuadent.

Ac 1. ea Scripturæ loca mox a nobis laudata. Hebræorum enim 1. 3. dicitur Christus *per seipsum purgationem peccatorum fecisse*, hoc est per corporis sui oblationem. Ibidem, cap. 7. 26. dicitur *se semel obtulisse pro peccatis populi*. cap. 9. 25. se *in hostiam dedisse ad destitutionem peccati*. Capite autem 10. 5. in eo sanguis Christi distinguitur a sanguine victimarum veterum, quod hic auferre non possit peccata, sanguis autem Christi abstulerit.

2. Idem postulat sacrificii a Christo in cruce oblati comparatio cum vete-

veteribus Mosaicæ legis sacrificiis piacularibus, de qua verba fecimus *num.* 2. *supra*.

3. Hoc significat Paulus ad Ephes. 5. 2. ubi ait, *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*.

4. Id adhuc luculentius elicitur ex capite 9. ad Hebræos, ubi sic habetur. *Christus semel oblatus est ad multorum exaurienda peccata*; seu, ut græce est *ad multorum peccata sursum ferenda* (in crucem videlicet & auferenda.) Ibid. cap. 10. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio*. Si enim bona fide agimus, quid manifestius quam his verbis designari Christum ut victimam piacularem & pro peccato in abrogatarum locum fuisse substitutum? Quod & Petrus clare asserit epist. 1. cap. 2. v. 24. ubi sic loquitur de Christo, *Qui peccata nostra ipse pertulit* (græce, *sursum tulit*) *in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis*. Illic enim Apostolus alludit ad ritum sacrificii. Victima quippe sursum efferebatur ut Deo offerretur. Denique Isaias 53. 10. *Si posuerit pro peccato*, inquit, *animam suam* (hebraice, *si posuerit animam suam in sacrificium pro peccato*.) Hinc apud Isaiam *ibidem* & apud Petrum dicitur Christus *peccata nostra portasse*, ut peccata portare dicebantur olim victimæ piaculares.

5. Quoniam agni persæpe olim in victimas piaculares offerebantur pro peccatis, quæ Christi mortis ac sacrificii totidem imagines erant, inde est quod Christus toties in Scripturis *agnus* vocetur. Non enim ita appellatur tantum propter virtutes, patientiam, innocentiam, humilitatem; sed etiam ac potissimum comparate ad sacrificium. Hinc dicitur *Agnus occisus* Apoc. 5. 12. & 12. v. 1. & 8. tulisse peccata mundi, Joan. 2. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; nosque sanguine suo redemisse, 1. Petr. 1. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati*.

6. Tandem id videtur ex professo probasse Paulus *ad Hebræos* 9. ex quo jam nonnulla allegavimus. Instituta enim comparatione inter vetera sacrificia & Christi oblationem in cruce, ait versu 12. *Christum per proprium sanguinem introivisse semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Versu 14. *Sanguinem Christi, qui per Spiritum-sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundasse conscientiam nostram ab operibus mortuis*. Versu 15. *Christum ideo novi testamenti esse mediatorem, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento* &c. Versu 22. *Omnia pene in sanguine secundum legem mundari, & sine sanguinis effusione non fieri remissionem*. Versu 23. *Necesse ergo fuisse exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia melio-*

melioribus hostiis quam istis &c. Quis enim inde non colligit Christi mortem ac sanguinem conferri cum iis victimis piacularibus, quarum olim morte ac sanguine peccata expiabantur, ita tamen ut victimæ illæ propitiationem duntaxat adumbratam & typicam procurarent, sanguis autem Christi veram ac sempiternam.

RESPONDENT expiationem nihil aliud esse quam plenam a peccati morte liberationem; proinde Christum dici posse peccata nostra in cruce expiasse, non meritorie & effective, quasi pretium aliquod divinæ justitiæ obtulerit ad legitimam satisfactionem, sed antecedenter, exemplariter & declarative: antecedenter, quia Christi mors conditio quædam necessario prævia fuit ad ejus exaltationem: *Oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, ubi demum plenam & perfectam a Deo consecutus est facultatem æterna vita donandi pios, qua plene a peccati morte liberabuntur: exemplariter, quia mortis & passionis Christi consideratio efficaciter nos movet ad conversionem & pœnitentiam, cui proprie Deus peccatorum promittit remissionem: declarative, quia mors illa, cui Filium suum tradidit Deus, maxime declarat ejus ad peccata nostra condonanda propensionem, & summam erga nos benignitatem.

Quod autem *expiationis* vox, quæ in hoc negotio adhibetur, non importet necessario satisfactionem, colligunt.

1. Ex eo quod, si hebræi codices consulantur, Deus ipse dicatur *expiare hominum delicta*, Num. 21. 8. Psal. 50. 9. &c. Quis autem dicat Deum sibi ipsum facere satis?

2. Ex eo quod verbum *expiandi* apud Judæos ex prima origine sua nihil aliud sonet quam *tegere*. At possunt tegi peccata citra ullam satisfactionem.

3. Quod verbum idem sæpe usurpetur declarative, v. g. *Levit.* 5. *v.* 6. & 10. & *cap.* 16. 6. præsertim vero 13. & 14. ubi præscribitur expiandæ lepræ ritus. Id enim non alia quam declarationis via fiebat.

4. Ex eo quod victimæ legales dicantur pariter expiasse peccata. At eæ profecto pro homine non satisfaciebant. Ergo.

REFELLUNTUR. Falsum quippe est expiationem a liberatione non distingui; expiatio quippe causa est liberationis, & liberatio expiationis effectus est: expiationem facit reus aut quis alius ejus nomine, liberationem vero præstat judex: peccatorum autem nostrorum expiatio tribuenda est morti Christi effective & meritorie, non autem antecedenter duntaxat, exemplariter, & declarative, ut loquuntur Sociniani. Non antecedenter, quasi mors prævia conditio foret ad expiationem postmodum faciendam. Si enim ita esset, cur soli morti hæc expiatio tribueretur, non vero Christi missioni, vitæ, exaltationi &c. hæc enim non minus præcessere intercessionem Christi in cœlis, quam mors. Cur ergo morti singulariter ascribitur peccatorum nostrorum expiatio, nisi quia in cruce fudit sanguinem suum Christus in pretium redemptionis nostræ?

ſtræ? Non exemplariter: quamquam enim non inficiamur hunc eſſe mortis Chriſti fructum & finem, ut vetus homo in nobis crucifigatur & moriatur peccato ad exemplum Chriſti, hoc tamen unicum eſſe vel præcipuum Chriſti mortis effectum pernegamus. Mortuus enim eſt potiſſimum ut hominum peccata lueret, nec noſtra tantum, ſed totius mundi, eorum etiam, qui ante ipſum vixerant, quibus certe exemplo eſſe non potuit. Non declarative: alias nihil egiſſet Chriſtus, quam quod in veteri teſtamento fieri potuiſſet. Olim namque ſacerdotes Aaronici poterant poſt peracta ſacrificia ſingulis declarare expiationem eſſe factam peccatorum. Et vero ideo dicitur Chriſtus expiaſſe peccata, non quia declaravit remiſſa, ſed quia ea portavit, quia ſe in redemptionis pretium obtulit.

Nec officiunt quæ contra opponuntur.

Non 1. Quamvis enim *expiationis* nomen, cum de Deo dicitur, ſatisfactionem non importet, an idcirco excludet ſatisfactionem, cum dicitur de Chriſto? An non vox eadem pro diverſa materia ſubjecta diverſam ſortitur ſignificationem? Expiare dicuntur Deus, ſacerdos & victima, ſed non una eademque ratione. Expiat Deus expiationem admittendo, ſacerdos ſacrificium offerendo, & victima pœnam luendo. At Chriſtus in ſalutis noſtræ negotio, ſacerdotis & victimæ partes explevit.

Non 2. Quamvis enim verbum hebraicum idem ſæpe ſit quod *tegere*; attamen quiddam amplius ſonat, cum de ſacrificiis & victimis ſermo eſt Ita enim expiatio dicitur fieri ſacrificio, ut victimæ ſanguis detur pœnæ loco, & pœna imminens avertatur. Inde eſt quod vulgo ſumatur vox iſta pro placatione interventu alicujus pretii facta, *Geneſ.* 32. 19. 2. *Reg.* 21. 5.

Non 3. Eſto enim concedamus hoc verbum declarandi ſenſu uſurpari aliquando; ergone ſic ſemper uſurpabitur? Quis non intelligit hanc eſſe indignam hallucinationem, nec conſecutionem eſſe legitimam, dum ex uno exemplo univerſalis aſſertio elicitur?

Non 4. Namque victimæ legales reipſa expiabant ejuſdem generis, hoc eſt, legales maculas: proinde ut figura reſpondeat veritati, debuit Chriſti ſanguis expiare animæ noxas. Sed eſto victimæ legales inſtitutæ duntaxat fuerint ad declarandam peccatorum expiationem, non ad eam faciendam; an continuo idem erit de Chriſti ſanguine dicendum? Certe tantum debet eſſe diſcriminis inter legales victimas & Chriſtum, quantum eſt inter corpus & umbram, figuram & veritatem. Quamvis itaque impoſſibile fuerit ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, ut ait Paulus *Hebr.* 10. 4. ea tamen reipſa abſtulit ſanguine ſuo Chriſtus.

Quod Chriſtus pro nobis, id eſt loco noſtro, mortuus ſit.

Quinto quod ex his conſequens eſt ſtatuimus Chriſtum mortuum dici pro nobis, id eſt, non noſtri duntaxat cauſa, ſeu in doctrinæ a ſe præ-

prædicatæ confirmationem, in exemplum patientiæ, charitatis &c. sed etiam nostri loco per veram substitutionem : ad Romanos enim 5. 6. *Vix pro justo quis moritur . . . Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*. Ibidem 8. 32. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Hebr. 2. 9. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. 1. Petri 3. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo* &c. Quod enim ibi vera substitutio denotetur, multa non solum suadent, sed etiam persuadent.

1. Enim hæc frequentissima est vocis istius significatio cum apud profanos, tum apud sacros auctores. Sic *apud Ciceronem*, " Unus Cato est mihi pro centum millibus : *Apud Virgilium*, " Unum pro multis dabi„ tur caput. " Sic 2. *Regum* 18. 23. David Absalonis filii mortem deflens, *Absalon fili mi*, inquit, *quis mihi tribuat ut ego moriar pro te*, id est, ut loco tuo mortuus sim? Sic *Exod*. 4. 16. cum Moses sese apud Deum excusaret quod esset linguæ impeditioris, Deus Aaronem ejus interpretem constituens, *Ipse*, inquit, *loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*. Sic Genes. 47. 16. Joseph Ægyptios inopia laborantes alloquens, *Adducite pecora vestra*, inquit, *& dabo vobis pro eis cibum, si pretium non habetis*. Sic tandem Rom. 5. 7. in hoc ipso argumento, *Vix enim pro justo quis moritur*. Quis autem nescit frequentissimam ac receptissimam vocis significationem alteri, nisi quid necessario cogat, esse anteponendam.

2. Ita Christus dicitur esse pro nobis mortuus, ut id ei tanquam omnino singulare assignetur : 1. Cor. 1. 13. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* 2. Cor. 5. 14. *Unus pro omnibus mortuus est*. Atque hoc *ibidem* notatur tanquam summum charitatis argumentum, cui nullum aliud æquari possit. At nisi his verbis subrogatio indicetur, id sane non erit proprium & peculiare Christo. Nam apostoli & martyres mortui sunt ; etiam in bonum Ecclesiæ, in doctrinæ christianæ confirmationem, in exemplum patientiæ ac fortitudinis. Quod enim Sociniani reponunt Christum dici unum pro nobis esse mortuum, nec ullum alium, quia primus videlicet Christus in ejusmodi exemplum mortem obiit, id falsum est & ridiculum ; falsum multi enim ante Christum, v. g. Isaias, Machabæi, sic mortem fortiter pro religione oppetierant : ridiculum ; sic enim Christus dici posset primus pro nobis esse mortuus, sed non idcirco unus aut solus ; & de aliis proprie dici posset, eos etiam esse pro nobis, licet postea, mortuos ac crucifixos : quod tamen dici posse diserte apostolus negat.

3. Dicitur esse mortuus Christus non pro his tantum, qui eodem ævo aut post ipsum vixerunt; sed etiam pro illis omnibus, qui ante ipsum extiterant. Ad Hebræos enim 9. 15. *Et ideo*, inquit Paulus, *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento* &c. 1. Tim. 2. 15. *Qui dedit* seme-

semetipsum redemptionem pro omnibus. Hebr. 13. 8. *Jesus-Christus heri & hodie; ipse & in secula*. Act. 15. 11. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmdum & illi* (*veteres*). Rom. 3. 25. *Quem Deus proposuit propitiationem..* ..... *in sanguine ipsius*, ... *propter remissionem præcedentium delictorum*. 1. Joan. 2. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. At certe non potest dici mortuus pro antiquis patriarchis, cæterisque hominibus qui ante vixerant, & in remissionem peccatorum ab iis admissorum, nisi quia eorum loco substitutus omnia omnium peccata expiavit. Nam si mors Christi in exemplum duntaxat cessit, aut in confirmationem doctrinæ ipsius, neutrum ad antiquos pertinere potuit.

4. Eamdem satisfactionem poscunt quæcunque dicuntur de Christi morte. Dicitur mortuus *ut nos redimeret* Tit. 2. 14. *ut nos reconciliaret*, Rom. 5. 10. *ut nos justificaret*, ibid.

5. Veri nominis substitutionem arguunt illa Scripturæ loca, in quibus Christus dicitur cum pro nobis mortuus est, *factus esse pro nobis peccatum*, *factus maledictum*; hæc enim evidenter significant ipsum sese loco nostro substituisse, ut quod nos esse debebamus ipse fieret.

Respondent. Christum quidem dici pro nobis mortuum, sed ex eo colligi non posse ullam substitutionem,

1. Quia fideles juxta S. Joannem epist. 1. cap. 3. v. 16. debent *pro fratribus* (græce ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν.) *animas ponere sicut Christus pro nobis animam suam posuit*: & Coloss. 1. 24. ait Apostolus, *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus* (græce ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ) *quod est Ecclesia*. Ibi enim occurrit vox ὑπὲρ, nec tamen ullam sonat ibi substitutionem: quis enim dicat fideles in aliorum locum subrogari, & in Ecclesiæ locum suffectum Paulum?

2. Quia, ut dicitur Christus esse mortuus pro nobis, ita etiam dicitur esse mortuus pro peccatis nostris; *Rom.* 4. 15. & *Gal. cap.* 1. 4. ubi Christus statuitur se dedisse pro peccatis nostris (græce ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.) At nemo est qui exinde eliciat Christum fuisse delictorum nostrorum loco substitutum. Ergo, inquiunt, sive vocem ὑπὲρ, sive exempla, & quæ, ut similia, comparantur, accurate spectes, ex iis colligi non potest Christum fuisse humani generis vice suffectum.

Refelluntur. Sophisma enim puerile est.

1. Quippe nos ex his particulis *pro*, & ὑπὲρ argumentum præcise non ducimus, quasi illæ semper & ubique subrogationem notent: sed ex vulgatissima earumdem particularum significatione, ac potissimum ex adjunctis, quæ has particulas ad substitutionem indicandam necessario inflectunt. Frustra ergo desudant Sociniani, ut probent aliqua esse Scripturæ loca in quibus hæ particulæ eo sensu non intelligantur. Quid enim inde? an colligere hinc quisquam potest nulla esse Scripturæ lo-

ca,

ca, in quibus ita usurpentur? nempe subjecta materia & adjuncta expendenda sunt, ut varius pro argumenti varietate his particulis sensus assignetur. Quod itaque S. Joannes jubeat exemplo Christi fratres pro fratribus animas ponere citra ullam substitutionem, id adversarios non admodum juvat. Non enim instituere voluit justam, & expletam omni ex parte Christum inter & fideles comparationem, quasi Christus non aliter sit pro nobis mortuus, quam fratres pro fratribus mori queant. Multiplex enim fuit Christi mortis finis: 1. ut peccata nostra tanquam sponsor noster expiaret; 2. ut ad charitatem mutuam nos incitaret. Christum quoad primum nec imitamur, nec possumus imitari. At possumus quoad secundum. Cum enim charitas id postulat, debemus non modo quodlibet mortis periculum adire pro fratribus, sed & mortem ipsam pro iis constanter subire. Sic etiam accipe quod ait de se Paulus *Coll.* 1. 24. quidquid enim agebat aut patiebatur, id cedebat in Ecclesiæ commodum, ut ipsemet animadvertit 2.Cor.1.6. *Sive*, inquit, *tribulamur pro vestra exhortatione & salute: sive consolamur, pro vestra consolatione, sive exhortamur, pro vestra exhortatione, & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur.*

2. Quod subjungunt de peccatis nostris pro quibus Christus mortuus est, inutile plane est. Ultro enim fatemur particulas has *pro* & *ὑπὲρ*, pro variis locis variam inducere significationem. At nunquamne capient dialectici Sociniani ridiculum argumentationis vitium, quo ab uno, ut ajunt, particulari ad universale concludunt? Cum argumenti contra diversitas diversum sæpe numero intellectum poscat, & aliter particula *pro* intelligatur cum de rebus, aliter cum de personis dicitur. Nam cum de rebus dicitur causam meritoriam, & finalem significat: cum autem de personis, veram arguit vulgo substitutionem. Christus igitur dicitur esse mortuus pro peccatis nostris, quia nimirum peccata nostra causa extiterunt cur Christus morti se tradiderit, & quia morti se tradidit ut ea expiaret. At Christus mortuus est pro nobis, ita ut loco nostro passus sit, morteque sua mortem æternam a nobis depulerit.

Quod Christus nos redemerit pretio pro nobis persoluto.

Sexto denique pronunciamus Christum nos redemisse non exemplo tantum & consilio; sed pretio pro nobis soluto: quod perspicuum est, & invictum illius satisfactionis, quam stabilimus, argumentum. Matth. 20. 28. *Filius non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*, (græce, *λύτρον ἀντὶ πολλῶν*, id est *redemptionis pretium pro multis*,) 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno*. Ibid. cap. 7. 23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*. Galat. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Ephes. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*. Coloss. 2.

13. *Et vos cum mortui essetis in delictis , ... convivificavit cum illo , donans vobis omnia delicta , delens quod adversus nos erat chirographum decreti , quod erat contrarium nobis , & ipsum tulit de medio , affigens illud cruci*. 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem* (græce ἀντίλυτρον, *redemptionis pretium*) *semetipsum pro omnibus*. 1. Petri 1. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis : sed pretioso sanguine , quasi agni immaculati Christi & incontaminati*. Apoc. 5. 9. *Quoniam occisus es & redemisti nos Deo*. Hic porro nihil est quod non sit observatione dignissimum.

1. Enim, ut fatetur ipse Socinus *lib. 2. de Servatore cap.* 1. redimere aliquem nihil aliud proprie significat, quam eum captivum e manibus illius, qui illum detinet, pretio illi dato liberare. At reipsa nos justitia Dei propter peccata sub Diaboli jugo captivos habebat. Ut enim ait Petrus epist. 2. cap. 19. *A quo quis superatus est , hujus & servus est*. 2. Tim. 2. 29. *Ut resipiscant a diaboli laqueis , a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*. Joan. 8. 34. *Omnis qui facit peccatum , servus est peccati*.

2. Eramus Deo debitores. Peccata enim *debita* vocantur. At *Christus delevit chirographum contrarium nobis , & ipsum tulit de medio , affigens illud cruci*.

3. Nos ab ista captivitate liberavit & debita nostra expunxit dato pretio, *Empti estis pretio magno* &c. *Pretio empti estis* &c.

4. Pretium illud fuit pretium proprie dictum. Ea enim de causa confertur cum auro & argento, quibus res quæque venales comparantur: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis ; .... sed pretioso sanguine* &c.

5. Pretium illud fuit Christi sanguis, seu potius ipse Christus in nostri locum suffectus. Cum enim essemus sub maledicto, ut eo nos eximeret, *ipse factus est pro nobis maledictum*.

6. Propterea dicitur *se dedisse in redemptionis pretium pro multis* (græce ἀντὶ πολλῶν) *redemptionis pretium pro omnibus* (ὑπὲρ πάντων) quæ quidem ut jam monuimus & pretium indicant, & veram subrogationem arguunt. Vox enim ἀντί, cum de personis agitur, id semper significat.

Respondent Sociniani Christum quidem esse verum redemptorem, sed contendunt eo nomine duntaxat intelligi oportere redemptionem improprie dictam, quæ pretium non involvat. Quod autem redemptio sæpe accipitur pro simplici liberatione citra ullam pretii solutionem facta, variis momentis probant.

1. Quia Deus ipse dicitur fuisse *redemptor* populi Judaici, cum eum e servitute Ægyptiaca liberavit, Exodi 15. 13. *Dux fuisti in misericordia tua populo , quem redemisti*. Deut. 7. 8. *Te redemit de domo servitutis*. Sic etiam Psal. 76, 16. At cum Deus populum Israeliticum redemisse tunc dicitur, gratis id fecit, nullumque pro eo pretium exolvit.

vit. Ergo nec Christus ullum pro nobis dependit, eoque magis quod nostra per Christum liberatio cum redemptione Israelitica conferatur, & hæc illius typus ac figura extiterit *Lucæ* 1. 68. &c.

2. Quia Moses pariter nominatur Israelitarum *redemptor*, Act. 7. 35. *Hinc Moysen*, inquit Stephanus, ... *Deus principem & redemptorem misit*. At Moses non dedit idcirco seipsum in pretium & satisfactionem pro Judæis. Ergo nec Christus.

3. Quia si proprie dicta redemptio intelligenda foret, quæ nimirum exsoluto pretio fiat, pretium illud non Deo, sed diabolo aut peccatis fuisset pro nobis offerendum. Pretium enim offerri debet ei, cujus est captivus, qui redimitur. At diaboli captivi eramus, servi peccati, ut loquitur Scriptura. Ergo eis, non Deo, pretium illum fuisset expendendum.

4. Quia non potuit revera Deus pretium illud reposcere, cum ipse redemptionem nostram peregerit, Lucæ 1. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

5. Quia Rom. 5. v. 9. & 10. Christus dicitur *ab ira Dei salvos nos fecisse per vitam suam*: ergo non per mortem, nec pretium aliquod solvendo, sed potentia sua nos in extrema judicii die ab æterna morte liberando.

6. Quia ita redempti sumus, quomodo venditi fueramus. At venditi fueramus gratis, cum nempe incideramus in diaboli ac peccati servitutem, quod declarat Isaias cap. 53. 2. *Hæc dicit Dominus; gratis venumdati estis; & sine argento redimemini.*

7. Quia non semel dicimur esse redempti gratis, Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Refelluntur. Satis enim superque jam demonstravimus, cum Christus dicitur nos redemisse, id necessario accipi oportere de redemptione proprie dicta; nec aliud evincunt exempla a Socinianis allata.

1. Enim non negamus vocem hanc metaphorice esse sumendam, cum de Deo usurpatur. Ergone alibi semper? Quæ isthæc consecutio est? Vox *Leo*, cum de Christo dicitur, metaphorice in Scripturis accipitur: ergone semper alibi sic accipienda est? Quis fallaciam non videt? Demonstrent itaque Sociniani ita Deum Judæorum *redemptorem* appellari, quomodo Christus nos redemit: ostendant Deum se dedisse in pretium pro Judæis, factum esse pro eis maledictum, &c. quæ omnia Christo tribuuntur; & tunc causam obtinebunt. Quandiu vero aliter agent, circa voces turpiter hærebunt, nec quidquam tricis suis ac cavillationibus proficient.

2. Eadem oberrant chorda, cum Moysen obtendunt, qui *redemptor* vocatur. Neque enim par ratio est Moysis & Christi, nec eadem de utroque dicuntur. Et vero, ut observat Chrysostomus *hom. 61. in Genes.* „ Oportet figuram minus habere quam veritatem. " Moyses ergo dicitur *redemptor*, quia Judæos liberavit e servitute Ægypti. At ista redem-

ptio non proprie dicitur, quia nullum pro captivis pretium solvit: Christus autem contra ita dicitur *Redemptor noster*, ut semetipsum pro nobis in redemptionis pretium obtulerit.

3. Pretium libertatis nostræ non fuit persolvendum diabolo, sed Deo; non peccatis, sed pro peccatis. Neque enim reus pœnas debet aut solvit carceris custodi aut tortori; sed judici, qui bono publico præest, & debitas a reis pœnas expetit. Nempe debitores eramus; sed justitiæ divinæ: a diabolo detinebamur; sed tanquam ab executore justitiæ Dei. Deus itaque & creditoris & detentoris primarii locum habebat: quocirca ipsi pretium dependendum fuit.

4. Nulla pugna est, si Deus ipse ex sua misericordia redemptorem nobis dederit, & ex justitia pretium ab eodem redemptore solvi voluerit. Mirum contra istud est misericordiæ & justitiæ temperamentum: quod Scripturæ non semel prædicant.

5. Dicimur *Rom.* 5. salvi fieri per vitam Christi, id est per Christum viventem, sed ideo quia *Cum inimici essemus, reconciliati sumus per ejus mortem*: quasi dixisset, qui mortem suam inimicis expiandis dedit, quanto magis vitam amicis dabit? Itaque ea, quam Christus amicis est daturus vita, ipsius mortis fructus est. Ita ut quidquid exinde a Deo consequimur, illud ex mortis merito tanquam origine sua profluat.

6. Perperam cum culpa confertur redemptio. Gratis enim venumdati sumus sub peccato, sed gratis non sumus redempti. Nempe penes nos erat non peccare, & sponte atque voluntate nostra cecidimus; sed redimi nec nostræ voluntatis fuit, nec potestatis. Unde Augustinus *in psal.* „ 95. " Tenebantur homines, inquit, captivi sub Diabolo, & dæmoni„ bus serviebant; sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se po„ tuerunt, sed redimere non potuerunt. " Quod igitur redempti sumus, id ex Deo venit, qui misericordiam suam nobis impendere noluit, nisi interventu pretii & idoneæ satisfactionis. Quod autem Isaias ait, id ad Judæos pertinet e captivitate eruendos, non ad humanum genus a Christo reparandum. Potest tamen aliquatenus dici nos sine argento redimi, quia, quantum ad nos spectat, pretium non contulimus: verum id non impedit quominus illud sponsor pro nobis solverit.

7. Affirmat Apostolus *ad Rom.* 3. 24. nos gratis justificari, non vero gratis esse redemptos; quæ duo multum differunt. Postquam enim Christus soluto pro nobis pretio gratiam Dei nobis promeruit, eamdem nobis gratis largitur: atque istud profecto agnoscimus, nedum inficiemur.

SE-

SECTIO II.

De Christi satisfactione.

Ex sanctis Patribus.

Etsi non ignoramus quam nullius pretii sint apud Socinianos priorum seculorum Patres, nisi ipsis faveant; paucos tamen ex illis adducere hic juvat, cum ad istorum hæreticorum pervicaciam tot sanctorum doctorum auctoritate frangendam, pudoremque iis, si fieri potest, incutiendum, tum ad theologiæ candidatos magis ac magis in suscepto dogmate confirmandos.

ASSERTIO.

Christi satisfactio non tantum Scripturarum auctoritate astruitur, sed etiam traditionis constitutione.

Probatur antiquorum testimoniis.

1. Enim S. Justinus *in dial. cum Tryphone*, " Deus rerum universarum parens, inquit, Christum suum ex omni mortalium genere omnium maledictiones suscipere voluit, sciens quod eum crucifixum & mortuum suscitaturus esset.

2. Tertullianus *contra Judæos cap.* 13. " Christum, inquit, oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.

3. Origenes *hom.* 24. *in Num.* " Si non fuisset peccatum, inquit, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri : .... verum quoniam peccati necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit hostiam provideri pro peccato.

4. Eusebius Cæsariensis *lib.* 10. *præp. evang. cap.* 1. " Factus est, inquit, pro nobis execratio Agnus Dei, qui tollit peccata mundi : quem, etiamsi non novisset peccatum mundi, peccatum pro nobis fecit Deus, loco omnium nostrum eum substituens : . . . non solum vero hoc agens Agnus Dei, auctor remissionis peccatorum factus est nobis, sed & pro nobis supplicio & pœna affectus, quam ipse non debebat, sed nos propter multitudinem peccatorum, dum loco nostro mortem suscipiens, & in seipsum transferens, ... & ad se trahens maledictionem nobis peractam, factus pro nobis maledictio.

5. Athanasius *de Incarn. Verbi*, " Morte opus fuit, inquit, & mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut quod ab omnibus debitum erat, lueretur. Quamobrem Verbum, quoniam mori non poterat, utpote immortale, corpus sibi sumpsit, quod mori poterat, illudque ut suum

„ pro omnibus obtulit, & ut ovis pro omnium salute, vicarium succi-
„ daneumque corpus suum in mortem tradidit. " Idem *de passione & cruce*.

6. Macarius episcopus *lib.* 2. *act. concilii Niceni*, " Venit ipse salvator „ omnium, inquit, & a nobis debita supplicia in sua carne nomine no- „ stro, suscepit.

7. Ambrosius *lib. de Joseph*, " Venditus Christus, inquit, conditionis „ susceptione, non culpæ: peccatique pretio non tenetur, qui peccatum „ ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum, non ære suo contraxit. „ Chirographum sustulit, ... unus exolvit, quod ab omnibus debe- „ batur.

8. Hieronymus *in cap.* 55. *Isaiæ*, " Despectus erat & ignobilis (Chri- „ stus,) inquit, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledi- „ ctum peccata nostra portabat.

9. Victor Antiochenus *ad cap.* 5. *Marci*, " Ipse (Christus,) inquit, „ nostra pro nobis peccata luit, ipse peccata nostra tulit, ipse nostri „ causa & doluit & gemuit.

10. Chrysostomus *in cap.* 3. *epist. ad Gal.* " Suscepit Christus maledi- „ ctionem, inquit, atque ita illam sustulit, perinde faciens, ac si mor- „ ti adjudicato quopiam, alius justus illius damnati vice, sponte mori „ volens, eripiat ipsum.

11. Augustinus *contra Faustum lib.* 14. *cap.* 4. " Suscepit Christus, in- „ quit, sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, „ & finiret etiam supplicium nostrum. " Idem *contra Felicianum* " Quo- „ modo, inquit, suscipiendo mortem interfecit mortem, sic suscipiendo „ maledictum solvit maledictum.

12. Cyrillus *in Joan. lib.* 2. " Unus, inquit, pro omnibus agnus occi- „ ditur . . . . Nam quoniam in peccato eramus, atque idcirco morti & „ interitui debebamur, Filium suum Pater in redemptionis pretium de- „ dit pro nobis, unum pro omnibus.

13. Theodoretus *quæst.* 9. *in Num.* " Solus Dominus noster Jesus Chri- „ stus, inquit, quatenus homo, purus peccati fuit: hocque prævidens „ Isaias clamat; *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*: „ propterea aliorum in se peccata suscepit, cum propria non haberet. „ *Ipse enim*, inquit, *peccata nostra fert, & pro nobis affligitur*: Et ma- „ gnus Joannes, *Ecce Agnus Dei, ecce qui fert peccata mundi*.

14. Denique S. Leo *serm.* 12. *de Passione*, Christum & martyres componens simul, " Quamvis, inquit, in conspectu Domini multorum san- „ ctorum pretiosa fuerit mors, nullius tamen insontis occisio propitia- „ tio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas. Singulares „ quippe in singulis mortes fuerunt; nec alterius quisquam debitum suo „ funere solvit: cum inter filios hominum solus Dominus noster Je- „ sus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, om- „ nes sepulti, omnes etiam sunt suscitati.

Alios

Alios innumerabiles, qui in eam rem laudari facile potuissent, omittimus; quod ipsimet Sociniani fiteantur sibi omnes adversari. quidem Christum & Apostolos opponunt: sed quam immerito antea vidimus. Et vero nemo est cordatus, qui sibi persuadeat Christo & Apostolis repugnasse omnes a primis usque temporibus orbis Christiani doctores ad nostra usque tempora, ita ut Socinianos veritas liberanda expectaret.

SECTIO III.

De Christi satisfactione. Ex rationis momentis.

JAM ratio adjungenda est, ut omni ex parte, atque etiam ea, cui maxime confidunt Sociniani, convincantur erroris.

ASSERTIO.

DEMONSTRARI potest ratione Christum pro nobis satisfecisse.

PROBATUR ex variis absurdis, quæ Socinianum errorem necessario consequuntur.

Primum est, quod si Christus ad exemplum nostrum duntaxat, suæque doctrinæ confirmationem mortuus sit, non vero ad satisfaciendum pro nobis, nihil amplius ille præstiterit quam quod antiqui novique martyres fecerunt; aut saltem quod martyribus quoque non conveniat certo in gradu; ita ut si non omnino pares, similes profecto ei dici queant, eoque magis, quod juxta Socinianos Christus merus homo fuerit, ejusdem cum cæteris conditionis. Cum itaque plurimi ante ipsum insignes viri, ut testimonium veritati perhiberent, omnia suppliciorum genera perpessi sint, ut exemplo suo ad virtutes excitarent & sanguine suo divinam doctrinam obsignarent; cur quæso soli Christo, exclusis cæteris, id tribueretur, quod pro nobis sit mortuus ac crucifixus, nisi quia ille unus se ipse in redemptionis nostræ pretium Deo obtulit.

Secundum est, quod si non alius sit Christi mortis finis, quam qui a Socinianis statuitur, nihil illa eximium habeat, quod non eodem prorsus jure aut etiam potiori miraculis Christi & admirabili ejus vitæ ascribi debeat. An non enim miracula edidit doctrinæ suæ firmandæ causa? An non ejus vita egregio nobis spectaculo fuit? Cur ergo id morti & sanguini ejus proprie tribuitur, quod his redempti sumus, nisi quia sanguis Christi fuit illius redemptionis pretium?

Tertium est, quod si Socinianos audimus, ideo tantum mors Christi dicitur expiasse peccata, quia nempe peccatorum remissio non datur nisi sancte viventibus: ad vivendum autem sancte necessaria est fides & expectatio præmii: hanc vero fidem spemque indubiam excitat & erigit exemplum Christi, ob vitæ sanctimoniam a morte excitati ac

ti ac gloriam adepti : hanc porro a morte excitationem mors ipsa anteceffit ac meruit. Quis autem ferat has omnes circuitiones obscurasque ambages, ubi Spiritus-fanctus loquitur? Cur, si ita eft, peccatorum expiatio morti Chrifti ut propria femper affignatur, nunquam vero resurrectioni Chrifti, nunquam ejus in cœlum exaltationi, quibus ut pote propioribus causis longe melius hac ratione congrueret? Cur denique reconciliatio noftra morti Chrifti, falus autem noftra ejus in cœlis vitæ, tanquam caufis oppofitis attribuuntur *Rom.* 5. 10.

Quartum eft, quod innumera Scripturæ loca per fe clara & aperta a Socinianis ridiculum in modum torqueantur. An vero in explicando falutis noftræ negotio Spiritui fancto verba defuerunt? An obvia quæque deferi oportet, ut per avia errantes, & in errorem ducentes fequamur?

Quintum eft, quod omnia Chrifti officia, facerdotale fcilicet, propheticum ac regium, fimul permifceant ac confundant, aut potius facerdotale funditus evertant Sociniani, dum oblatum a Chrifto in cruce facrificium negant, illiufque mortem ad folius doctrinæ robur referunt, quod prophetæ eft; & ejus in cœlo interceffionem non in precibus Deo oblatis, fed in potenti & efficaci falutis noftræ procurandæ auctoritate conftituunt, quod regiæ eft poteftatis.

Sextum denique eft, quod fi Socinianis aurem præbemus, oporteat ut a Chrifti apoftolorumque doctrina ftatim univerfa Ecclefia defecerit; plufque unus Socinus cum affeclis fuis paucis ac recentioribus in hoc primario religionis noftræ capite viderit, quam omnes hactenus doctores ingenio acutiffimi, fimul & in Scripturis verfatiffimi. Quod quidem credere ftultitiæ fummæ, fibi vero arrogare intolerandæ fuperbiæ eft.

OBJECTIONES.

Præter illa, quæ jam per tranfennam excuffimus, Socinianorum quædam alia momenta diluenda funt, quæ non attigimus. Tria autem capita funt, ex quibus veluti ex totidem promptuariis, ea eruant. Contendunt enim eam, quam aftruimus, fatisfactionem plane repugnare, five Deus, five Chriftus, five homo ipfe fpectetur: eam quippe non potuiffe a Deo poftulari, nec a Chrifto præftari, nec pro homine exhiberi. Ex illo igitur triplici fonte, triplex oritur objectionum genus.

Objicies itaque 1. Satisfactio repugnat ex parte Dei. Qui enim gratis remittit ac condonat peccata, ei nulla fit fatisfactio. Pugnant enim condonatio gratuita, & fatisfactio accurata. Remiffio quippe fit ex mifericordia, fatisfactio ex juftitia. Ubi mifericordia eft, debitum relaxatur; ubi juftitia, debitum contra exigitur. Atqui Deus in Scripturis fæpe exhibetur ut peccata noftra gratis condonans, *Matth.* 18.

27. *Rom.*

27. *Rom.* 3. 24. *Ephef.* 4. 22. *Coloff.* 2. 13. Ergo nulla ei fatisfactio exhibita eft.

DISTINGUO majorem : qui peccata condonat, ei nulla fit fatisfactio ab eo, cui gratis peccata condonantur ; concedo : ab alio ; nego. Quocirca fatisfactio & gratuita condonatio revera fecum invicem pugnarent, fi ad eamdem perfonam referrentur. Illud autem hic non occurrit. Duplex enim perfona eft : altera quæ fatisfacit ; altera cui gratuita remiffio fit. Satisfactio exigitur a vade : condonatio fit debitori. Ifta porro nedum fibi invicem opponantur, fibi contra illigantur mutuo. Non enim alia mente fatisfactionem pro nobis dependit Chriftus, quam ut nobis poftea gratia fieret. Debita noftra in fe non affumpfit, nifi ut ea a nobis auferret. Atque hoc utrumque luculenter conjunxit Apoftolus ad Rom. 3. v. 24. & 25. ubi fic ait : *Juftificati gratis per gratiam ipfius, per redemptionem quæ eft in Chrifto Jefu, quem propofuit Deus propitiationem per fidem in fanguine ipfius, ad oftenfionem juftitiæ fuæ.* Ibi enim redemptionis pretium divinæ juftitiæ oblatum cum gratuita peccatorum remiffione conciliatur.

INSTABIS 1. Atqui Deus non poteft dici peccata nobis gratis condonaffe, fi juftam a Chrifto tanquam vade noftro fatisfactionem repetiit. Quacunque enim ex parte fatisfactio proficifcatur, is nullo modo dici poteft debitum gratis remififfe, cui pro eodem debito fuerit cumulate fatisfactum. An enim fi centum nummos cuipiam debeam, & illos ei amicus loco meo reftituat, an inquam, creditor ille poteft merito cenferi ac dici debitum mihi gratis relaxaffe? Nequaquam. Ergo pariter fi plene & abunde fuerit a Chrifto pro nobis Deo fatisfactum, non poterit jure Deus dici peccata nobis gratis condonaffe.

NEGO fubfumptum. Ad probationem diftinguo majorem : is non poteft dici debitum gratis remififfe, cui fuerit cumulate fatisfactum, fi agitur de debito reali ; concedo : fi agitur de debito perfonali ; nego. Ubi igitur de rebus agitur, nihil intereft a quo fatisfactio fiat, & perinde eft creditori a quovis demum æs alienum diffolvatur : five ergo a debitore five a fponfore pecunia detur, debitum rite cenfetur effe extinctum. In eo enim genere id tantum fpectatur & curatur ut rerum æqualitas aut inducatur aut reftituatur. At vero, ubi de perfonis fatisfactioni obnoxiis agitur, aliter omnino judicandum eft. Tunc enim noxa caput fequitur, & is qui injuria læfus eft, poteft pro jure fuo id exigere, ut qui peccavit, idem ille faciat fatis. Ut enim perfonam læfam involvit injuria, fic in fatisfactione obeunda viciffim includitur quæ læfit, & ipfa ad pœnam obligatur : ita ut qui læfus eft, fi nolit jure fuo cedere, poffit alium illius loco vadis inftar & fponforis non accipere. Proinde fummæ benignitatis & gratiæ fuit, cum Deus ab eo onere, cui impares eramus, fponte nos liberavit ; omniaque peccata noftra in Jefum Chriftum vadem noftrum tranftulit. Ita factum eft ut gratuita remiffio & jufta fatisfactio fimul confiftere potuerint. Gratuita enim remiffio facta eft homini, cui id indulfit Deus,

ut

ut Filium suum unigenitum daret, & ejus pro alieno peccato satisfactionem acceptam haberet. At satisfactio persoluta est a Christo: atque adeo cum satisfactio non sit exhibita ab eodem a quo debitum contractum fuerat, locus datur divinæ justitiæ respectu Christi, qui pœnas debitas luit, & misericordiæ respectu hominis, cui pœna remittitur, quæ in Christum tanquam vadem transfertur.

INSTABIS 2. Ibi non est veri nominis satisfactio, ubi nihil offertur, quod ab ipso creditore datum non fuerit, & quidem ex animo ut sibi satisfieret. Tunc enim non tam satisfactio, quam remissio fieri censenda est, ut olim monuimus. Atqui Deus nobis dedit Filium suum, qui pro nobis offerretur. Ergo non tam satisfactio, quam tacita quædam condonatio facta esse intelligenda est.

DISTINGUO majorem: non est veri nominis satisfactio ex parte illius, cui id datur; concedo: ex parte illius, qui datur; nego. Quapropter relaxatio reipsa facta est homini, cum ei in sponsorem, & vadem Filium suum contulit Deus. Pœnam enim ab ipso homine Deus repetere poterat; sed ab eodem illo sponsore satisfactionem postulavit & accepit, remissioque facta est debitori, sed satisfactio a vade exhibita est.

INSTABIS 3. Ut dicatur gratis debitum remitti, oportet obligationem sola creditoris liberalitate solvi. At si Deo exhibita est satisfactio, debitum nostrum non fuit sola Dei liberalitate expunctum, sed justitia exigente, utpote soluto pretio. Ergo si gratis remissa sunt hominibus peccata; non potuit Deus pro iisdem a Christo exigere satisfactionem. Ergo.

DISTINGUO majorem: oportet obligationem sola creditoris liberalitate solvi, quoad debitorem; concedo: quoad sponsorem; nego. Gratuita ergo remissio, ut jam diximus, facta est homini debitori. Nihil enim ab eo exegit Deus, & quidquid erat oneris, id in Christum tanquam vadem ac sponsorem transtulit: atque illud satis est ut dicatur homini gratis esse relaxatum debitum: sufficit enim si ei gratis remittatur, a quo contracta est obligatio, licet aliunde ejusmodi obligatio a sponsore repetatur.

INSTABIS 4. Tum posset quidem dici facta esse debitoris commutatio: at non posset dici facta esse gratuita debiti remissio.

NEGO majorem. Debitores enim eramus justitiæ divinæ, ut rei; obligati eramus ad pœnam: hanc jure poterat a nobis reposcere Deus, neque ullum nostri loco sponsorem accipere. Cum autem solvendo essemus impares, Deus ex insita charitate proprium Filium pro nobis dedit. Ergo in his duplex est gratia; prima quod pœnas a nobis pro jure suo non repetierit; altera, quod ad eas ferendas nostri vice Filium suum suffecerit.

INSTABIS 5. At illa remissio debiti fit homini propter satisfactionem Christi. Ergo non est gratuita.

NE-

Nego consequentiam. Duplici enim ex parte nihilominus est gratuita: ac 1. quidem eo quod primus redemptionis nostræ fons fuerit summa Dei charitas, & indulgentia, qua gratis Christum hominibus donavit, cum eo prorsus indigni essemus: 2. quia posita ipsa Christi satisfactione, gratia, qua peccata nostra nobis remittuntur citra ulla nostra merita conceditur.

Instabis 6. Si Christus pro nobis satisfecit, in eo & cum eo censendi sumus, quod debebamus, exsolvisse. Ergo.

Nego antecedens. Non enim nos in Christo & cum Christo legitima satisfactione defuncti sumus, sed Christus pro nobis eam obiit, & loco nostro.

Instabis 7. Deus non potuit legitimam pro peccatis satisfactionem exigere, quin ejus aut misericordia aut potentia obscurarentur. Si enim satisfactionem postulavit, id fecit aut quia aliter noluit, aut quia aliter non potuit peccata remittere. Si noluit, injuria fit ipsius misericordiæ: si non potuit, ejus omnipotentiæ. Ergo.

Nego majorem. Utraque enim contra in isto negotio mirabiliter eluxit: ac 1. quidem misericordia Dei in eo enituit, quod cum inimici essemus, miserit Deus Filium suum ut humanum genus repararet: 2. omnipotentia in eo quod non ferro, sed ligno universum orbem domuerit. Sed de his jam olim.

Objicies 2. Ex parte Christi repugnat satisfactio. Injustum enim est innocentem plecti pro reo. Atqui non potest admitti satisfactio Christi, quin innocens punitus fuerit pro reo. Ergo.

Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: innocens non potest plecti pro reo, si sponsor ejus non fuerit; concedo: si sponsor sit; nego. Quemadmodum enim, ubi de pecunia agitur, æquum generatim non est eum qui nihil debeat, pro eo, qui debet, solvere; & tamen æquum est eum solvere, si sponsorem se constituerit: sic ubi sermo est de reparanda injuria aut pœna luenda. Ex historia enim discimus apud humanissimos etiam populos aliquando obsides esse trucidatos ob violatam ab iis, quorum erant loco, fidem datam. Vide Dionysium Halicarnassæum, *lib. 6.* &c.

Instabis 1. At iniquum est virum innocentem fieri alicujus rei ad pœnam luendam sponsorem. Id enim pugnat cum ratione, lege divina, & omnium gentium non plane barbararum consuetudine. Ac 1. quidem cum ratione. Quis enim ferat, si nocente misso, qui reipublicæ pestis est, sæviatur in innocentem, qui omnium bono ac exemplo vivit. 2. Cum lege divina, quæ id conceptis verbis prohibet, Deut. 24. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur*. Ne quis autem putet id ad Deum non pertinere, sed ad homines duntaxat, Deus hanc eamdem legem sibi ipse imposuit, Ezech. 18. 20. *Anima*, inquit, *quæ peccaverit, ipsa morietur .... Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*. 3. Cum omnium gentium

tium

tium non plane barbararum consuetudine. Ubique enim hæc substitutio iniqua, & noxia visa est, apud Athenienses ex Platone *lib. 9. de legibus* &c apud Romanos *ex codice*, in quo ejusmodi fidejussores sub pœna capitali vetantur. Ergo.

Distinguo antecedens: iniquum est innocentem fieri sponsorem rei alicujus ad luendam pœnam, si non adsit consensus liber aut potestas sufficiens, aut leges prohibeant, aut incommoda consequantur; concedo: secus; nego. Itaque confitemur generatim dici posse illicita esse hominum innocentium pro nocentibus supplicia, idque quatuor de causis. 1. Est, quod in id non consentiant innocentes. At nemo non videt iniquum esse, si homo innocens pro reis, aut etiam cum eis invitus puniatur. 2. Est, quod etiamsi consentiret, non sit potestas sufficiens. Nulli enim homini in vitam sibi a Deo datam potestas competit: nec ulla est a Deo judicibus facta in civium aliorum vitam ac necem, nisi ubi facinus grave ab iis est admissum. Ut ergo nemini licet sibi mortem consciscere; sic nulli judici fas est innocentem hominem etiam volentem in alterius locum capite plectere. 3. Est, quod id humanis divinisque legibus prohibeatur; quæ *supra* recensitæ sunt. 4. Quod multa ex eo in rempublicam incommoda redundarent. Sensim enim sine sensu fieret ut consceleratis hominibus operiretur; bonis autem contra ac probis viris orbaretur in grande humanæ societatis damnum. Atque ea potissimum causa fuit, cur fidejussiones sub pœna capitali tam severis legibus interdictæ fuerint. At si eæ causæ non intercedant, & contrariæ adsint, nihil erit iniqui, si unus in alterius locum ad ferendam pœnam substituatur. Et vero Deus id se facturum non semel denunciavit. Ita Exodi 20. 5. & 34. 7. dicitur *Deus visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. Sic Israelitæ Thren. 5. 10. *Patres nostri peccaverunt*, inquiunt, *& nos iniquitates eorum portavimus*. Quod si exempla conquirimus, an non *Genes. 9. 25.* ob factum Chami devovetur servituti Chanaan filius ejus? An non 2. *Reg.* 21. 29. ob culpam Saulis, suspensi sunt ejus filii ac nepotes? An non 3. *Reg.* 21. 29. & 4. *Reg.* 8. *v. 9. &* 10. prætermisso Achab nocente, tota ejus peccatorum pœna in filios ejus devolvitur? An non *Matth.* 23. 37 Christus Judæis interminatur eorum etiam scelerum pœnas, quæ ab ipsorum majoribus longe antea admissa fuerant? Atque id persæpe a Deo fieri gentiles ipsi noverunt ac diserte notarunt; Plutarchus *de sera numinis vindicta*, Horatius, & alii. Imo vero iidem gentiles idem sibi certis in casibus licitum esse putaverunt. Ita apud Persas ob unius culpam tota peribat propinquitas, teste Ammiano Marcellino. Ita teste Curtio *lib. 6.* apud Macedonas devota erant eorum omnium capita, qui sanguine perduelles contingerent. Ita apud Græcos simul cum tyrannis tyrannorum filii occidebantur, ut perhibent Dionysius Halicarnassæus *lib.* 8, & Tullius *ad Brutum epist.* 15. Quanto magis si innocentes illi se aliorum vades præstitissent? Eo enim in casu morti addici consuevisse fidejussores

fores apud Græcos constat ex historia Damonis & Pythiæ amicorum, & illos etiam vocatos fuisse ἀντιψύχυς De obsidibus jam verba fecimus. Ex historia discimus apud humanissimos etiam populos in more fuisse, ut obsides aliquando trucidarentur ob violatam ab iis, quorum erant loco, fidem: atque id quidem perperam. Potestatem enim sibi arrogabant quæ reipsa sibi non competeret: sed id tamen indicio est his gentibus non visum fuisse iniquum, si, ubi potestas legitima est, homo innocens cum nocente aut etiam ipsius loco certis in casibus puniatur. Quanto ergo magis si nulla exinde incommoda, maxima autem contra commoda consequantur.

Itaque subrogatio ejusmodi omnis incommodi expers erit, & pluribus contra commodis referta; 1. si eam probet omnium vitæ arbiter Deus: 2. si vas ipse substitutioni consentiat: volenti enim non fit injuria: quanto magis si ipse sit pariter supremus vitæ suæ dominus? 3. si legitimum morte sua pretium exolvere possit pro iis, quorum sponsorem agit: esset enim eo injusta subrogatio, quo inutilis: 4. si ab interitu se ipse postmodum longe gloriosius vindicare possit, ita ut nullum ex morte damnum ipse capiat. 5. si possit fontem ipsum, pro quo facit satis, ad meliorem frugem reducere, adeo ut nedum scelera impunitate augeantur in reipublicæ detrimentum, eadem contra compescat in ejus utilitatem ac decus.

At ista in Christum omnia concurrunt. 1. Enim ipsius in locum nostrum subrogationem non tantum probavit Deus; sed etiam ipse nobis eam procuravit, Rom. 8. 32. *Proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 2. Christus ipse in id consensit, Joan. 10. 18. *Nemo tollit eam* (animam meam) *a me, sed ego pono eam a me ipso.* 3. Par fuit exhauriendis generis humani peccatis *Hebr. 9. versu ultimo.* 4. Se ab interitu postmodum majori quam ante gloria vindicavit, Joan. 10. 8. *Potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo iterum sumendi eam.* 5. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Hebr. 10. 14.

Quocirca 1. in ejusmodi substitutione nihil iniqui aut incommodi apparet, si rationem consulas. 2. Nihil etiam erit, si ad legem divinam spectes. Deus quidem *Deut* 24. 16. vetuit ne patres occidantur pro filiis aut filii pro patribus. Sed hæc prohibitio ad solos homines pertinet, non ad Deum ipsum. Nempe cum judices in Scripturis legerent Deum visitare peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem, periculum erat, ne idem sibi licere arbitrarentur. Ideo constituit Deus, ut pœna reum sequeretur, nec unus pro altero puniretur. Quod autem ait Deus *apud Ezech.* 18. 20. id non ad mortem temporalem, sed æternam referendum est, cui unusquisque pro peccatis propriis duntaxat, non pro alienis addicetur. 3. Leges Atheniensium & Romanorum aliorumve non moramur; quippe quæ sapienter quidem institutæ fuerint ad reipublicæ utilitatem; sed in nostro negotio locum habere non possunt.

IN-

Instabis 2. Juxta justitiæ leges; pœna peccatum sequitur. Ergo ibi non potest esse pœna, ubi nullum peccatum est. At in Christo nullum peccatum est. Ergo.

Distinguo antecedens: peccatum inhærens aut imputatum; concedo: inhærens necessario; nego. Hæc quidem est pœnæ natura, ut pro peccato infligatur: sed necessarium non est, ut is qui peccavit, idem puniatur. Potest enim in alterum tanquam vadem transferri. Sic ista præmii natura est, ut pro merito rependatur; sed nihil necesse est ut merces ei ipsi qui meruit tribuatur. Potest enim dari ejus liberis, conjugi, propinquis &c. At pœnam peccatis nostris debitam in Christum conjecit Deus, ut est apud Isaiam, *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* &c. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Ergo citra ullam injustitiæ labem hanc pœnam luere potuit.

Instabis 3. Inde consequens foret Christum fuisse nobis iratum simul & propitium; iratum quia Deus est peccatis læsus, propitium quia pro iis satisfecit. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Distinguo majorem: fuisse simul iratum & propitium diverso respectu; concedo: eodem respectu; nego.

Instabis 4. Si Filius pro nobis satisfecit, plus nos illi debemus quam Patri. Atqui istud ridiculum est. Ergo.

Nego sequelam majoris. Christo enim satisfacere plus non fuit, quam Patri Filium suum dare; neque hujus charitas minor est, quam alterius; cum utrobique maxima sit, ut pote infinita.

Instabis 5. In Scripturis dicitur Christus in exemplum nostrum passus, 1. *Petri* 2. 21. Ergo non est passus ad satisfaciendum pro nobis.

Distinguo antecedens: in exemplum, ita ut alius ejusdem passionis finis non excludatur; concedo: ita ut excludatur; nego. Multiplex fuit mortis Christi finis pro ipsius dignitate. Primarius fuit, ut pro nobis satisfaceret; atque illum persæpe commemorant Scripturæ: secundarius, ut exemplo nobis esset, & hunc exponit Petrus. Utrumque simul agnoscimus.

Objicies 3. Ex parte hominum repugnat satisfactio. Non potuit enim Christus pro hominibus satisfacere, quin mortes innumerabiles oppeteret. Debuit enim id solvere quod ab hominibus debebatur. At innumerabiles hactenus fuerant, sunt etiamnum, & posthac erunt homines, quorum unusquisque pro peccato suo mori debebat. Christus autem semel mortuus est. Ergo.

Distinguo majorem: quin mortes innumerabiles oppeteret, nisi una mors Christi multis aliis æquivaleret, aut etiam præponderaret; concedo: si una mors Christi sit aliis multis æquivalens aut etiam præponderans; nego. At res ita est: quandoquidem mors fuit personæ simpliciter infinitæ. Atque hoc sæpe docet Apostolus in locis *supra* laudatis, cum ait Christum *semel oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata*; *una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos*; *unum esse pro omnibus mortuum*.

In-

Instabis 1. Non potuit Christus pro hominibus facere satis, nisi pœnam feret peccatis nostris debitam. At non tulit. Pœna enim æterna debebatur peccatis nostris. Atqui Christus pœnam æternam non tulit. Ergo.

Distinguo majorem: nisi ferret pœnam peccatis nostris debitam, aut æquivalentem; concedo: eamdem omnino; nego. Nimirum satisfactio est quidem restitutio æquivalentis: at non ejusdem omnino. Porro Christi passiones æternis pœnis æquivalebant. Si enim durationis non fuerunt infinitæ; at certe fuerunt infinitæ dignitatis, propter personam ex qua satisfactio proficiscebatur. Scilicet peccato mortali non debetur pœna per se æterna, sed infinita, propter infinitam gravitatem: adeo ut si peccator infinitæ pœnæ luendæ par esset, necessaria non foret æterna pœna, ut satis pateretur. Quod itaque æterna sit, id ex accidenti est; quia nempe propter debilem hominis conditionem, pœna, quæ gradu esse debebat infinita, nec talis esse poterat, commutata est in pœnam durationis infinitæ. Quocirca ad satisfaciendum, pœna contra durationis infinitæ commutari vicissim potuit in pœnam infinitam. Mors autem Christi, si non physice, at certe moraliter infinita fuit propter personæ divinæ majestatem. Ut enim peccatum physice est quid finitum, moraliter autem est quid infinitum propter dignitatem personæ læsæ quam moraliter involvit; ita satisfactio potuit esse physice finita, modo moraliter infiniti esset pretii, propter personæ satisfacientis infinitam nobilitatem. Nam si actiones juxta vulgare effatum sunt suppositorum, longe potiori jure passiones & satisfactio, quæ eo majoris pretii semper sunt, quo ille major est, qui se deprimit, ut alteri faciat satis.

Instabis 2. Si Christus pro nobis satisfecit, jam non necesse est ut nos ipsi satisfaciamus pro peccatis. Atqui satisfactiones supersunt a nobis obeundæ juxta catholicam fidem. Ergo.

Distinguo majorem: necesse non foret ut nos ipsi satisfaceremus ad promerendam reconciliationem; concedo: ad eam applicandam: nego. Christus reconciliationem nostram morte sua promeruit, & tantum meruit, quantum universo orbi simul ac semel liberando sufficeret. Sed id fieri non potest, nisi meritum singulis applicetur. Hæc autem applicatio partim ab ipsius, partim a nostra voluntate pendet. Ac 1. quidem ab ipsius voluntate. Cum enim posset universos homines ac singulos & a peccatis & ab eorum pœnis liberare, & in æternam gloriam efficaciter adducere: hæc tamen circa omnes & singulos efficaciter non præstat: deinde vero non una ratione erga eos se gerit, quos ad fidem efficaciter vocat. Nam prima quidem vice, hoc est in baptismo, totam satisfactionis suæ vim exerit, peccata & omnes peccatis debitas pœnas liberaliter condonando. Sed ne socordes simus, & ut peccati pondus ac gravitatem sentiamus, voluit ut, si in peccata relabamur, tunc quidem esset infirmitati nostræ post naufragium tabula, hoc est pœnitentiæ sacramentum; sed

ita

ita tamen ut æterna pœna in temporalem mutaretur, & ut nonnisi laborando ad salutis portum perveniamus, meritaque Christi bonis ac laboriosis operibus ad nos applicaremus. Hæc autem opera satisfactiones vocantur, quod iis pœnæ peccatis debitæ eluantur : quæ quidem vim omnem suam trahunt e merito Christi, nedum ipsi officiant.

Instabis 3. Peccati pœnæ sunt omnes humanæ vitæ miseriæ, morbi, calamitates, mors &c. Atqui ab his non liberat nos Christus. Ergo.

Distinguo minorem : ab his non liberat nos Christus quandiu in terris sumus; concedo : nec aliquando liberabit; nego. Quocirca plenam a peccatis, eorumque pœnis omnibus liberationem nobis Christus promeruit; sed gratiam hanc pro sapientia sua dispensat & ordinat; partem in hac vita largitur, non omnem; ut quandiu hic sumus, virtutis exercitationi ac meritis sit locus. At veniet aliquando tempus, cum plenam suis liberationem cum a peccatis tum ab omnibus eorum pœnis largietur.

Instabis 4. Si Christus pro omnibus hominibus satisfecisset, omnes salvi fierent. Atqui non omnes salvi fiunt. Ergo.

Nego sequelam majoris. Ita enim pro omnibus satisfecit, ut ii tamen soli salvi fierent, qui in novitate vitæ ambularent. At non omnes ambulant in novitate vitæ. Ergo omnes salvi esse non debent.

ARTICULUS II.

An Christi pro nobis satisfactio perfecta, & ad strictos justitiæ apices fuerit.

Christi satisfactio potest duplici modo perfecta cogitari.

Ac 1. quidem ita ut nullus exinde relinquatur privatis hominum satisfactionibus locus.

2. Ita ut duntaxat censeatur esse prædita omnibus conditionibus ad veram & legitimam satisfactionem requisitis, & a nobis *supra*, *Quæst.* 11. expositis.

Calviniani contendunt Christi satisfactionem priori sensu esse perfectam; indeque ansam arripiunt catholicis insultandi, quasi Christo simus injurii, & ejus satisfactionis vim elevemus, cum statuimus hominem baptizatum & in peccata relapsum, pro iis satisfacere posse ac debere. Sed de hoc impræsentiarum non disputabimus. Pertinet enim hæc dissertatio ad pœnitentiæ sacramentum.

Hic igitur unum illud inquiremus, an omnes ad veram ac legitimam satisfactionem requisitæ conditiones in Christi satisfactione reperiantur. Quod quidem non mediocri animorum contentione in scholis agitatur. Quamvis enim omnes theologi definiant Christi satisfactionem fuisse sufficientem; attamen illi secum invicem altercantur, ubi res est speciatim enucleanda. Alii enim censent eam non fuisse per se perfectam & idoneam, sed ex sola Dei liberalitate, qua eam ratam habere sponte di-

te dignatus est. Alii existimant eam fuisse per se dignam & idoneam, sed tamen non ex justitiæ virtute profectam. Alii denique ex justitia quidem eam profluxisse; sed ipsam tamen non fuisse ad strictos justitiæ apices exactam, quod aliqua ex iis, quas stricta justitia postulat in satisfactione, conditionibus, ei defuerit.

SECTIO I.

An Christi satisfactio æquivalens fuerit aut etiam superabundans.

ASSERTIO I.

CHRISTI satisfactio æquivalens ac sufficiens fuit.

PROBATUR 1. variis momentis ex Scriptura depromptis.

Ac primo quidem ex dignitate personæ satisfacientis. Duo enim esse debebant in persona pro humano genere satisfaciente: sanctitas perfecta, & valor infinitus. At utrumque in Christo occurrit. 1. Enim in eo fuit sanctitas exquisita, ut jam ostendimus. 2. Ejus opera in satisfactionem oblata infiniti fuerunt pretii. Valor enim satisfactionis desumitur ex persona satisfaciente, ut gravitas injuriæ ex persona læsa. At persona Christi, quæ satisfecit, est infinitæ dignitatis. Quod autem hæc Christi persona in satisfactionis partem venerit ex Apostolo colligitur ad Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

Secundo ex unitate oblationis & sacrificii Christi. Ut enim *supra* diximus, & liquet *ex cap. 7. 9. & 10. ad Hebr.* Apostolus ex eo colligit vetera omnia sacrificia non fuisse sufficientia, quod eorum oblatio aut quotidie aut quotannis iteraretur. Ex eo autem contra colligit perfectum ac sufficientissimum fuisse Christi sacrificium, quod Christus semel oblatus sit, & una ista oblatione exhauserit peccata & consummavit in sempiternum sanctificatos.

Tertio ex fructibus ejusdem satisfactionis. Ut enim perfecta & sufficiens esset satisfactio, debuit esse, 1. perfecta Dei cum hominibus reconciliatio; 2. plena peccatorum expiatio; 3. expleta hominum redemptio. Tres enim illos, ad Deum videlicet, peccatum, & hominem respectus habet satisfactio. Atqui hi fuerunt fructus Christi satisfactionis. 1. Enim Deum cum hominibus reconciliavit, *Rom.* 5. 10. & 2. *Cor.* 5. 18. 2. Expiavit peccata nostra, *Ephes.* 1. 7. *Hebr.* 1. 3. 3. Humanum genus redemit, *Hebr.* 9. 12. &c.

PROBATUR 2. ex Patribus, quorum testimonia vide. *Quæst. II. de Incarnationis necessitate, art. 2. sect. 5. cap. 2.* Unus jam satis erit Cyrillus *lib. 1. de fide ad Reginas* sic ajens, " Solus sufficit, qui super „ omnes est.

OBJICIES 1. Illa satisfactio non fuit sufficiens ac perfecta, cui aliquid defuit. Atqui passioni Christi aliquid deest. Apostolus enim Coloss. 1. 24. *Adimpleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. Ergo.

DISTINGUO majorem : cui aliquid deest in se; concedo : in carne nostra; nego. Plenæ ergo fuerunt Christi passiones quoad meritum. Ejus enim valoris extiterunt, qui orbi & a peccatis & ab omnibus malis liberando sufficeret, quod statim præstare singulis potuisset si voluisset; in cœlis autem præstabit omni ex parte : sed interim quædam reliquit, quæ in carne nostra pateremur, cum ut merita ejus ad nos hac via applicaremus, tum ad agonem majusque meritum. Cæterum quando patimur, in nobis pati Christus censetur, ut caput in membris. Qua ratione Christus ipse Paulum Christianos persequentem alloquens Act. 9. 5. *Quid me*, inquit, *persequeris?* Utroque igitur modo Apostolus implebat in carne sua, quæ deerant passionum Christi. 1. Enim eas ad se applicabat. 2. Pro parte sua illud explebat in carne sua, quod superest Christo patiendum in membris suis ad mundi usque finem. Ea enim vis est græcæ locutionis.

OBJICIES 2. Illa satisfactio æquivalens non fuit, quæ non fuit infinita. Atqui satisfactio Christi ex actionibus finitis constabat. Ergo.

DISTINGUO minorem : ex actionibus finitis quoad entitatem; concedo : quoad valorem; subdistinguo : quoad valorem aliquem; concedo : quoad omnem; nego. Duo ergo in illis actionibus distinguenda sunt, entitas nimirum, & valor : neque enim valor entitatem necessario sequitur, aut ejusdem est cum ipsa gradus & conditionis. Sic una eademque moneta non semper unius ejusdemque valoris est. Nempe entitas est aliquid physicum; valor autem aliquid morale. Quare actiones quidem ipsæ Christi humanitatis, ex quibus constabat ejus satisfactio, finitæ quidem fuerunt quoad entitatem; sed nihilominus infiniti esse potuerunt valoris & pretii.

Ut autem innotescat qua ex parte fuerit infinitus valor; triplex in satisfactione secerni potest valor : 1. Objectivus, qui in ipsa actionis entitate, nisu voluntatis, objecto circa quod versatur, & modo quo in illud tendit positus est. 2. Radicalis, a persona ipsa quæ in satisfactione subjicit, repetitus. 3. Est derivatus ex principiis ex quibus actio manat. Principium autem quadruplex, *quod* nimirum, & *quo* : & principium *quo* aliud est substantiale, nempe natura; aliud accidentale, nempe habitus, gratia &c.

Jam ut ad Christum hæc omnia applicemus.

Certum est 1. valorem objectivum illius satisfactionis, prout *supra* expositus est, non fuisse infinitum : actiones enim finitæ erant, nisus voluntatis finitus, modus tendendi in objectum pariter finitus, & objectum persæpe finitum.

Certum est 2. valorem radicalem a persona repetitum, fuisse infinitum.

tum. Persona enim satisfactione involvitur, tum ut offerens, tum ut oblata. Utroque autem modo Christi persona in ea, quam pro nobis obiit, satisfactione includebatur. Ac 1. quidem, ut offerens, quia se ipsa humiliavit. Unde Apostolus de Christo Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum*. 2. Ut oblata. Ut enim idem pronunciat Apostolus 1. Tim. 2. 7. *Christus dedit semetipsum in redemptionem pro omnibus*. Proinde utroque etiam modo ejusmodi satisfactioni valorem contulit infinitum Christus: & contulit quidem ejusmodi valorem, quatenus persona offerens. Satisfactio enim, ut scholæ loquuntur, reflexiva est supra suppositum, & illud involvit. At persona Christi offerens erat infinitæ dignitatis: atque adeo totam illam in satisfactione effudit. Sed non minorem valorem contulit, quatenus oblata persona. Ea enim ex parte pariter est infinitæ dignitatis. Hinc S. Thomas *quæst*. 48. *act*. 2. ait Christum " Majus aliquid exhibuisse, quam exigeret compensatio totius humani generis propter dignitatem vitæ suæ quam in satisfactione posuit. " Hinc Clemens VI. *infra* laudandus ait unam Christi sanguinis guttam abluendo orbi sufficere potuisse propter unionem ad Verbum. Quibus consentit synodus Tridentina *sess*. 22. *c*. 2. Ideo vero est ex re oblata infinitus valor, quod Christus offerens in eam plenum & absolutum dominium haberet. Hoc enim dominium necessario requiritur: alias quippe non esset oblationis infinitus valor. Sic B. Virgo Christum potuit offerre Patri æterno; nec tamen istius oblationis valor infinitus extitisset, licet res oblata infinitæ esset dignitatis; quia nempe ipsa B. Virgo offerens non habebat in Christum plenum & absolutum dominium.

Certum est 3. valorem ex principiis satisfactionum Christi derivatum non fuisse unius modi; quia videlicet principia ipsa non erant ejusdem dignitatis. Principium enim *quod*, erat ipsa persona Christi; principium *quo* substantiale duplex erat, ambæ nimirum naturæ, divina & humana; principium *quo* accidentale erat gratia accidentalis, quæ Christo inerat. Porro ex principiis actiones peculiarem dignitatem trahunt. Sic Genes. 4. 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*: quia vir sanctus erat. Sic hominis justi opera non mediocrem a gratia habituali, quæ illi inest, valorem habent. Quod cum ita sit; jam facile est de valore derivato in Christi satisfactionem judicare. Valor enim derivatus a principio *quod*, nempe a persona, infinitus fuit; valor derivatus a principio *quo* substantiali primario, hoc est a natura divina, similiter infinitus fuit; valor derivatus a principio *quo* substantiali secundario, seu a natura humana, finitus fuit, ut & valor derivatus a principio *quo* accidentali seu a gratia, cum hæc natura sua finita sit.

Instabis 1. Ut esset infinitus valor personalis, debuisset persona ipsa Christi sese subjicere ad satisfaciendum. Atqui persona divina non potest sese subjicere. Ergo.

DISTINGUO minorem: persona divina seorsum spectata non potest sese subjicere; concedo: conjuncta humanitati; nego. Christus enim haud dubie persona divina est. Atqui juxta Apostolum Philip. 2. *Christus cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, ... & humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Ergo.

INSTABIS 2. Ubi plures causæ quidpiam producunt, effectus sequitur debiliorem partem, ut in logicis conclusio. Sic homo est finitæ perfectionis, licet ab homine simul, & a Deo producatur. Atqui satisfactio Christi, ut modo notatum est, a pluribus principiis manavit, quorum multa finita sunt. Ergo satisfactio debuit esse simpliciter finita.

DISTINGUO majorem: ubi plures causæ quidpiam producunt physice; concedo: ubi una physice, altera moraliter, aut omnes moraliter; nego. Itaque cum plures causæ effectum aliquem physice simul producunt, tunc effectus causæ inferioris conditionem sequitur, & superior inferiori vim suam attemperat. Sed cum una causa agit physice, altera moraliter, tunc veluti seorsim agunt: atque adeo dum una entitatem finitam producit, altera potest ipsi valorem infinitum conferre. Porro in satisfactione pro nobis exhibita, humanitas quidem physice egit, actiones eliciendo, & materiam ministrando: at persona Verbi & natura divina moraliter.

INSTABIS 3. Creatio mundi, & Lazari suscitatio non acceperunt valorem infinitum a suppositis a quibus illæ actiones profectæ sunt. Ergo &c.

NEGO consequentiam & paritatem. Hoc enim discrimen est inter satisfactiones & cæteras actiones, quod suppositum sit extrinsecum quid cæteris actionibus: at in satisfactione contra suppositum ipsum moraliter involvitur.

INSTABIS 4. Valor qui ex persona Verbi & natura divina in Christi satisfactionem derivatus est, limitari debuit ab objecto, & voluntate humana Christi. Non minus enim limitari ab iis debuit, quam limitetur gratiæ habitualis influxus in homine justo. Atqui licet homo justus intensissimam habeat charitatem; non tamen est semper intensissimum opus, propter debilem nisum voluntatis, & alia id genus, quæ influxus vim frangunt. Ergo pariter necesse non est ut infinitus fuerit valor satisfactionis, quia infinita erat persona satisfaciens.

NEGO majorem. Ad probationem, nego iterum majorem; & paritatem. Discrimen est, quod gratia & charitas justi subsint libero hominis arbitrio. Adeoque nihil mirum si homo intensissima charitate præditus remissos persæpe actus eliciat. At persona Verbi non tantum infinita est, sed etiam necessario sese communicat in satisfactione: atque adeo valorem quoque necessario confert infinitum.

INSTASBIS 5. Si Christus necessario communicaret valorem infinitum actio-

actionibus suis, una ejus actio esse non posset nobilior aut dignior altera, & una tanti pretii foret, quanti sunt omnes simul junctæ. Atqui hæc absurda sunt.

DISTINGUO majorem: una actio esse non posset nobilior altera, quoad valorem personalem; concedo: quoad objectivum aut derivatum; nego. Fatemur itaque, si spectetur valor personalis, unam Christi actionem non fuisse nobiliorem altera. Ut enim in omnibus eadem persona erat, sic omnium ex eadem parte idem valor fuit: sed varius esse potuit valor objectivus pro varia objecti dignitate, varioque voluntatis nisu, aliisque id genus. Idem judica de valore derivato, non quidem ex natura divina sed ex aliis principiis.

OBJICIES 3. Illa satisfactio non est sufficiens, quæ debiti partem quamdam gratis remissam supponit. Atqui talis est Christi satisfactio. Namque debitum quoddam erat peccato contractum carendi redemptore. Atqui tale debitum gratis condonatum est. Sponte enim Deus, & citra ullius merita nobis largitus est Filium suum in redemptorem.

NEGO minorem. Ad probationem.

RESPONDEO 1. quosdam theologos arbitrari non esse tale debitum positivum, ita ut peccatores homines non mererentur quidem salvatorem, sed ipso tamen carendi debitum non contraxissent.

RESPONDEO 2. Christum, si quod ejusmodi debitum fuit, illud infinita sua satisfactione exhausisse.

OBJICIES 4. Illa satisfactio non fuit sufficiens, quæ indiguit libera Dei acceptatione. Atqui talis fuit satisfactio Christi. Poterat enim Deus ab ipso homine reo satisfactionem postulare, & in alienam personam non consentire.

DISTINGUO majorem: quæ libera Dei acceptatione indiguit propter insufficientiam pretii; concedo: quæ indiguit tantum propter alienæ personæ rationem; nego. Satisfactio dici potest dupliciter indigere liberali creditoris acceptatione: ac 1. quidem si minus justo pretium fuerit, & tamen sponte & liberaliter acceptatum: 2. si pretium quidem sit sufficiens, imo & abundans; sed recusari possit persona quæ solvit. Satisfactio Christi priori modo non indiguit liberali Dei acceptatione: pretium enim non modo sufficiens, sed etiam abundans persolvit. At posteriori modo indiguit. Poterat enim Deus pro jure suo reum plectere: proinde acceptam non habere alienam satisfactionem, quantumlibet ex se sufficientem. In eo enim satisfactio a restitutione distinguitur: scilicet pœna ab ipso reo lui debet, & injuria, cum in contemptu posita sit, non deletur nisi contrario, cum interno animi judicio, tum externo opere ejusdem hominis, a quo contumelia profecta est. Quod ergo aliena persona ad satisfactionem admittatur, illud est gratuitæ liberalitatis. Neque tamen id officit perfectæ satisfactioni. Non enim illa acceptatio necessaria est ad supplendum

pretium, sed ad præstandum consensum in persona, quæ recusari poterat. Quapropter acceptatio illo in casu mere extrinseca est, non vero intrinseca satisfactioni. Nihil enim condonatum est Christo, ut pote qui parem offensæ satisfactionem exhibuerit, imo & majorem. Sed id duntaxat est indultum homini reo, ut cum satisfactioni ipse impar esset, redemptorem haberet, quo privari poterat. Deus ergo potuisset ejusmodi satisfactionem non accipere, non quod idonea non esset, sed quod non esset rei ac debitoris: non quod imperfecta, sed quod aliena existeret. At id tamen non impedit quominus ipsa satisfactio per sese sufficientissima fuerit. Nihil enim remissum est de pretio, quod solum est essentiale satisfactioni.

ASSERTIO II.

SATISFACTIO Christi non solum sufficiens fuit; sed etiam superabundans.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Ad Romanos enim 5.15. sic ait Apostolus, *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu-Christi in plures abundavit*. Et vers. 20. *Ubi abundavit delictum superabundavit gratia*.

PROBATUR 2. ex Patribus.

Gregorius Nazianzenus *orat.*41. "Nullum, inquit, prodigium cum salu-
„ tis nostræ miraculo conferendum est; in quo exiguæ cruoris guttæ orbem
„ universum instaurarunt.

Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 13. "Non tanta erat, inquit peccan-
„ tium iniquitas, quanta pro illis morientis (Christi) justitia. Non tan-
„ tum nos peccavimus, quantum ille juste egit.

Chrysostomus *hom. in epist. ad Rom.* "Multo majora iis, quæ debebamus
„ dependit Christus. Atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad
„ pusillam guttam collatum majus esse possit.

S. Anselmus *lib. de conceptu virginali & peccato originali cap.*22. "Deus,
„ inquit, non exigit ab ullo peccatore plusquam debet: sed quoniam nullus
„ potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus, qui
„ salvantur, plus quam debent.

PROBATUR 3. auctoritate Clementis VI. summi Pontificis *in Extravaganti* Unigenitus, *lib.*5. *Extravagantium communium, tit. 9. cap.*2. ubi ait Christum, "Cum gutta modica sanguinis illius, propter unionem ad
„ Verbum, pro redemptione totius humani generis, sufficere (posset,)
„ copiose velut quoddam profluvium effudisse, ... ut thesaurum militanti
„ Ecclesiæ acquireret (quo indulgentiæ innituntur)... De cujus consum-
„ ptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, propter infini-
„ ta Christi merita.

PROBATUR 4. consensione omnium theologorum, quibus præivit Sanctus

ctus Thomas *quæst.* 48. *art.* 2. *in corpore*, ubi sic ait : " Passio Christi „ non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis „ humani generis.

Probatur 5. ratione. Persona enim Christi in satisfactione inclusa longo intervallo superat quamlibet peccati gravitatem. Ut enim demus hanc esse infinitam; est certe illa peccati infinitas aliquid duntaxat ex Deo derivatum. At Christus ipse Deus est. Deus autem longe superat id omne quod ab ipso derivatur. Ergo.

Objicies. Si Christi satisfactio superabundans fuit, frustra Christus totum sanguinem fudit, cujus vel minima gutta redimendo humano generi par erat : frustra mortem obiit, cum nulla esset actio, quæ ad id operis idonea non foret. Atqui frustra hæc non fecit Christus, imo *Oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam.* Quin etiam mandatum ea de re impositum ipsi fuerat. Ergo.

Distinguo minorem : oportuit pati Christum ex decreto spontaneo; concedo : ex rei ipsius necessitate ; nego. Itaque non negamus vel una sanguinis gutta redimi potuisse genus humanum, si res ipsa per se spectetur; sed Deus voluit ut non nisi Christi morte expiatio perficeretur. Hinc apud Isaiam cap.53.10. Deus de Messia venturo loquens, *Si posuerit*, inquit, *pro peccato animam suam* &c. Hinc Christus *Hebr.* 10. 5. dicitur sese in locum victimarum pro peccato obtulisse. Hinc idem Christus *Joan.* 10. 18. profitetur se moriendi mandatum a Patre accepisse. Cur autem Deus id voluerit, tres inter alias causæ afferri possunt. 1. Est, quod pœna peccati præcipua sit mors, Rom.6. 23. *Stipendia peccati mors* : pœnam autem peccato debitam perferre debuerit Christus tanquam sponsor noster. 2. Quod id iræ divinæ pondus, & peccati gravitatem luculentius demonstraret. 3. Quod hoc ipsum summam Dei erga nos charitatem apertius ostenderet. Primam tangit S. Augustinus *serm.* 101. *de tempore*, " Mors, in„ quit, nisi a morte superari non poterat: ideo mortem Christus sustinuit, „ ut injusta mors justam vinceret mortem, & liberaret nos juste, dum pro „ eis occidebatur injuste.

SECTIO II.

An satisfactio Christi fuerit ex vera justitia.

ASSERTIO.

Satisfactio Christi ex vera justitia fuit.

Probatur 1. ex Scripturis. Rom.enim 3.25. de Christo loquens Apostolus, *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ.*

Probatur 2. ex Patribus, quorum cum plurima jam testimonia *Quæst.* 2. protulerimus eam in rem, nunc erimus contenti paucis.

Augustinus *lib.3. de lib. arb. c.10.* " Dei unicus Filius, inquit, Dia-
„ bolum homine indutus, ... subjugavit, nihil ei extorquens violen-
„ to dominatu, sed superans eum lege justitiæ. " *De Trinit. lib. cap.13.*
" Placuit Deo, inquit, ut propter eruendum hominem de Diaboli pote-
„ state, non potentia Diabolus, sed justitia vinceretur.

Sanctus Leo *serm.12. de passione*, " Ad dominationem Diaboli destituen-
„ dam, inquit, magis usus est justitia rationis, quam potestate vir-
„ tutis.

Sanctus Gregorius Magnus *lib. 17. Moral. cap. 15.* " Fecit, inquit,
„ pro nobis sacrificium, qui corpus suum exhibuit pro peccatoribus
„ victimam sine peccato; quæ & humanitate mori, & justitia mun-
„ dare potuisset.

PROBATUR 3. ratione. Justitiæ enim est circa jus versari, & debitam æqualitatem aut inducere aut restituere. Atqui ejusmodi fuit Christi satisfactio. Honos enim Dei peccato læsus fuerat, & eum jure suo Deus reparari voluit. Ut autem æqualitas restitueretur, opus erat infinita quadam submissione, ad quam jus habebat Deus. Utrumque præstitit Christus. Honorem enim Dei reparavit, & quidem infinita submissione. Ergo.

OBJICIES 1. ex Aristotele *lib. 5. Ethic. ad Nicomachum cap. 6.* Inter patrem & filium, dominum & servum, nulla justitia intercedit. Atqui Christus filius est & servus Dei. Ergo.

DISTINGUO majorem: nulla justitia intercedit, qua parte filius & servus non habent distinctum dominium; concedo: qua parte habent; nego. Filii-familias quandiu sub cura parentum degunt, eorum veluti pars reputantur: atque adeo inter utrosque nulla justitia intercedit, quià scilicet non sunt bona distincta. Sic eamdem ob causam nulla intercedit justitiam herum inter & servum, qui nihil habeat quod heri non sit. At si filius bona castrensia, ut loquuntur, accipiat, aut emancipatus fiat sui juris; si servus peculium habeat; tunc patrem inter & filium, herum inter & servum, datur justitiæ locus. Christus porro, quatenus satisfecit, sui omnino juris fuit.

INSTABIS 1. Hominis ad Deum nulla esse potest proprie dicta justitia, quia nulla potest esse æqualitas. Atqui Christus satisfecit ut homo. Ergo.

DISTINGUO majorem: hominis meri; concedo: hominis Dei; nego. Homo enim Deus potest æqualitatem inducere aut restituere. At Christus satisfecit ut homo Deus.

INSTABIS 2. Ubi justitia est, ibi non opus est liberali acceptione. Atqui ea opus fuit. Ergo.

DISTINGUO majorem: non opus est acceptione, si de re pecuniaria quæstio sit; concedo: si de pœnis; subdistinguo: si eas reus ipse luat; concedo: si alter ejus loco; nego. Sed de his jam satis.

OBJICIES 2. Ejusdem sunt generis satisfactio & peccatum. At peccatum,

catum, pro quo satisfecit Christus, non omne contra justitiam fuit: alias omni peccato injustitia implicaretur, sicque duplex esset in quolibet peccato malitia. Ergo.

Nego majorem. Neque enim necesse est, ut quod titulum justitiæ fundat, id ad justitiam pertineat. Sic qui ex animi fortitudine egregium aliquod in exercitu, ubi præmia proposita sunt edit, jus habet ad præmium, quod ei deinceps juxta accuratas justitiæ leges est rependendum. Itaque pariter, licet quodlibet peccatum per sese non sit injustitia proprie dicta; attamen quia peccati consectarium quoddam est divini honoris violatio, jus habet Deus ad reposcendam satisfactionem, quam qui præstat, is profecto justitiæ partes exequitur.

SECTIO III.

An satisfactio Christi fuerit juxta strictos justitiæ apices.

Quandoquidem probavimus satisfactionem Christi non modo fuisse sufficientem, sed etiam superabundantem, eamque ex justitia profectam esse, nihil amplius superest, quam ut cæteras satisfactionis conditiones expendamus, & videamus, an illæ in satisfactione Christi occurrant, id est an illius satisfactio non tantum æquivalens fuerit, sed etiam ex propriis, ex indebitis, & ad alterum.

An Christi satisfactio fuerit ex propriis.

ASSERTIO.

Christi satisfactio fuit ex propriis.

Probatur 1. ex Scripturis. Joannis enim cap. 12. 17. Christus sic ait, *Ego pono animam meam: nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso*. Eo enim indicat id penes se fuisse & in sua prorsus potestate.

Probatur 2. ratione. Ille enim ex propriis satisfacere censendus est, qui iis satisfacit, quæ sunt juris sui singularis. Atqui Christus iis satisfecit, quæ ipsius erant juris singularis. Illius enim satisfactio duo simul complectebatur, personam scilicet, quæ satisfaciebat, & opera quibus satisfaciebat. Atqui persona satisfaciens propria haud dubie Christi fuit; opera vero, si non quoad entitatem, saltem quoad pretium & valorem, ab eo uno erant. Aliunde vero ipsius insuper erant ob jus peculiare quod ex unione hypostatica Verbum divinum in humanam naturam acquisierat.

Objicies. Illa satisfactio non sit ex propriis, quæ fit ex gratia creditoris. Atqui satisfactio Christi facta est ex gratia unionis hypostaticæ. Ergo.

Dis-

Distinguo majorem: quæ fit ex gratia creditoris, pretium aut pretii partem supplente; concedo: tanquam conditione tantum prævia & in pretium non influente; nego. Et quidem si gratia unionis pretium daret, aut ejus partem suppleret, certe satisfactio non esset saltem tota ex propriis. At res ita non est. Neque enim unio hypostatica valorem ullum confert; sed persona Verbi: atque adeo cum unio illa sit tantum quid antecedens satisfactionem, & conditio prævia, non potest eo dici satisfactio non esse ex propriis.

Instabis 1. Ea saltem satisfactio non est ex propriis, quæ fundatur in gratia data ad satisfaciendum. Atqui satisfactio Christi ex modo dictis fundatur in unione hypostatica: isthæc autem unio hypostatica eo consilio facta est, ut Christus pro nobis satisfaceret. Ergo.

Distinguo majorem: in gratia data ad satisfaciendum, si qui exinde satisfacit, is nihil addat quod suum sit & sufficiens; concedo: si addat quod & suum sit & sufficiens; nego. Fingamus enim v. g. debitorem industrium, qui centum nummos debeat, quibus solvendis sit impar; ei autem creditorem alios insuper centum nummos commodare, ut eos pro industria in mercaturam impendat, & ex lucro sibi satisfaciat: certe debitor ille, si postmodum opera sua tantum lucretur, quantum necesse est utrique nomini extinguendo, poterit accurate satisfacere. Christus autem talis fuit. Semel enim posita unione hypostatica, hujusmodi pretium exinde obtulit e suo, quod idoneæ satisfactioni exhibendæ sufficientissimum foret.

Instabis 2. Christus satisfecit actionibus humanis. Atqui illæ actiones erant sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis. Ergo.

Distinguo minorem: erant sub communi dominio quoad entitatem; concedo: quoad pretium; subdistinguo: quoad pretium aliquód; concedo: quoad omne; nego. Recole quæ de multiplici satisfactionis Christi valore *supra* diximus. Porro ubi de satisfactione agitur, res non tam spectantur quoad entitatem, quæ illius est materia, quam spectentur quoad valorem, quæ ipsius forma est. Potest enim quis alteri facere satis solum pretium conferendo. Ita rex, qui decem millia nummorum cuipiam privato debeat, & totidem postea ab eodem acceperit, potest utrique simul nomini facere satis, decem millia duntaxat nummorum persolvendo, quæ postremo mutuatus est, si eorum valorem duplo augeat. Jam vero licet actiones quibus satisfecit Christus, essent totius sanctissimæ Trinitatis, quoad entitatem; non erant tamen illius, quoad valorem omnem qui illis inerat. Nam præter valorem finitum derivatum ex principiis humanis, præter valorem infinitum derivatum e natura divina humanam regente (qui uterque pertinebat indivisim ad tres simul divinas personas) erat duplex valor personalis & uterque infinitus, radicalis nimirum & derivatus, qui solius erat Christi satisfacientis. Ut autem quis satisfaciat, satis est si in re obla-

ta

ta partem quamdam sibi propriam habeat ad pretium idoneum sufficientem. Ita si ejusdem fundi duo sint domini, potest alter alteri ad satisfaciendum parte sibi propria cedere.

INSTABIS 3. At principium satisfactionis, nempe natura humana, est sub communi dominio sanctissimæ Trinitatis. Ergo.

DISTINGUO antecedens: principium elicitivum *quo*; concedo: principium elicitivum *quod*, & influxivum pretii: nego. Nam principium elicitivum *quod*, & principium valoris influxivum, est ipsa Verbi persona, quæ sui juris est.

INSTABIS 4. Christus ipse est a tota simul Trinitate. Ergo.

DISTINGUO antecedens: Christus ut est aliquid compositum e duabus naturis; concedo: ut est persona Verbi; nego. Porro valorem confert, quatenus est persona Verbi.

INSTABIS 5. At Christus, ut persona Verbi, est & Patris. Ergo.

DISTINGUO antecedens: est Patris, ita ut ab ipso non pendeat & nihilominus sit sui juris; concedo: secus; nego.

INSTABIS 6. Entitas actionum in ipsam satisfactionem ingreditur. Atqui illa est sub communi dominio sanctissimæ Trinitatis. Ergo pars aliqua saltem ejusmodi satisfactionis non est ex propriis.

DISTINGUO majorem: in satisfactionem ingreditur ut materia, & quid minus præcipuum; concedo: secus; nego. At, ut jam diximus, potest quis satisfacere, eo quod alterius sit quoad entitatem, modo pretium idoneum conferat. Adde quod Christus non tantum id quod ex humanitate proficiscebatur, sed etiam seipsum suamque personam in satisfactionem obtulerit.

An Christi satisfactio fuerit ex indebitis.

CHRISTI satisfactio fuit ex indebitis.

PROBATUR 1. ex dictis. Illa quippe erant indebita, quæ absoluto & singulari Christi dominio subjacebant. Atqui, uti modo demonstratum est, Christus iis satisfecit, quæ ipsius absoluto ac singulari dominio suberant. Ergo.

PROBATUR 2. Ille censendus est ex indebitis satisfecisse, qui in satisfactionem plus obtulit, quam esset necesse ad omnia vel sua vel nostra debita expungenda. Atqui id præstitit Christus. Obtulit enim seipsum, hoc est aliquid pretii in se simpliciter & omni ex parte infiniti. At debita nostra, id est peccata, quæ eluenda susceperat, non erant eo modo infinita: beneficia vero quæ in humanitatem Christi a Deo collata fuerant, finita omnia erant; vel quoad entitatem, verbi causa, gratia & scientia &c; vel quoad modum, ut communicatio divinitatis; vel infinita tantum potentia, ut unionis hypostaticæ jugis ac sempiterna continuatio. Ergo.

OBJICIES 1. Illa satisfactio ex indebitis non est facta, quæ Deo debe-

debebatur variis titulis, gratitudinis nempe, religionis, obedientiæ, justitiæ. Atqui actiones quibus Christus satisfecit, ut pote creatæ & humanæ, Deo jam debebantur variis his titulis. Ergo.

DISTINGUO majorem: debebatur quoad entitatem & quoad pretium; concedo: quo ad entitatem duntaxat; nego. Adde quod præcipua res oblata in satisfactione sit ipsamet Verbi persona, quæ nulli debetur aut subest.

OBJICIES 2. Infinita debebat Christus Deo ob collata in se beneficia. Tantum enim debebat, quantum acceperat, At acceperat unionem hypostaticam, quæ infinitum beneficium est. Ergo.

NEGO majorem. Ad probationem, distinguo minorem: unio hypostatica infinitum erat beneficium ratione termini, hoc est personæ Verbi, cui natura humana conjuncta est; concedo: ratione sui & modi; nego. Finita enim in se erat, quia finito duntaxat modo divinitas sese cum humana Christi natura communicavit.

An satisfactio Christi fuerit ad alterum.

OBSERVANDUM est 1. juxta quosdam theologos Christum Patri æterno & Spirituisancto tantum satisfecisse, non autem sibi; quippe qui illud quod sibi debebatur, gratis hominibus condonare voluerit.

Observandum est 2. si res ita esset nullum dubium esse posse, quin ejus satisfactio fuerit ad alterum.

Observandum est 3. illud quidem facillimum fore; sed verum non videri: Christus enim Deo satisfecit, & Deum hominibus reconciliavit, ut ait Apostolus, atque adeo simul toti sanctissimæ Trinitati satisfactionem exhibuit; quod & asseverant Augustinus *in psal. 29.* & *lib. 13.de Trinitate*, Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap. 2.* &c. Nempe peccatum communem trium personarum majestatem, communiaque præcepta violaverat: ad communem earumdem misericordiam spectabat peccatorum illorum remissio: proinde Christus, cum cæteris, tum sibi ipse satisfecit.

Quod cum ita sit, non mediocris inde exoritur difficultas, quo pacto ea ex parte ipsius satisfactio ad alterum esse potuerit.

ASSERTIO.

CHRISTI satisfactio, qua parte sibi ipse satisfecit, quantum necesse erat, fuit ad alterum.

PROBATUR. Satisfactio enim tunc, quantum satis est, censetur esse ad alterum, quando, qui sibi ipse satisfacit, distincta habet bona ac dominia, & duplicem personam gerit. Hæc enim duo necessaria sunt. 1. Quippe requiruntur distincta bona ac dominia: quia satisfactio est ex propriis, quæ ad alterum transferuntur, ut illius sint. 2. Requiritur per-

sona

sona virtualiter saltem duplex, ut sit aliqua satisfacientem inter & eum cui satis fit, distinctio, deturque justitiæ locus, quæ non est ejusdem ad seipsum, ut ait Aristoteles *lib.* 5. *Ethic. cap.* 1. Ea autem virtualis distinctio sufficit. Sic in republica supremus magistratus, qui ex ærario publico aliquam pecuniæ summam extraxisset in communes usus, ab omnibus postmodum pro rata portione ærario restituendam, posset ut privatus debitam a se pecuniæ partem solvendo, sibi ut reipublicæ principi facere satis, quia duplex sustinet nomen. Atqui in Christo duplex est virtualiter persona, & duo distincta dominia, quia duæ sunt naturæ, duæ voluntates, duplicisque generis actiones. Ergo ejus satisfactio fuit ad alterum, non tantum qua parte satisfecit Patri aut Spiritui-sancto; sed etiam qua parte ipse sibi fecit satis.

Objicies 1. Non potest dici Christi satisfactio fuisse ad alterum, nisi in Christo admittantur alterum & alterum. Atqui ea hæresis est Nestoriana. Ergo.

Distinguo majorem: alterum & alterum virtualiter; concedo: alterum & alterum realiter; nego. In hoc autem postremo sita erat hæresis Nestoriana.

Objicies 2. Si Christus sibi ipse satisfecit, debuit etiam sibi ut homini satisfacere. Multæ enim ipsi tanquam homini injuriæ factæ fuerant. At si Christus sibi ut homini satisfecit, certe ejus satisfactio non potuit esse ea ex parte ad alterum, etiam virtualiter.

Respondeo Christum sibi ut homini non satisfecisse. Eas enim, quæ sibi ut homini factæ fuerant, injurias non satisfactione eluit, sed gratuita condonatione remisit, *Lucæ* 23. 34. Sibi itaque ut Deo duntaxat satisfecit.

ARTICULUS III.

De merito Christi.

ASSERTIO I.

Chritus mereri potuit.

Probatur. Ille enim mereri potuit, cui nulla ex iis conditionibus deerat, quæ ad merendum necessariæ sunt. Atqui res ita sunt; tres enim illæ conditiones sunt sanctitas in operante, libertas in opere, & promissio in remunerante. Atqui in Christo fuit. 1. perfectissima sanctitas; 2. libertas non tantum a coactione, sed & a necessitate; quippe qui naturalem ad agendum vel non agendum facultatem habuerit: 3. promissio in remunerante, Isaiæ 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam* &c.

AS-

ASSERTIO II.

CHRISTUS reipſa meritus eſt.

PROBATUR 1. iis omnibus Scripturæ locis, quibus probavimus Chriſtum vere pro nobis ſatisfeciſſe, ſibique ac hominibus maxima a Deo beneficia promeruiſſe.

PROBATUR 2. ex concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi Chriſtus appellatur *noſtræ ſatisfactionis cauſa meritoria*.

ASSERTIO III.

CHRISTUS meruit ab ipſo vitæ exordio.

PROBATUR ex apoſtolo *ad Hebr.* 10. 5. ubi aſſerit Chriſtum eo tempore ſe in victimam piacularem pro omnibus obtuliſſe, *Ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, Ecce venio*.

ASSERTIO IV.

CHRISTUS meruit per humanæ non vero divinæ naturæ actiones.

PROBATUR. Actiones enim meritoriæ ex ea parte eſſe debent, cujus eſt ſubjectio, obedientia &c. At illa in divinam naturam non cadunt. Ergo &c.

Quibus mors Chriſti profuerit.

NULLUM eſt dubium quin Chriſtus mereri potuerit, cum nihil ei defuerit eorum, quæ ad meritum requiri olim ſignificavimus, nempe ſanctitas in operante, libertas in opere, & pactum in Deo remunerante.

Nulla pariter diſputatio de his, quæ Chriſtus tum ſibi tum nobis promeritus eſt, quæque *ſupra* enumeravimus.

Quapropter tria hic tantum reſtant paucis attingenda, quæ fuſius alibi pertractantur : 1. An Chriſtus pro omnibus ac ſingulis hominibus mortuus ſit : 2. An pro ſolis hominibus : 3. An cum ad inferos deſcendit, omnium damnatorum animas, an piorum duntaxat inde liberaverit.

SE-

SECTIO I.

An Christus pro omnibus ac singulis hominibus mortuus sit.

ASSERTIO.

CHristus pro omnibus ac singulis hominibus mortuus est.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret .... Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Rom. 5. 18. Paulus componens cum Adamo Christum, *Sicut* inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* 2. Cor. 5. v. 14. malum & remedium simul comparans, *Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* 1. Tim. 2. 6. idem Apostolus vim mortis Christi, ejusque in illa obeunda consilium sic describit: *Unus mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ibid. 4. 10. *Speramus in Deum vivum qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Ergo & salvator est infidelium. Hebr. 2. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* 1. Joan. 2. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi.*

Ita autem mortuus est Christus pro omnibus, ut ne ii quidem excipi debeant, qui æternum pereunt.

Rom. 14. 15. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* 1. Cor. 8. 11. *Et peribit infirmus in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est.*

PROBATUR 2. ex Patribus.

Clemens enim Alexandrinus *lib. 7. strom.* mortis Christi vim conferens cum Dei providentia, asserit Christum esse mortuum, ut omnium nullo excepto servator esset.

Origenes *lib. 1. contra Celsum,* "Pro humano genere tanta pertulit (Christus,) inquit, ut quantum in ipso erat, Græci omnes ac barbari. . . . a malitia descifcerent.

Gregorius Nazianzenus *orat. 25.* de Christi perpessionibus agens, "Per quos, inquit, omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participavimus.

S. Leo *serm. 1. de nativ. Domini,* "Dominus noster, inquit, peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.

Augustinus idem quod alii, & quidem multifariam docent. 1. Enim con-

contione 1. *in psal.* 98. affirmat Christum orasse pro omnibus carnificibus suis, atque etiam iis, qui in ipsum non crediderunt. 1. *In psal.* 61. pronunciat illum sitivisse salutem illorum, quibus ipsius sanguis non profuit. 3. *Lib.* 2. *de symbolo*, *cap.* 5. Christum voluisse liberare etiam impios ac damnandos. 4. *In Psal.* 95. pro iis omnibus fudisse sanguinem suum, quos aliquando judicaturus est. 5. Denique pro iis omnibus mortem obiisse, qui originis labe & Adami peccato infecti sunt. Sic enim habet *lib.* 6. *contra Julianum*, *cap.* 4. " Ex hoc probavit „ Apostolus omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. „ Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe: salubre est: nolo mo„ riaris: *Unus pro omnibus mortuus est*. *Ergo omnes mortui sunt*. Vide „ quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro om„ nibus mortuus est.

Prosper, Augustini discipulus, *in præfatione ad objectiones Vincentianas*, sanctum doctorem vindicans ab impactis ei per calumniam erroribus, & ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, ut loquitur, enumerans, hoc primo loco ponit, quod Dominus noster Jesus Christus, non pro omnium hominum salute, & redemptione sit passus.

Primasius ad illud 1. Tim. cap. 2. vers. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, " Pro omnibus quidem, inquit, effusus est san„ guis Christi; sed credentibus prodest, incredulis vero erit in condemna„ tionem.

PROBATUR 3. auctoritate Ecclesiæ, quæ in hymnis vocat Christum omnium redemptorem &c.

PROBATUR 4. judicio synodi Tridentinæ *sess.* 6. *cap.* 3. ubi ait, " Etsi „ Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus „ beneficium recipere, sed eos duntaxat quibus meritum passionis ejus com„ municatur. " Adde constitutionem Innocentii X. summi pontificis ab universali Ecclesia receptam, *prop.* 5.

SECTIO II.

An pro hominibus solis mortuus sit Christus.

DUPLEX circa hoc caput error olim fuit.

Primus est eorum qui Christum pro dæmonibus passum esse docuerunt. Qua in opinione versati sunt antiquissimi quidam hæretici, de quibus mentionem facit Tertullianus *lib. de carne Christi cap.* 14. Post eos idem sensit Origenes. Cum enim ille censeret nondum esse fixam angelorum, ipsorumque dæmonum sortem, illudque esse e dignitate ac pretio mortis Christi arbitraretur, ut quamplurimis prodesset; statuit Christum tam pro angelis perduellibus, quam pro hominibus mortem oppetiisse aut oppetiturum esse, ad id adductus cum aliis Scripturæ testi-

testimoniis, tum præsertim duplici Apostoli loco, quem non ita pridem, ubi de Christo mediatore, interpretati sumus; in quo dicitur Christus omnia, *sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt, reconciliasse & instaurasse*.

Istius amentiæ incusant Origenem plurimi veteres, haud tamen inter se consentientes, an dixerit Origenes Christum in dæmonum gratiam aliquando duntaxat esse passurum, uti jam pro hominibus est passus; an contra dixerit ipsum eodem tempore pro utrisque esse passum, cum nempe in cruce suffixus est.

Quidquid sit, in eodem cœno hæsit Didymus Alexandrinus *in suis ad* 1. *Petri cap.* 3. *commentariis*; & (quod magis mirum est) acer alioqui Origenis adversarius, Hieronymus *in epistolam ad Ephesios*, ad eamdem partem impingere visus est, asserens per crucem Christi purgata esse cœlestia simul cum terrenis. Sed id sibi a Ruffino objectum postea longe a se repulit.

Ad hoc ipsum caput offendunt quidam recentiores hæretici, qui dæmones olim in integrum esse restituendos putaverunt. De quo Pamelius *ad Tertullianum*, *supra*.

Secundus error ejusdem est Origenis, qui existimavit Christum etiam pro astris sudisse sanguinem suum. Nimirum Origenes post Thaletem, Platonem, Stoicos, Philonem, imo & Clementem Alexandrinum, censuit astra esse animata (quos in eo secuti sunt nobiles fere ætatis nostræ astronomi Tycho & Keplerus.) Neque ea tantum esse animata decrevit Origenes; sed etiam ratione ac libertate prædita; atque adeo virtutis & vitii, premii & pœnæ capacia: ad id referens quod ait Job cap 25. 5. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*; & quod ait David psal. 148. v. 3. & 4. *Laudate eum omnes stellæ & lumen*.

ASSERTIO I.

CHRISTUS non est olim passus pro dæmonibus.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ duplex ad id testimoniorum genus suppeditant.

Primum genus est eorum, in quibus Scriptura significat Christum non propter angelos, sed propter homines solos venisse. Sic v. g. Christus dicitur 1. *Cor.* 5. 14. mortuus esse pro omnibus, sed iis tantum quos Adami peccatum inquinaverat. 1. Tim. 2. 6. dicitur *unus esse mediator*, sed *Dei & hominum*. Ibidem cap. 4. 10. dicitur *salvator*, sed *omnium hominum & maxime fidelium*. Matth. 18. 12. & Lucæ 15. 4. dicitur e cœlo excurrisse, sed ut unam ovem perditam, hoc est unum genus humanum quæreret. Hinc Hebr. 2. 16. dicitur *Abrahæ semen, non angelos apprehendisse*. Hinc *ibidem* dicitur Christus communicasse carni & sanguini, quod eis participarent illi, pro quibus mortem oppetiturus veniebat.

Secundum genus est eorum, quæ demonstrant ratam esse ac fixam nec amplius revocabilem, quæ in dæmones lata est, sententiam. Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* 2. Petri 2. 4. *Deus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Judæ v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

PROBATUR 2. ex symbolo, in quo prædicatur Christus propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de cœlis.

PROBATUR 3. ex Patribus, qui id diserte refellunt, Tertulliano videlicet *supra*, S. Augustino qui *in expositione epist. ad Gal.* sic loquitur, " Angeli porro, qui non lapsi sunt, inquit, a conspectu Dei, mediatore opus non habent per quem reconcilientur. Item angeli, qui nullo suadente spontanea prævaricatione sic lapsi sunt, per mediatorem non reconciliantur. " *In Enchiridio* autem *ad Laurentium cap. 61.* " Non enim pro angelis mortuus est Christus &c.

PROBATUR 4. ex aliis Patribus, qui id quasi constans & indubitatum sumentes, in causas inquirunt, cur Christus homines lapsos non Angelos erexerit, v. g. Gregorio Magno *lib. 9. Moral.* & *lib. 12. cap. 18.* Nemesio *lib. 1. de natura hominis cap. 1.* Goffrido Vindocinensi *serm. 1. de nativ.* de quo *supra*.

ASSERTIO.

CHRISTUS non est aliquando passurus pro dæmonibus.

PROBATUR 1. ex Scriptura. Rom. enim 6. 9. de Christo Paulus sic ait, *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

PROBATUR 2. ex Patribus, qui hanc sententiam in Origene detestantur, Theophilo Alexandrino *epistola paschali* 2. in qua conqueritur, quod Origenes senserit Christum pro dæmonibus ac spiritualibus nequitiis apud superos affigendum cruci; Hieronymo *epist. ad Avitum*, qui id vocat *sacrilegium*; Hincmaro *lib. de prædest.* ubi Theophili verba exscribit; Bernardo denique *serm. 44. in Cant.* " *Operatus est* (Christus,) inquit, *salutem in medio terræ*. Numquid & in medio aeris? Hoc adversus Origenem, qui in aere Dominum gloriæ denuo pro dæmonibus impudenti crucifigit mendacio: cum hujus conscius mysterii Paulus affirmet, quod *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

PROBATUR 3. Ecclesiæ judicio, quæ seculo VI. id Origenis dogma anathemate perculit, suscipiens & amplectens Justiniani epistolam ad Mennam, in qua pelluntur ab Ecclesiæ sinu, qui dixerint Christum in futuris seculis crucifixum iri pro dæmonibus, ut pro hominibus crucifixus est.

A S-

ASSERTIO III.

CHRISTUS non est pro astris mortuus.

PROBATUR 1. iisdem Scripturæ locis, quæ arguunt Christum pro solis hominibus venisse.

PROBATUR 2. eorum Patrum auctoritate ac synodorum judicio, a quibus is error notatus ac damnatus est. Ac 1. quidem Theophili Alexandrini *epist. paschali* 1. *&* 2. Hieronymi *epist. ad Avitum*, & *epist. ad Pammachium;* 3. Orosii *in commonitorio ad Augustinum*; 4. ejusdem Augustini *in opere contra Priscillianistas & Origenistas*, 5. Synodi quintæ *decreto apud Nicephorum lib.* 17. *cap.* 28. &c.

PROBATUR 3. iis momentis, quæ philosophi adversus hanc opinionem afferunt, ut ostendant astra non esse animata, quæ apud ipsos vide.

SECTIO III.

An cum ad inferos descendit Christus, omnium damnatorum animas, an piorum duntaxat inde liberaverit.

DUPLEX circa id quondam error extitit.

Primus est eorum, qui censuerunt Christum cum ad inferos descendit, omnes impios ac damnatos inde eduxisse. Id in ambiguo reliquit Gregorius Nazianzenus *orat.* 42. ascivit autem vetustus auctor *hom. de paschate inter Ambrosii rejicula;* nec non & ille, qui sub ejus nomine fertur scriptor *commentariorum in epistolam ad Rom. cap.* 5. Quod etiam docuere hæretici, a Philastrio, Augustino, Gregorio Magno, Beda, aliisque memorati aut perstricti.

Secundus est illorum, qui definierunt quosdam duntaxat extractos fuisse, nempe e paganis insigniores illos viros, qui ad rationis normam mores suos exigere potissimum studuerant: quam in partem concesserunt Clemens Alexandrinus *lib. 6. strom.* & Joannes Damascenus *in lib. de defunctis*.

In alterutrum errorem inclinasse videtur Hieronymus *in epistolam ad Ephes.* Explicans enim hæc verba, *Qui descendit, ipse est & qui ascen-*
„ *dit*, " Descendit ..... in inferiora terræ, inquit, ... ut non tan-
„ tum legem prophetasque compleret, sed & alias quasdam occultas
„ dispensationes, quas solus novit ipse cum Patre. Neque enim scire
„ possumus quomodo Angelis & iis, qui in inferno erant, sanguis
„ Christi profuerit: & tamen quin profuerit nescire non possumus.

A S S E R T I O.

Christus non descendit ad inferos ut impios & infideles ullos cum patriarchis inde erueret.

Probatur 1. iis Scripturæ locis, quæ in hac parte de solis justis mentionem faciunt; Ecclesiastici 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspicient omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Zach. 9. v. 11. & 12. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei.*

Probatur 2. iis, quæ significant infideles nunquam esse salvandos. Marci 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Probatur 3. aliis, quæ probant nullum esse hominibus post mortem sperandi locum, Ecclesiastæ 9. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* Et cap. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Probatur 4. hoc celebri Oseæ testimonio cap. 13. 14. *De manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos: ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne.* Quem quidem locum hoc sensu accipiunt Patres, atque imprimis Gregorius Magnus *lib.* 12. *Moral. cap.* 8. ubi " Quod occidimus, inquit, agimus ut penitus non sit; ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus mortem occidit, mors mortis extitit: quia vero ex inferno partem abstulit partemque reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum.

Probatur 5. vulgata omnium Patrum sententia, qui descensus Christi ad inferos fructum solis justis circumscribunt, scilicet Irenæi *lib.* 4. *cap.* 39. Ambrosii *in psal.* 118. Epiphanii *hæres.* 69, Chrysostomi *apud Nicetum ad orationem Gregorii Nazianzeni* 42. Petri Chrysologi *serm.* 123. Isidori Hispalensis &c.

Probatur 6. eorum speciatim auctoritate, qui hoc Origenis, omnes damnatorum animas ex inferis a Christo fuisse eductas aientis, commentum inter hæreses recensuerunt. Hanc enim inter alios commemorat Philastrius Brixiensis *hæresi* 74. Augustinus de *hæres. num.* 79. " Alia (est hæresis) quæ asserit descendente ad inferos Christo credidisse incredulos, & omnes exinde liberatos. " Gregorius Magnus eamdem perstringit *lib.* 12. *Moral. cap.* 8. *supra*; & *hom.* 22. *in evang*: Beda in " *epist.* 1. *Petri*, " Catholica fides habet, inquit, quia descendens ad inferna Deus, non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens ad cælestia regna secum perduxerit. " Adde Bonifacium Moguntinum *in epist. ad Zachariam pontificem*, Denique cum Hincmarus, Re-

Remensis archiepiscopus, aliquid in capitulis Carisiacis definiisset, quod eo pertinere videbatur, contra insurrexit tota fere Ecclesia Gallicana nono seculo. Nempe Ecclesia Lugdunensis *in lib. de tenenda veritate Scripturæ cap.* 14. & *in lib. de tribus epistolis cap.* 18. Prudentius Tricassinus *in Tractoria ad Archiepiscopum Senonensem*; synodus Valentina *cap.* 4. adeo ut Hincmarus ipse *in lib. de præd. cap.* 17. hanc eamdem hæresim detestari coactus fuerit, quam sibi perperam affingi conquestus est: „ Non ita scripsimus, inquit, ... non scripsimus contra illud propheticum, *Ero mors tua, o mors! Ero morsus tuus, inferne*. " Tum addit se ab hac hæresi abhorrescere, quam B. Augustinus, Gregorius & Beda commemoraverunt.

Objicies epist. 1. Petri cap. 3. 18. ubi sic habetur, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, ... mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu; in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Et cap. 4. 5. *Qui paratus est judicare vivos & mortuos; propter hoc enim & mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu*. Ergo infideles & increduli simul cum aliis liberati sunt.

Respondeo illud intelligi de iis hominibus, qui tempore diluvii vixerunt, quique cum increduli fuissent nec fidem habere voluissent monitis Noe, aquis oppressi sunt, ita tamen ut suum errorem agnoverint, antequam aquis præfocarentur, & ad Deum conversi sint. Judicati nihilominus sunt & puniti secundum homines in carne, ut viverent secundum Deum in spiritu. His autem veniens ad inferos prædicavit Christus, eosque inde eduxit cum sanctis patriarchis.

QUÆSTIO XI.

De cultu qui Christo, sanctis, sanctæ cruci, reliquiis, sacrisque imaginibus exhibendus est.

ARTICULUS I.

De cultu Christi.

Duplex a theologis cultus vulgo distinguitur, alter latriæ, alter duliæ.

Latriæ cultus est honor supremus Deo exhibitus in testimonium summæ illius majestatis, summique in res omnes dominii.

Duliæ cultus est honor servis Dei exhibitus ob supernaturales eorum dotes: atque is iterum duplex est: alter communis, qui sanctis vulgaribus defertur, ac duliæ simpliciter vocatur: alter *hyperduliæ*, qui licet in eodem genere sit, superioris tamen est gradus, propter excellentiorem quamdam dignitatem aut sanctimoniam, quam veneramur.

Nulli dubium esse potest quin Christus, quatenus est Deus, summo & æquali cum Patre honore sit afficiendus.

In eo igitur difficultas, quam agitamus posita est, an Christus, qua homo est, eodem quo Deus Verbum, cultu latriæ sit honorandus; an vero humanitati peculiare quoddam honoris genus & inferioris gradus pro naturæ suæ modo ac conditione debeatur.

Circa quod multi olim & oppositi errores extiterunt.

Primus est Gilberti Porretani qui *in scholiis ad psal.* 98. docuisse fertur Christi humanitati impertiendam quidem esse adorationem, sed non illam quæ latriæ est, ast aliam, quæ dulia dignior est. " Dulia enim, „ inquiebat, adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur; quæ duas „ habet species; unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli „ humanitati Christi exhibetur. " Ita de Gilberto refert & exscribit Gaufridus Clarævallensis monachus *in epistola ad cardinalem Albanensem*, longe diversa ab iis, quæ Gilberti ipsius liber etiamnum superstes in codice manuscripto repræsentat: Ea vero, quæ Gilberto ascribit Gaufridus, habebantur olim *in Glossa ad psal.* 98. teste Alensi 3. *parte quæst.* 30. quorum nonnulla hodieque expressa vestigia remanent *in Glossa ordinaria*, quam vide.

In eamdem sententiam ierat ante Gilbertum Rabanus, cujus hæc „ apud Alensem *ibidem* verba sunt; " Non enim adoramus eam huma- „ nitatem omnino in terram prostrati, nec sacrificamus sicut Deo, „ quod nos ex nihilo extraxit, sed quod per ipsam redempti sumus, „ ideoque dicitur latriæ communi quadam significatione.

Secundus error est eorum contra qui humanitati etiam a divinitate sejunctæ supremum ac divino parem honorem exhibendum esse existimaverunt: ita docuit primus omnium Nestorius, qui duas, quas in Christo agnoscebat personas unius honoris, dignitatis & adorationis consortio secum invicem consociabat.

Post Nestorium idem sensit Wicleffus, qui ut Thomas Valdensis narrat *tomo* 1. *doctrinalis fidei*, asseruit carnem Christi, etiam a Verbo disjunctam, eadem qua Verbum, veneratione esse prosequendam.

Fœdissimus quoque error est hac in parte Socinianorum, qui cum Christum pro mero homine habeant, eum tamen divinis honoribus & adoratione dignantur, si dogma eorum spectes, tam stulte, quam impie. De quo altercantes hinc Socinum, inde Franciscum Davidis & Franckenium non sine communionis jactura vide apud Hoornebek *tomo* 1. *in Socinianos*.

Tertius est Apollinaristarum, qui una quidem veneratione Verbum car-

carnem factum afficiebant: sed ne istum cultum dividere ac partiri cogerentur, duas Christi naturas, aut in unam commiscuerunt, aut potius sustulerunt, anima aut mente penitus a Christo amota, & humana carne in divinam substantiam commutata, quod testantur Athanasius *de Incarn. Verbi*; Gregorius Nazianzenus *epist. ad Cledonium*; & Leontius *de sectis cap.* 8. Ii Apollinaristæ in usu & dogmate ipso quoad adorationis unitatem cum catholicis consentiebant; quoad naturarum autem distinctionem & adorationis discrimen, quod ex duabus naturis necessario consequi opinabantur, a nobis dissidebant.

Inter hos errores medii incedunt theologi, qui humanam Christi naturam adorandam esse statuunt cum divina in supposito Verbi, cujus cum illa particeps est propter hypostaticam unionem.

Quamvis autem illi omnes in eo concordent; attamen cum ad rem ipsam paulo liquidius expendendam accedunt, in varias scinduntur opiniones.

Prima est Alexandri de Alez 3. *parte*, *quæst.* 30. Gabrielis *in* 3. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 1. Antonii de Corduba *lib.* 1. *quæst.* 5. *dubit.* 3. qui sentiunt illam humanitatis Christi adorationem esse duntaxat relativam, instar illius nempe, quam multi theologi imaginibus Dei & sanctæ cruci deferendam esse definiunt, non vero absolutam..

Secunda est Scoti *in* 3. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. Durandi *quæst.* 3. *num.* 7. Paludani *quæst.* 2. & aliorum, qui existimant eam quidem adorationem esse absolutam, sed præter illam alium insuper cultum ei exhiberi posse sentiunt, hoc est hyperduliæ, propter eximiam humanitatis Christi sanctitatem & gratiam.

Tertia est S. Thomæ & aliorum vulgo theologorum, qui statuunt humanam Christi naturam adorari cum Verbo oportere adoratione absoluta, nec ullum alium ei cultum esse deferendum.

Præterea vero Durandus ait adorationem hanc humanitatis, vocari debere *adorationem per accidens*: quam loquendi rationem respuunt theologi, non quod legitimum pati nequeat sensum, sed quod accedere nonnihil videatur ad Nestorii hæresim, qui affirmabat esse inter ambas Christi naturas unionem tantum accidentalem, propter quam tamen humana Christi natura in communionem divini honoris veniret.

ASSERTIO.

Una eademque adoratione absoluta humanitas Christi cum ipsius divinitate colenda est.

Probatur 1. ex Scripturis. 1. Enim Philip. 2. v. 9. postquam de Filio Dei mentio facta est, *qui cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit formam servi accipiens, humiliavitque semetipsum factus obediens usque ad mortem*, sic statim de eodem in carne passo additur, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne*

 nomen,

nomen, ut in nomine Jesu omne genus flectatur, &c. Id quippe adorationem sonat, & hoc sensu accipitur a Basilio *lib. 4. contra Eunomium*, Chrysostomo *hom. 7. in epist. ad Phil.* & Cyrillo cum *in scholiis*, tum *in epist. paschali*. 2. Expressior aliùs est locus *ad Hebr. 1. 6.* ubi Apostolus Christum Incarnatum efferens supra omnes angelos omnemque adeo creaturam, & id ex honore ipsi legato comprobans, ita habet, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* De quo ad rem nostram apposite differentes consule Chrysostomum *hic*, Cyrillum *in defensione anathematismi 8. & in scholiis*, Photium & Theophylactum. 3. Tandem *Apoc. 5. 12.* de eodem secundum carnem considerato angeli cum cœlestibus mentibus ita pronunciant, *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem*, &c. id namque non de divinitate ipsa intelligitur, cujus in eo jam pridem habitabat plenitudo corporaliter, sed de divinis honoribus, quos ubique ei deferri par omnino erat.

PROBATUR 2. auctoritate conciliorum.

Ac 1. quidem Alexandrini sub Cyrillo, quod *anathematismo 8. adversus Nestorium* ita loquitur, " Si quis audet dicere hominem assumptum coadorari cum Deo Verbo oportere, & conglorificari tanquam alterum cum altero (nam particula *cum* addita, hoc cogit intelligere) & non magis uno honore veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.

Secundo Chalcedonensis, quod sanctionem illam amplectitur in definitione fidei.

Tertio Generalis quinti *can. 9.* ubi sic habetur, " Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, semotim homini: ... aut si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.

Quarto Lateranensis prima *consult. 4.* & aliorum, quæ has fidei professiones probarunt.

PROBATUR 3. ex sanctis Patribus.

Sanctus enim Athanasius *epist. ad Adelphium episcopum*, de carne Christi disputans, " Nos inquit, creaturam non adoramus, absit: Gentilium enim & Arianorum is est error: sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars sit creaturarum, tamen Dei facta est corpus. At neque corpus hujusmodi e Verbo dividentes adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disjungimus. Verum istud scientes, ut jam diximus, quia Verbum caro factum est, idem Verbum in carne positum, Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat; Recede a corpore, ut te adorem? " *Ibidem* affirmat corpus Christi esse adorabile.

Gre-

Gregorius Nazianzenus *epist.* 1. *ad Cledonium* adversus Apollinaristas, qui catholicis ex communi Ecclesiæ tunc temporis usu hominem in Christo adorantibus objiciebant quod essent Anthropolatræ, seu Hominicolæ, anathema dicit, " Si quis, inquit, crucifixum non adorat, anathema sit.

Epiphanius *in Ancborato num.* 51. contra Arianos nobis exprobrantes quod adorando carnem Christi, creaturam adoremus, non solum corpus Christi adorandum esse contendit, sed & qua ratione sit adorandum explicat hoc exemplo : " Cum purpura indutus imperator adora-„ tur, utrumnam igitur purpura, an imperator adoratur ? Perspicuum „ est ipsum adorari imperatorem; cum eo vero simul adoratur ea quæ „ gestatur purpura . . . . Nemo vero sic insanit, ut cum adorare velit „ imperatorem in ipsius augustali, dicere huic audeat; Exi ab illo tuo „ augustali, ut te adorem. Sic igitur nemo unigenito dixerit, Depo-„ ne corpus tuum ut adorem te : quin potius ipsum adorat cum cor-„ pore.

Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu-sancto*, *cap.* 11. *num.* 79. interpretans hæc verba psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est*, " „ Per scabellum, ait, terra intelligitur : per terram autem Christi ca-„ ro, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam apostoli in Domi-„ no Jesu adorarunt. Neque enim divisus est Christus, sed unus : ne-„ que cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex virgine denegatur. „ Cum igitur Incarnationis adorandum sit sacramentum, Incarnatio au-„ tem opus Spiritus sit; . . . . haud dubie & Spiritus-sanctus adoran-„ dus est; quando adoratur ille, qui secundum carnem natus ex Spiri-„ tu est. " Ambrosius ibi ostendit Spiritum esse Deum quia adorandus est : adorandum autem eum esse, quod adoranda sit caro Christi, quæ opus est Spiritus-sancti.

Augustinus *ad ejusdem psalmi eadem verba*, " Videte, fratres, inquit, „ quia nos jubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit, *Cœlum mihi se-„ des est : terra autem scabellum pedum meorum*. Ergo terram nos ju-„ bet adorare . . . . Et quomodo adorabimus terram? . . . . Anceps fa-„ ctus sum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum „ & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum ejus . . . . „ Fluctuans converto me ad Christum, & invenio quomodo sine im-„ pietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. „ Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, & de carne „ Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ip-„ sam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem car-„ nem illam manducat, nisi prius adoraverit : inventum est autem „ quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum „ non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando.

PROBATUR 4. ratione. Illius scilicet partes, quem honoramus, eadem veneratione complectimur, qua totum ipsum colimus, ut animad-

ver-

dvertunt sancti Patres. Totum autem Christi suppositum ex divina & humana natura conflatum, supremo adorationis genere dignissimum est. Nempe honor respicit personam; & qui ipsi personæ debitus est, omnia, quæ illius personæ propria sunt, simul involvit; quamvis singula, si seorsim existerent, tali honore non essent veneranda. Honos insuper in præcipuum titulum & potissimam dignitatem ejus fertur, quem colendum nobis proponimus; omnesque alias inferioris venerationis species aliis nominibus eidem debitas ad se trahit & obliterat, ut patet in imperatore, qui licet aliunde sit comes, dux aut princeps, omnes titulos una cæsarea majestate sorbet & exhaurit. Quæ duæ rationes non tantum evincunt adorari posse humanitatem Christi; sed etiam adorari debere, nec aliter posse. In Christo nimirum tria sunt secernenda, divinitatis majestas, quæ causa est adorationis; persona Verbi, quæ propter excellentiam sibi propriam per se adoratur; & humanitas, quæ propter suam cum divinitate conjunctionem, ut pars Dei totius, adoratione includitur, seu cum eo adoratur.

OBJICIES 1. Adoratio soli Deo debetur. At humana Christi natura non est Deus. Ergo.

DISTINGUO majorem: adoratio, quæ rei propter se ac primario defertur; concedo: quæ propter aliud secundario & ex consequenti; nego. Postremi autem generis est, quæ humanitati Christi exhibetur; quia nempe pars est illius suppositi, cui defertur adoratio.

INSTABIS 1. Si humanitas Christi adoratur tantum secundario & ex consequenti, poterit etiam dici adorari tantum per accidens. Atqui hoc in Durando damnant theologi. Ergo.

DISTINGUO sequelam majoris: poterit etiam dici per accidens adorari eo sensu, quod non propter se ac seorsim adoretur; esto: eo sensu, quod adoretur propter accidentalem duntaxat cum Verbo conjunctionem; nego. Hoc autem postremum duntaxat theologi refugiunt.

INSTABIS 2. Hac ratione diceretur etiam Christi natura divina adorari solummodo ex consequenti: quia nempe pars est suppositi Verbi, quod adoratur. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

NEGO sequelam majoris. Discrimen est enim inter naturam divinam & humanam, quod humana in se non contineat causam adorationis, nempe supremam majestatem; divina autem contra contineat. Quare divina quidem natura etiam in Christo per se adoratur: sed humana non item.

INSTABIS 3. Si adoretur Christus quatenus homo, debet etiam quatenus homo continere causam adorationis. Hæc enim vis est reduplicationis, ut cum dicitur Christus esse mortuus quatenus homo. Ergo.

NEGO sequelam antecedentis. Ad probationem respondeo hanc esse naturam reduplicationis, ut aliquando subjectum notet duntaxat; aliquando subjectum simul & causam: hic autem subjectum duntaxat adorationis designat, non causam.

OBJI-

Objicies 2. Exinde consequens foret humanam Christi naturam Verbo coadorari. Atqui hoc reijcit Cyrillus *anathematismo* 8. Ergo.

Distinguo majorem : coadorari, tanquam partem in toto, propter hypostaticam unionem; concedo : tanquam suppositum cum altero supposito moraliter conjunctum ; nego. Hoc autem ultimum solummodo rejicit Cyrillus.

Objicies 3. Si humanitas adoratur propter suam cum Verbo habitudinem, adorari etiam poterit B. Virgo, imago, & crux Christi. Atqui. Ergo.

Nego sequelam majoris. Non enim ulla est paritas : habitudo quippe naturæ humanæ cum Verbo est habitudo substantialis & intrinseca propter hypostaticam conjunctionem. At habitudo B. Virginis, imaginis, aut crucis, est habitudo tantum extrinseca & accidentalis, quæ non sufficit ad adorationem.

Instabis. Inde sequeretur humanam Christi naturam relative tantum adorari.

Nego. Ipsa enim adoratur & terminat adorationem, sed ut pars in toto, quod adoratur.

Objicies 4. Esto humanitas Christi adoranda sit; at certe alio insuper cultu afficienda est propter peculiarem sanctimoniam ac dignitatem.

Nego antecedens. Eo enim ipso quod illa peculiaris sanctimonia ac dignitas conjunctæ sunt cum excellentia quadam superiorem cultum postulante, eo, inquam, ipso non habent peculiarem cultum. Deberent enim cogitari ut separatæ. At non ita cogitandæ sunt.

ARTICULUS II.

De cultu sanctorum.

Tria hic paucis disputabimus.

Primum an colere liceat & honorare sanctos.

Secundum an intercedant illi pro nobis apud Deum.

Tertium an sint invocandi.

SECTIO I.

An honorandi sint sancti.

Honos est testificatio quædam excellentiæ, quam in aliquo agnoscimus : isque præter divinum duplex vulgo ac necessario distinguitur pro varia ejus, quo tendit, dignitate. Si enim dignitas illa pertineat ad civilem hominum societatem, aut in naturalibus posita sit, *civilis honor* dicitur, qualis est cultus quo magistratus, principes, aliof-

aliosque omnes scientia, industria aut potentia in republica excellentes prosequimur. Est vero alterius & omnis superioris generis, si ob aliquas supra naturam omnem constitutas dotes aut gratiæ dona exhibeatur. *Civilem* tamen hunc cultum absurde nominant hæretici: ac *religiosum* vulgo & recte theologi nostri; non quod a religione per se prodeat & eliciatur, cum religio circa solum Deum versetur, aut potius ejus cultum; sed quod a religione imperetur, & illius quædam veluti sit appendix. Eo enim ipso quod Deum colis, movearis necesse est, ut omnia illius dona, ubicunque sint, & ames, & venereris.

De civili magistratuum & aliorum cultu non ambigitur. Gravis vero quæstio est catholicos inter, & hæreticos de honore sanctis deferendo: cujus tamen disputationis multa capita concident, si, ut in ejusmodi controversiis fieri juvat & necesse est, quæ in scholis varie agitantur, secernas ab ipso fidei dogmate, quo id unum statuitur, honorandos scilicet esse sanctos in cœlo regnantes.

Observabis itaque.

1. Fidei non interesse, quo nomine cultus ille appelletur. Quanquam enim recte a theologis *religiosus* nominatur; ita tamen vocari oportere nullibi definitum est.

2. Multo minus hunc cultum cum divino a nobis confundi. Honorem enim rebus ipsis metimur. Ut ergo Deus a sanctis & suis donis infinito intervallo distat: ita honos, quem Deo solvimus, immenso spatio superat venerationem, qua sanctos afficimus.

3. Cultum Deo debitum ac latriam, sacrificio, templo & adoratione contineri. Adoratio porro ex tribus actionibus efflorescit. 1. Mentis, quæ summam Dei majestatem cognoscit. 2. Voluntatis, quæ ei se subjicit. 3. Corporis, quæ utriusque signum est & expressio. Primi generis actiones adorationem per se non constituunt. Dæmones enim cognoscunt Deum, nec tamen adorant. Tertii vero generis opera, id est externa quælibet, neque ad adorationem requiruntur, cum angeli adorent Deum, nec tamen corpore præditi sint; neque ad adorationem præter sacrificium, sunt necessario determinata. Genua enim v. g. flectere, aut humi procumbere, non ante Deum modo, sed etiam ante homines, moris olim fuit & etiamnum est. Quapropter adoratio in operibus voluntatis præsertim collocatur, quæ in cognitione quidem prævia fundantur, & ex ea modum suum accipiunt, sed in signa postmodum externa erumpunt, quæ fixa non sunt ex natura sua: proinde ex mente ac proposito cultoris dijudicantur.

4. Apud hæreticos constare laudabile ac licitum esse eos qui sanctimonia, aut aliquo in Ecclesia præfulgent gradu, propter Deum honorare, dum vivunt; postquam autem obierunt, eosdem laudibus prosequi fas esse.

5. Nullum esse Dei mandatum de sanctis colendis.

6. Non

6. Non agi de his aut illis sanctis, si eos excipias, quorum pretiosam mortem in conspectu Dei Scripturæ commemorant.

De sanctis ergo generatim tantum disputatur, ac de iis speciatim, quos etiam hæretici ipsi pro sanctis habent, v.g. Joanne Baptista, B. Virgine &c.

Cæterum hæreticis hujus temporis in cultu sanctorum improbando præiverunt, 1. Gentiles, 2. Manichæi, 3. Eunomius Arianus, 4. Vigilantius.

ASSERTIO.

CULTUS sanctorum in cœlo una cum Christo regnantium licitus est.

PROBATUR 1. ex Scriptura. 1. Enim Abraham & Lot *Genes.* 18. 2. & 19. 1. juxta multorum sententiam ante angelos cernui procubuerunt.

2. Josue angelum principem exercitus Domini, prius sub eo nomine sibi cognitum, nec ullatenus repugnantem, pronus in terram adoravit, *cap.* 5. 14.

3. Ante Eliam prophetam, non alio quam virtutum ac prophetiæ dono insignem, cecidit super faciem suam Abdias vir inter Judæos princeps, 3. *Reg.* 18. 7. ante Eliseum filii prophetarum, 4. *Reg.* 2. 15. ante Danielem Nabuchodonosor, *cap.* 2. 46.

Jam vero in hoc capite eadem est causa hominum sanctorum, & angelorum: neque omnino interest sancti ne in terris degant, an in cœlo: hoc enim ad honorem honorisque causam non pertinet.

Quocirca cum iis non repugnantibus isti omnes non civilem quamdam dignitatem, sed cœlestia beneficia in iis venerarentur, nec ullum fit in eo vivos inter & mortuos discrimen, profecto sanctos, qui jam sunt in cœlis honorare nefas non fuerit.

PROBATUR 2. generali omnium ecclesiarum consuetudine nota, & indubitata, quam in antiquitatis argumentum omnes orientalium sectæ, ab infinitis temporibus a se invicem distractæ, unanimi consensione constanter retinuerunt. Certe Ecclesia damnavit ob errorem contrarium Manichæos, Eunomium & Vigilantium. Ecclesiæ autem in ejusmodi controversiis contradicere, aut erroris ipsam incusare, insolentissimæ dementiæ fuerit.

PROBATUR 3. ex Patribus, ex quibus duos duntaxat, ut in re pervulgata, seligemus.

Primo S. Augustinus, *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. "Populus Christianus, inquit, memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat „.... Colimus martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac „ vita coluntur sancti homines Dei.... At illo cultu qui græce λατρεία „ di-

„ dicitur, latine uno verbo dici non poteſt; cum ſit quædam proprie „ divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum dicimus, niſi „ unum Deum. " Egregius ſane locus ille eſt, & cuncta, quæ in quæſtionem hanc ſpectant unus complectitur. Jam vero *lib.* 2. *de Trinitate*, *cap.* 12. de angelis ſermonem faciens, " Hic manifeſtum eſt, inquit, duos angelos fuiſſe, ... & honorifice appellatos Dominos, „ cum fortaſſe homines putarentur. Sed rurſum movet, quia niſi an- „ geli Dei cognoſcerentur, non adoraret Lot in faciem ſuper terram.

2. Hieronymus *in cap.* 2. *Danielis*, de Nabuchodonoſore. " Non tam „ Danielem, inquit, quam in Daniele adorat Deum, qui myſteria reve- „ lavit. " *Epiſtola* vero *ad Ripanium* de erroribus Vigilantii, " Hono- „ remus ſervos, inquit, & honor ſervorum redundet ad Dominum, qui „ ait, *Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit*.

Probatur 4. ipſo hæreticorum dogmate & uſu. 1. Enim *in confeſſione Scotica* agnoſcunt omnes illos, qui in auctoritate collocati ſunt, eſſe amandos & honorandos, quia vicem Dei gerunt.

2. In *Helvetica* jubent ut ſpectentur miniſtri, non tanquam miniſtri duntaxat ac per ſe, ſed ſicut miniſtri Dei. De ſanctis vero vita functis ſic ibidem habent, " Divos nec contemnimus, nec vulgariter de iis ſenti- „ mus. Agnoſcimus, enim eos eſſe viva Chriſti membra, amicos Dei.. „ Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non propter religionem „ adorandi.

3 *In Wittembergica* " Non eſt dubium, inquiunt, quin memoria illorum " ſanctorum, qui cum eſſent in hac vita corporali, Eccleſiam juverunt, „ debeat apud omnes pios ſacroſancta eſſe.

4. Urſinus ita pronunciat. " Hæc veneratio ſanctis debetur, quando nec „ vivis nec mortuis ſanctis detrahimus, ſed libenter tribuimus.

5. Rivetus *adverſus Grotium* ita loquitur, " Honorem non martyribus „ ſolum, ſed etiam omnibus ſanctis deberi, & majorem multo, quia cum „ Chriſto regnant, extra controverſiam eſt.

Quid enim, quæſo, deeſt in his ad ipſum fidei dogma? An quod *religioſi cultus* nomine abſtinent? At nos de verbo non litigabimus. Neque vero neceſſarium eſt omnino illud nomen; quamquam ab iis abſurde profecto repudiatur. Cur enim propria rebus vocabula negabimus? Cur *civilem cultum* appellabimus, qui civilis eſt ſocietatis, *religioſum* non vocabimus cum antiquis, quem religio ipſa commendat, & qui ob res religioni proprias duntaxat adhibetur? Cur *civilem* & hunc nominat, quem ſanctis ob divinas plane dotes & ſupra ordinem civilem poſitas deferimus; præſertim cum Luthero ipſo teſte *in epiſt. ad Galatas*, " Deus velit .... do- „ ctorem .... concionatorem AGNOSCI ET RELIGIOSE COLI? " Jacobus certe Apoſtolus *cap.* 1. 27. *religionis* nomine donat, quidquid officii erga Chriſtianos religionis ac Dei intuitu præſtamus.

Objicies 1. Cultus omnis religioſus, qui creaturæ exhibetur, idololatricus eſt. Ergo.

Di-

DISTINGUO antecedens : cultus supremus ; concedo : inferioris ordinis ; nego . At catholica Ecclesia non vult sanctis eumdem exhibere cultum , quem defert Deo . S. Hieronymus *adversus Vigilantium* , " Quis enim , inquit , o insanum caput ! aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum ? " Augustinus *lib.20. contra Faustum cap.21.* " Nobis calumniatur Faustus , inquit , quod martyrum memorias honoramus . Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat , & ad excitandam imitationem , & ut meritis eorum consocietur , atque orationibus adjuvetur . Ita tamen ut nulli martyrum , sed ipsi Deo martyrum , quamvis in memorias martyrum construamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum martyrum assistens altari , aliquando dixit , Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane ? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres honoravit . " Idem *de vera religione cap.* 45. " Quare honoramus eos , inquit , charitate , non servitute . " Et vero si idololatria est honor ille , qui exhibetur sanctis in cœlo regnantibus , idololatria pariter erit , qui defertur sanctis viris in terra degentibus. Unum enim & idem est honoris genus , ut observat Sanctus Augustinus *supra*.

OBJICIES 2. Matthæi 4. v. 10. Christus jubet solum Deum adorari. *Dominum Deum tuum adorabis , & illi soli servies.*

DISTINGUO antecedens : adorari , idest supremo cultu affici ; concedo : secus ; nego . Hic locus nihil omnino conficit . Vel enim intelligendus est de supremo tantum cultu , vel de omni etiam inferiori. At non potest intelligi de omni cultu , etiam inferiorem excludendo . Nam ipsimet adversarii multa cultus inferioris genera admittunt , quæ licita sunt, qualis est cultus parentum, magistratuum, principum, virorum sanctorum &c.

OBJICIES 3. Ex variis Scripturæ historiis constat a sanctis repudiatos esse honores delatos. Ergo.

NEGO consequentiam . Hæ enim historiæ , ut modo diximus , vel nihil probant , vel nimis probant . Cum enim generalibus verbis concipiantur , aut omnem interdicunt hominibus cultum & honorem, aut certum duntaxat , hoc est divino parem . Si divinos tantum honores submovent , nihil contra nos faciunt , quippe qui confiteamur ejusmodi cultum sanctis non esse tribuendum: si autem reliquos omnes excludunt, contra ipsos hæreticos faciunt, qui præterquam quod civilem venerationem admittunt, honorem insuper exhibent rebus sacris & viris piis, tam vivis, quam mortuis, idque velint, nolint, religionis ac Christianæ societatis nomine.

INSTABIS 1. Paulus ac Barnabas *Act.* 14. non permiserunt sibi cultum deferri ab hominibus. Ergo.

DISTINGUO: cultum idololatricum ab hominibus idololatris; concedo: alterum; nego: Legatur locus, & illico patebit ibi agi de cultu idololatrico.

co. Cum enim Paulus, & Barnabas pro Jove ac Mercurio ab idololatris haberentur, & victimæ jamjam essent in eorum honorem immolandæ, hæc sacrificia rejecerunt.

INSTABIS 2. Petrus non permisit se a Cornelio adorari, *Act.* 10. 25. nec Angelus a Joanne *Apoc.* 19. 10. Atqui nec Joannes nec Cornelius, utpote divino lumine collustrati, volebant iis honores divinos deferre, sed inferiores. Ergo.

DISTINGUO majorem: noluerunt præ modestia; concedo: tanquam illiciti essent ii honores; nego. Certe ex hoc consequens foret, illicitum esse ante homines pios, etiam dum vivunt, procumbere. At id falsum esse vel ipsi confitentur adversarii. Et vero in veteri testamento sibi deferri permiserunt ejusmodi honorem homines sancti, & angeli. Ergo nihil proponunt hæretici, quod in ipsos non recidat.

SECTIO II.

De intercessione sanctorum.

CERTUM est primo apud omnes sanctorum virorum orationes in aliorum gratiam non solum licitas esse, sed etiam utilissimas; *Act.* 7. 46. *Jacobi* 5. 16. &c. Quin etiam a Deo non semel imperatas fuisse *Gen.* 20. 7. *Job* 42. 8. &c.

Secundo in dubium revocari non potest quin sancti cum Deo in cœlis viventes orent, saltem generatim pro Ecclesia, id Joanne Hus, Wicleffo, Calvino, Molinæo ac Lutheranis vulgo sponte concedentibus.

Tertio non est hic controversia de orandi modo ac ratione, neque de nomine, quod inde sibi arcessunt sancti, an videlicet idcirco *Mediatores* dici possint ac debeant. Id enim Ecclesia nunquam sanxit.

Quocirca unum superest, de quo quæstio sit, utrum nempe juxta concilii Tridentini decreta sancti in cœlis pro nobis speciatim orent.

ASSERTIO.

ANGELI & sancti non tantum pro nobis generatim, sed speciatim ad Deum fundunt preces.

PROBATUR 1. ex Scripturis.

Jeremiæ 15. 1. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Minitatur enim ibi Deus precibus istorum virorum flectendum se non esse ad misericordiam: quod argumento est ipsos pro Judæis orare consuevisse.

Zachariæ 1. 12. pro Jerusalem nominatim orat Angelus, *Domine exercituum*, inquit, *usquequo tu non misereberis Jerusalem & urbium Juda, quibus iratus es?*

To-

Tobiæ 12.12. Angelus Raphael sic aiebat Tobiæ, *Quando orabas cum lacrymis .... ego obtuli orationem tuam Domino*.

2. *Machabæorum* 15. 12. legimus Oniam, qui fuerat summus sacerdos, ... orasse pro omni populo Judæorum, & *versu* 14. Jeremiam multum orasse pro populo & universa sancta civitate, speciatimque Judæ tradidisse gladium cœlestem ad dejiciendos hostes Israel. Quanquam enim divinæ non sunt auctoritatis apud hæreticos hi duo libri, certum tamen sunt Judæorum fidei argumentum.

1. Corinthiorum 13. 18. *Charitas nunquam excidit.* Cum ergo illa homines, quandiu vivunt, excitet, ut non solum universe pro cunctis, sed etiam speciatim pro suis precentur ac rogent Deum; quanto magis in cœlis?

Apocalypseos 6. 10. clamant sancti martyres in hæc verba: *Usquequo, Domine, sanctus & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui sunt in terra?* Si enim illi Deum in tyrannos, & persecutores suos invocant, quanto potius in amicorum ac suorum favorem invocabunt ejus benignitatem?

PROBATUR 2. ex Patribus.

Origenes *homil.* 3. *in Cant.* "Omnes sancti, inquit, qui de hac vita „ decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mun- „ do sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos pre- „ cibus suis atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens „ scriptum. Namque est in libris Machabæorum, *Hic est Jeremias pro-* „ *pheta Dei, qui semper orat pro populo Dei.* " Idem *homil. in Numeros*, " Quis enim dubitat, inquit, quod sancti quique Patrum & orationibus nos „ juvent & gestorum suorum confirment exemplis.

Cyprianus *epist. ad Cornelium*, eum hortans ad perpetuam etiam post obitum charitatem, "Memores nostri invicem simus, inquit, & si quis isthinc „ nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit perseveret apud De- „ um nostra dilectio: pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam „ Patris non cesset oratio.

Hieronymus *contra Vigilantium*, "Dicis in libello tuo, ait, quod dum „ vivimus, mutuo pro nobis orare possimus, postquam autem mortui „ fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. " Cui sic reponit, "Si „ Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, „ quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas, vi- „ ctorias & triumphos?

Augustinus *in psal.* 85. " Dominus noster Jesus Christus adhuc inter- „ pellat pro nobis. Omnes martyres qui cum illo sunt, interpellant pro „ nobis. Non transeunt interpellationes eorum, nisi transeat gemitus „ noster.

PROBATUR 3. constanti Ecclesiæ fide, quæ in symbolo sanctorum omnium communionem semper prædicavit, quæ quidem communio in precum ac meritorum societate præsertim collocatur; adversus quam

cum insurgere ausus esset IV. seculo Vigilantius, omnium execratione & Hieronymi scriptis statim oppressus est.

Probatur 4. ratione. Ubi enim nulla suppetunt contraria momenta, stultæ temeritatis est omni repugnare velle antiquitati. Atqui (quod constat) hæretici in hoc controversiæ capite cum tota antiquitate pugnant, & aliunde nulla eis momenta suppetunt, quæ eadem vi, qua in nos torquentur, in eos retorqueri non possint. Ergo.

Objicies 1. 1. Tim. 2. 5. Apostolus de Christo sic ait, *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Ergo.

Distinguo antecedens: unus mediator redemptionis; concedo: intercessionis; nego. Porro ibi sermo est de mediatore redemptionis. Illico enim sic addit Apostolus, *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Nec vero excluduntur cæteri quivis mediatores secundarii, cum ab eodem Apostolo *mediator* appelletur Moses *in epistola ad Gal.* Et vero si iis verbis sanctorum hominum in cœlis pro nobis hominibus preces excluduntur, cur non & pro Ecclesia generatim? Cur non etiam vivorum preces pro suis? Eadem enim prorsus est quoad id omnium ratio. Atqui has postremas preces pro aliis & pro Ecclesia ipsimet admittunt adversarii. Ergo.

Adde quod fide certum non sit sanctos in cœlis, eo quod pro nobis orent, dici oportere *mediatores*. Sed esto *mediatores intercessionis* appellentur, sicut vulgo vocari consueverunt; quid ea in re periculi? Certe confessio Wittembergica, " Si loquendum est, ait, de mediatore „ precationis, unusquisque filius factus est mediator per Jesum Chri- „ stum: propterea officium exigit ut alter alterius salutem Deo pre- „ cibus commendet.

Objicies 2. Joannis epist. 1. cap. 2. v. 1. *Filioli mei*, inquit, *hæc scribo vobis ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*. Ergo nullus alius est advocatus.

Nego consequentiam. 1. Enim merum istud sophisma est: Christus est advocatus noster: ergo solus est noster advocatus. 2. Hæ Apostoli voces non magis orationes speciales sanctorum in cœlis evertunt, quam eorundem generales pro Ecclesia & vivorum pro se invicem precationes. Advocatus quidem hominum est Christus peculiari & insigni quodam jure, cum meritis suis omne gratiæ genus nobis impetrarit. Sed alii tamen eo ipso non removentur inferiores advocati, qui non nisi per ejus merita orant & sese nobis adjungunt apud ipsum ac Patrem ad beneficia, quibus indigemus, obtinenda. Hoc olim viderat S. Augustinus tanto ante & hæreticorum objectionem & nostram expositionem occupans *tract. 1. in hanc ipsam epistolam*, " Joannes quid dixit, „ inquit, *Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum- „ Christum justum?* Sed dicet aliquis, Ergo sancti non petunt pro no- „ bis? Ergo episcopi vel præpositi non petunt pro populo? " Sic autem respondet... " Sed attendite & videte quia & præpositi se com- „ men-

„ mendant populo. Nam Apostolus dicit plebi, *Orantes simul & pro no-*
„ *bis*. Orat Apostolus pro plebe: orat plebs pro Apostolo: oramus
„ pro vobis, fratres: sed & vos orate pro nobis: invicem pro se
„ omnia membra orent: caput pro omnibus interpellet.

SECTIO III.

De invocatione sanctorum.

UT pro instituto nostro more & ab omnibus, qui cum hæreticis disputare voluerint, diligenter usurpando, certa ab incertis distinguamus,

Observandum est 1. invocationem sanctorum a nobis statui, non tanquam unicuique omnino necessariam ullove Dei aut Ecclesiæ mandato præscriptam, sed velut licitam & utilem: ab hæreticis autem contra rejici non solum ut inutilem, sed etiam ut veræ religioni Christoque uni mediatori plane adversam.

Secundo, nullum esse dubium quin liceat vivorum pro se aliisque preces flagitare: cum hujusce rei multa in Scripturis extent exempla. Libro enim 1. Reg. 7.8. Judæi Samuelem alloquentes, *Ne cesses*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum*. Imo, quod est multo luculentius, Deus ipse amicos Job ad ejus preces confugere jubet, ut veniam consequantur, Job *cap. ult. v.* 8. Sic etiam Apostolus Rom. 15. 30. *Obsecro vos, fratres*, ... inquit, *ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*.

Tertio, de vocabulo *invocationis* nullam nobis litem moveri posse, quasi soli Deo proprium sit, & in sanctos non competat. 1. Enim in Scriptura illud de hominibus non semel dicitur. 2. Perinde nobis est, si invocandi dicantur aut rogandi sancti. 3. Vivos invocari posse ipsimet adversarii confitentur. De quo vide Grotium *in Anti-Bellarmino*.

Quarto, longe aliter a nobis invocari sanctos & Deum. A Deo enim postulamus, ut nobis dona & auxilia conferre dignetur, quibus indigemus: ad sanctos autem adimus tantum, ut in iis postulandis, & a Dei misericordia per Jesum-Christum obtinendis, sese nobis supplices adjungant.

Quinto, non esse fide catholica definitum a sanctis, qui in cœlis regnant, singulas hominum preces audiri. Neque vero id requiritur, ut eos invocare liceat. Invocari enim possunt, si orant pro nobis generatim, & unusquisque pro suis. Jam vero ad istud officium, singulorum notitia non est prorsus necessaria. Nulli enim nostrum dubium est, quin mortui suffragia vivorum implorent; nosque pro ipsis preces dependimus, licet sigillatim quid illi petant & quando petant ignoremus. Satis ergo est ad orationem & invocationem, si sancti nos diligant, si nostræ, quandiu vivimus, conscii sint indigentiæ. Posset enim fieri, si id voluisset

Deus, ut hæc mutua precum communio, non nisi in mutuæ charitatis signum esset instituta.

ASSERTIO.

SANCTOS in cœlis regnantes invocare fas est.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Genesis enim 19. 21. Lot petit ab Angelo, ut non evertat urbem Segor; cui sic respondet Angelus, *Suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro quo locutus es*. Jam vero si rogari possunt angeli, dum in terris degunt, nihil est cur pariter in cœlis invocari non possint. Genesis 48. 16. Jacob Angelum & parentes suos invocat super filiis Joseph, *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super iis nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham & Isaac*. Job. 5. 1. Eliphas ex vulgata sententia de Angelis aut hominibus invocandis ita ajebat Jobo, *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere*.

PROBATUR 2. cum Ecclesiæ judicio, quæ Vigilantii hæresim proscripsit, tum variarum synodorum auctoritate, in quibus sanctorum invocatio usurpata est. *In synodo* enim *Ephesina* sanctus Cyrillus ejus præses, B. Joannem invocat in oratione quam ibi habuit die illi sacra. *In Chalcedonensi* omnes episcopi exclamaverunt, "Flavianus post mortem vivit, „ martyr pro nobis oret." *In synodo VII. act. 6.* "Cum timore omnia „ agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item san- „ ctorum Angelorum, omniumque sanctorum &c.

PROBATUR 3. auctoritate Patrum qui primis quinque seculis vixerunt, quorum judicium hæretici nec defugiunt, nec defugere possunt, cum Ecclesiæ fidei suo quisque tempore sint saltem testes luculenti.

Origenes *hom. 1. in Ezechielem* "Veni angele, inquit, suscipe sermo- „ nem conversum ab errore pristino, ... & suscipiens eum quasi me- „ dicus bonus confove atque institue.

Eusebius *lib. 13. præp. evang. num. 11.* "Hæc nos ait, quotidie fa- „ ctitamus, qui veros pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad „ monumenta eorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viris „ sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.

Basilius *hom. 20. de 40. martyribus*, "Quantum laborares, inquit, ut „ vel unum reperires, qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta „ sunt, concordem effundentes orationem. Ubi duo vel tres congregati „ sunt in nomine Domini; ibi in medio ipsorum est. Ubi ergo quadra- „ ginta sunt, quis de Dei auxilio dubitabit? Qui affligitur, ad quadra- „ ginta confugit: qui lætatur, ad ipsos accurrit: ille ut malorum exi- „ tum inveniat; hic in secundis conservetur.

Ambrosius *lib. de viduis*, "Obsecrandi sunt, inquit, Angeli pro no- „ bis, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum „ videmus nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Pos-

„ sunt

„ sunt pro peccatis rogare nostris .... Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, qui & ipsi infirmitatem corporis „ nostri, dum viverent, cognoscebant.

Theodoretus finem imponens *historiæ sanctorum Patrum*, " Ego au„ tem, inquit, hanc narrationem concludens, rogo & quæso ut per ho„ rum intercessionem divinum consequar auxilium.

Probatur 4. duplici ratione. Prima est generalis. *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, Rom. 4. 15. Atqui nulla est lex de non invocandis sanctis constituta. Ergo.

Secunda est, quod sancti in cœlis non minus in auxilium nostrum invocari possint, quam ii qui in terris adhuc versantur. Quid enim obstet? An quod id patiantur in terris sancti, in cœlis autem nolint? At majori, quam antea, in cœlis charitate hominum sunt præditi. An quod non possint? At gratia longe majori valent apud Deum, quam cum hic degerent. An quod id in injuriam Christi unius nostri mediatoris cedat? At cur id in Christi contumeliam potius vergeret, quam sanctorum, qui terram incolunt, orationes?

Objicies 1° illud Rom. 10. 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Atqui in sanctos credere fas non fuerit. Ergo nec eos invocare.

Respondeo hunc locum ab hæreticis in alienum plane sensum detorqueri. Ibi enim non docet Apostolus quis sit vel non sit invocandus: sed inde probat evangelii necessitatem, quod nemo salvus futurus sit, nisi qui invocaverit nomen Dei. Nemo autem invocaverit Deum, quem non crediderit: nemo autem credere possit Deum, qui de eo non audierit: nemo autem audire possit sine prædicante.

Objicies 2. Jesus discipulis eum de oratione percontantibus, sic respondet, *Orantes dicite, Pater noster*, &c. Ergo nulla mentio sanctorum in oratione facienda est.

Nego consequentiam. Christus enim ibi quidem tradit & orationis modum & materiam. Quis sit autem orandus præcise non definit. Alioqui nec orandus esset Spiritus nec Christus ipse. Multo minus orari possent, qui nobiscum versantur, homines pii. Quod quam absurdum sit vel ipsi hæretici sentiunt.

Objicies 3. illud ad Coloss. 2. 18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans.* Ergo.

Respondeo juxta omnes antiquos interpretes eo loci verba fieri de quibusdam hæreticis vetustioribus, qui relicto Deo atque Christo tanquam supra orationes hominum posito, angelos instar minorum Deorum unice colendos asserebant; eos ut mediatores ac conciliatores solos ac ministros venerantes, quorum opera & interventu adeundus esset Deus summus, qui alias adiri non posset. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Ab hac vero impietate longe absumus.

Objicies 4. canonem synodi Laodicenæ 35. qui sic habet, " Quod

„ non oportet Christianos Ecclesiam Dei relinquere, & ire, atque an-
„ gelos nominare, & congregationes facere, quæ interdictæ noscuntur.
„ Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ serviens, sit
„ anathema, quia derelinquit Dominum Jesum-Christum, ... & se
„ idololatriæ tradit. " Ergo.

Nego consequentiam. Ibi enim non prohibetur quilibet angelorum cultus, sed is tantum, qui supra modum creaturæ est, & qui cum Christi contumelia conjungitur. Hic nempe notantur Simoniani, Menandriani, & alii id genus, qui Platonis imbuti dogmate angelis solis & mundi creationem tribuebant, & salutis nostræ opus committebant, eos tanquam minores Deos gentilium ritu venerantes relicto Christo, ut perhibent quicunque eorum dogmata exposuerunt, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius & Theodoretus. Inter hos hæreticos extiterunt quidam *Angelici* propterea nominati, qui divinos honores angelis exhiberent. Ita porro canonem hunc Laodicenum interpretantur etiam Balsamon & Zonaras. Et vero canon ipse Christi derelicti & idololatriæ meminit. Quapropter hic canon ad nos non spectat.

Objicies 5. Theodoretus *in cap. 2. epist. ad Coloss.* de eo colendorum Angelorum more differens, quem damnat Apostolus, addit morbum hunc in Pisidia ex Phrygia hæsisse longo tempore, " Cujus gratia synodus apud
„ Laodiceam Phrygiæ urbem habita, lege vetuit angelos orare, hodie-
„ que inquit, oratoria sancti Michaelis apud illos & eorum finitimos vi-
„ dere licet. " *In caput* autem 3. idem repetit ad hæc Apostoli verba, *Omnia in nomine Domini Jesu facite*: " Hanc legem, ait, secuta Laodi-
„ cena synodus ut veteri illi morbo remedium afferret, decrevit non es-
„ se supplicandum angelis, nec relinquendum Dominum Jesum-Christum.
„ Ergo.

Nego consequentiam. Theodoretus enim conceptis verbis affirmat eos illic ab Apostolo percelli, qui tanquam humilitate ducti dicebant, " Cum
„ invisibilis universorum Deus nec attingi nec comprehendi posset, opor-
„ tere per angelos divinam sibi conciliare benevolentiam: " & qui ita supplicabant angelis ut Christum relinquerent. Ait autem morbum hunc in Phrygia hæsisse longo tempore, quod duplici argumento probat: 1. quia synodus Laodicena, quæ hujus provinciæ fuit, id vetuerat: 2, quia etiam ætate sua multa supererant oratoria hujusmodi sancto Michaeli sacra, quæ sive deserta tunc essent, sive in Christi honorem conversa, utrovis modo erant veteris Phrygum propensionis in angelorum cultum indicia certissima. Orare ergo non licet angelos, quomodo eis supplicabant veteres illi hæretici, hoc est supra creaturæ modum, & ita ut Dominus noster Jesus-Christus relinquatur. An autem aliter orare eos fas sit, non definit ibi Theodoretus, alibi autem sæpe astruit.

Objicies 6. Deus ad beneficia & auxilia, quibus indigemus, conferenda paratus semper ac propensus est: Lucæ 11. *Petite & accipietis*. Ergo frustra invocantur sancti.

Ne-

Nego consequentiam. Ex eo enim sequitur quod possint non invocari; sed non sequitur quod non possint invocari, aut frustra invocentur. Quamvis enim revera opus necessario non habeamus patrono aut suffragatore apud Deum (ut ajunt S. Chrysostomus *homilia de profectu evangelii*, & Ambrosius seu quis alius *in cap.* 1. *epist. ad Rom.*) ipsi tamen est longe gratissimum, cum ad sanctos accedimus. Nos sane diligit Deus; sed sanctos tamen præ nobis diligit, in iisque se coli amat. Illud quippe ei est acceptum, quod in gloriam eorum cedit, quos maxime cupit honorare. Si enim amicos Job ad ipsum remisit, ut pro iis ille oraret *Job ult.* si Abimelech regem ejusque familiam nonnisi Abrabæ precibus sanari voluit, *Gen.* 20. 17. si quæsivit aliquando inter Judæos virum qui interponeret sepem & staret oppositus contra se pro terra, ne dissiparet terram *Ezech.* 22. 30. non abhorret profecto a sanctorum invocatione, eorumque orationibus.

Objicies 7. Sancti non audiunt preces nostras, easque præsertim, quas corde continemus. 1. Enim solus Deus scrutatur renes & corda, 3. *Reg.* 8. 39. 2. Job. 14. 21. de mortuo homine sic pronunciat, *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*. 3. De omnibus vita functis ita habet Sapiens, Eccl. 9. 5. *Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius*. Ergo sancti non sunt invocandi.

Nego consequentiam. Calviniani enim pervertunt legitimum ratiocinandi modum ac ordinem. Nam ex certo & constanti invocationis sanctorum usu, bene quidem nos colligimus ab iis preces nostras audiri. At illi ex eo quod ipsis non videantur sancti preces nostras audire posse, perperam colligunt eos non esse invocandos. Nempe a notioribus ad minus nota procedendum est; non contra. Porro Ecclesia semper sensit sanctos esse orandos, nec tamen ab ipsis preces nostras audiri definiit.

Neque vero id eo pertinet, ut velimus ignota revera esse sanctis & angelis quæcunque hic aguntur, aut etiam quæ animo cogitamus, modo illa cupiamus illis innotescere. Ista autem resciunt aut rescire possunt quadruplici via. Ac 1. quidem naturali quadam ac insita vi, quo pacto angeli sibi invicem cogitationes suas, cum libet, significant, & mutuo sese intelligunt. Quæ mens est Hieronymi *contra Vigilantium*. 2. Eorum, qui hinc ad superos pergunt, & angelorum, qui inter homines versantur, relatione. Quod conjicit Augustinus in libro *de cura pro mortuis*. 3. Singulari Dei beneficio, qui ea, utpote ad eos spectantia, a principio beatitudinis suæ sanctis manifestat. Quod Gregorius *lib.* 12. *Mor. cap.* 18. docet. 4. Denique peculiari revelatione cum opus est; qua ratione Samueli consilium Saulis patefecit, *Reg.* 9. 15. & Elizeo avaritiam Giezi, 4. *Reg.* 5. 26. Quod firmat Augustinus, cum in eodem libro *de cura pro mortuis*, tum *lib.* 22. *de civitate Dei*.

Quidquid vero sit de hac cognoscendi via, apud theologos certum

est sanctos homines post mortem, & angelos beatos rerum nostrarum notitia, precumque nostrarum sensu non carere; idque non modo fulciri potest omnium ecclesiarum ac seculorum consensione, quam fuse exponit Lindanus *in panoplia*: sed etiam ex Scripturis evinci potest.

1. Enim 2. *Paral.* 21. 12. Elias post obitum suum Joram regem datis ad eum litteris corripuit. Ergo Jorami acta Eliam non latebant.

2. *Tobiæ* 12. Raphael angelus offerebat Deo orationes Tobiæ: proinde quando eas funderet non ignorabat.

3. Jeremias propheta & Onias sacerdos, 2. *Machab.* 15. Deum orasse leguntur pro Judæis miserabili jugo oppressis: atque adeo Judæorum calamitates eos non fugiebant.

4. Joan. 8. 25. *Abraham exultavit ut videret diem* Christi, id est Incarnationem: *vidit & gavisus est*. Ea igitur ipsi juxta votum suum a Deo est revelata.

5. *Lucæ* 16. 23. idem Abraham narratur divitis epulonis in inferis positi gemitus audiisse, novisse bona, quæ ille in vita perceperat; & mala quæ pertulerat Lazarus, allegasse denique Mosen ac prophetas eorumque scripta, qui post Abrahami mortem apud Judæos demum floruerunt.

6. *Lucæ* 15. 17. Angeli in cœlo gaudium habere dicuntur *super uno peccatore pœnitentiam agente*: atque adeo id ipsis compertum est.

7. *Apoc.* 6. 9. martyres sciunt carnifices suos adhuc in terris versari, nec fusi sanguinis sui pœnas dedisse, quas propterea reposcunt.

8. Denique *ibidem cap.* 8. *v.* 3. Angelo data esse perhibentur incensa multa de orationibus sanctorum. Ergo eas perspectas habebant.

Quapropter ejusmodi notitia sanctis & angelis denegari non potest.

Ad 1. itaque dicimus Deum solum propria vi nosse cor omnium hominum. Illud enim discriminis est Deum inter & sanctos, quod corda per se scrutetur Deus & quidem omnium hominum, etiamsi illi velint quam maxime ea esse abscondita; sanctis autem hominum corda pateant aliquorum duntaxat, & cum ipsis hominibus id placet, ac singulari Dei beneficio.

Ad 2. respondeo Scripturæ verba esse intelligenda de insito naturæ lumine, quod sane si solum spectetur, non magis mortui rerum nostrarum notitiam habuerint, quam nos quid agant mortui resciamus.

ARTICULUS III.

De cultu crucis.

HÆc de cruce quæstio trifariam dividetur.

1. Enim agemus de signo crucis manibus efformari solito.

2. De vera cruce, quam Christus sanguine suo tinxit ac consecravit.

3. De

3. De crucis hujus imaginibus, pingendo, sculpendo, aut alio quovis modo expressis.

SECTIO I.

De signo crucis.

Quod a nobis manuum agitatione exprimitur crucis signum, multos variis temporibus nactum est hæreticos.

Primo enim veteres Manichæi illud tanquam pudendum aliquid spectabant, teste S. Augustino *lib. 6. contra Faustum.*

Secundo illud idem refugiebant alii recentiores Manichæi in Gallia visi, ut refert *historia Aquitanica*, apud Tichæum.

Tertio nostrorum temporum hæretici non solum eo abstinent, sed etiam maledictis illud incessunt. Imo & nonnulli novi ac recentis instituti hoc esse asserunt. Vide Magdeburgenses *centur. 3. cap. 10.* ubi notant illud a Montanistis profectum fuisse & a Tertulliano primum in Ecclesiam introductum.

ASSERTIO I.

Signum crucis manuum agitatione exprimi solitum usus est antiquissimi.

Probatur variis testimoniis Patrum.

Tertullianus enim, qui apostolicis temporibus vicinus fuit, *lib. de corona militis cap. 3.* enarrans quæ longe ante se ex veteri traditione in usu pervulgato erant apud omnes, inter alia de signo crucis sic loquitur, " Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem signaculo crucis terimus. Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo conservatrix, fides observatrix, " *Lib. 2. ad uxorem cap. 5.* eam deterrens a matrimonio post ipsius mortem cum infideli ineundo, " Latebisne tu, inquit, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas? " *Lib. 3. contra Marcionem cap. 22.* exponens quidnam esset illud signum, *Tau*, quod apud Ezechielem suorum omnium frontibus Deus imprimi voluit, " Ipsa, ait, est littera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & catholicam Jerusalem.

Origenes eodem circiter ævo *hom. 6. in Genes.* de hujus signi vi differens & ad ipsius frequentem usum adhortans, " Quid timent dæmones, inquit, quid tremunt? sine dubio crucem Christi . . . . Timor ergo & tre-

„ tremor cadunt ſuper eos, cum ſignum in nobis viderint crucis fideliter „ fixum, & magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in „ cruce.

Cyprianus *epiſt.* 58. hortans Tibaritanos ad martyrium, eoſque adverſus ſupplicia armans, “ Muniatur frons, inquit, ut ſignum Dei incolume ſervetur.

Euſebius *lib. 6. demonſt. evang. cap. ult.* id affert in argumentum Chriſtianæ religionis, “ Quis conſiderans, inquit, omnes, qui in Chri„ ſtum crediderunt, hoc ſalutari ſigno pro ſigillo utentes, non obſtu„ peſcat merito, cum audiat Dominum olim ita locutum eſſe, *Et ve„ nient, & videbunt gloriam meam & relinquam in eis ſignum.*

Baſilius *de Spiritu-ſancto, cap.* 27. hunc morem ab apoſtolis ad Eccleſiam manaſſe traditione non ſcripta aſſeverat, “ Dogmata, inquit, „ & inſtituta, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex do„ ctrina ſcripta, quædam rurſus ex apoſtolorum traditione, in myſte„ rio, hoc eſt, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem „ vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, qui vel le„ viter ſciat quæ ſit vis legum & inſtitutorum Eccleſiæ (quod genus „ eſt, ut quod primum eſt & vulgatiſſimum primo loco commemore„ mus) ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocaverunt in Chriſtum, ſi„ gnemus, quis ſcripto docuit?

PROBATUR 3. ratione deſumpta ex Auguſtino *lib. 4. contra Donat.* “ „ Quod enim univerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſem„ per retentum eſt, non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime „ creditur. “ Atqui univerſa Eccleſia hujus ſemper ſigni conſuetudinem & ubique uſurpavit. Ergo.

ASSERTIO II.

SIGNUM crucis manibus formari ſolitum uſus eſt laudabilis ac probandi.

PROBATUR. Illius enim ſigni uſus laudabilis eſt ac probandus, quod non tantum Eccleſia ſemper frequentavit, ſed ab ea frequentatum multis quoque miraculis Deus comprobavit, ab ipſis Chriſtiani nominis exordiis. Atqui res ita eſt.

1. Enim Thecla inſignis illa Pauli diſcipula hujus ſigni efficacia ignes non ſuperavit modo, ſed etiam extinxit, teſte Baſilio Seleucienſi *lib. 1. de ejus vita.*

2. Origenes *hom. 6. in Exod.* & Lactantius *lib. 4. Inſtit. cap.* 27, aſſeverant magnæ ad expellendos dæmones ſuo tempore hoc ſignum extitiſſe virtutis.

3. Eadem fere ætate quidam ex Gregorii Thaumaturgi diſcipulis, ejus vi dæmones e balneis expulit, referente Gregorio Nyſſeno *in ipſius vita.*

4. An-

4. Antonius eo signo adversus omnes dæmonum insidias & assultus armabatur, si Athanasio credimus, idque juxta eumdem *in lib. de Incarnat. Verbi* : adeo pervulgatum erat & notum, ut Christiani eventus ac miraculi securi provocarent Gentiles ad hujusce rei faciendam fidem.

5. Christiana quædam mulier eodem ferme tempore se ab importuna petulantis juvenis lascivia hujus signi usu liberavit; uti narrat Epiphanius *hæresi* 13.

Imo & Julianus ipse apostata, cum aliquando magicis artibus operam daret, subitoque dæmonum sibi apparentium conspectu consternatus, ad solita Christianorum arma, hoc est crucis signum, pro pristino more suo confugisset, omnia ista terricula disjecit, ut tradit S. Gregorius Nazianzenus *orat* 3.

Cæterum quamvis Deus ad ejusmodi signi usum & expressionem, multa olim prodigia ediderit, etiam cum Gentiles ipsi ac impii illud adhiberent, id præstitit ut demonstraret quam accepta sibi esset hujus signi frequentatio, quantaque esset virtus Christi. Neque enim ulla vis ei inesse putanda est patrandorum per se & ex opere operato, ut loquuntur scholæ, miraculorum, ut pote quæ in arbitrio Dei posita, nulli id genus signo addicta sint.

SECTIO II.

De veneranda quæ Christum tulit cruce.

TRIPLEX est de ea cruce difficultas.

Prima an cum a morte Christi defossa esset, IV. seculo inventa sit ab Helena Constantini matre, ut vulgo fertur : secunda, an ea sit veneranda : tertia, quodnam ei honoris genus conveniat.

De inventione veræ crucis.

VERAM Christi crucem ab Helena repertam fuisse omnes ad superiora usque secula crediderant. Verum cum Lutherani centuriatores hujus historiæ fidem, quæ ipsis incommodabat, elevare nisi essent, *cent.* 4. *cap.* 14. prodiit hac fere nostra ætate Salmasius e Calvinianorum secta, qui multo longius progressus, eam instar meræ fabulæ esse exponendam contendit, scripta epistola, in qua id suis, quibus erat optabile, imo & eruditis omnibus persuadere, quanta doctrinæ copia, tanto judicii ac famæ dispendio, studuit.

ASSERTIO.

CRUX, quam Christus corpore suo consecravit, ab Helena reipsa Hierosolymis inventa est.

PRO-

PROBATUR. Illud enim in dubium revocari non debet, quod tanquam verum & constans non modo coætanei & suppares scriptores narrant; sed etiam tota suscepit Ecclesia: Atqui res ita est de historia inventæ ab Helena crucis. Eam enim referunt

Primo Cyrillus Hierosolymitanus, qui rem istam, ut erat peracta, narrat imperatori Constantio *in Epistola ad eum scripta*. Cum autem eadem ætate & iisdem in locis floreret, facti veritatem ignorare non potuit, imo ejus oculatus forte testis fuerat. " Tempore, inquit, Deo „ dilectissimi, beatæque memoriæ patris tui Constantini, salutare cru„ cis lignum Jerosolymis inventum est: divina gratia ei .... etiam „ occultorum sanctorum locorum inventionem annuente.

Secundo Ambrosius *in orat. de obitu Theodosii Magni*, " Helena fe„ stinavit Jerosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis ... „ Aperit humum : ... tria patibula confusa reperit : ... hæret, ut „ mulier; sed certam indaginem sanctus Spiritus inspirat, eo quod duo „ latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium li„ gnum : .... redit ad evangelii lectionem : invenit quia in medio „ patibulo prælatus titulus erat : *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Hinc „ collecta est series veritatis; titulo crux patuit salutaris.

Tertio Ruffinus *lib. 1. hist. cap.* 8.

Quarto Paulinus *epist.* 11. *ad Severum Sulpitium*.

Quinto Sulpitius idem *hist. sacræ lib.* 2.

Sexto Theodoretus *hist. lib.* 1. *cap.* 18.

Septimo Socrates *lib.* 1. *cap.* 13.

Octavo Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 1.

Quos quidem magno consensu universi deinceps consecuti sunt. Adde Ecclesiæ pondus & auctoritatem, quæ in ejusce inventionis memoriam sacrum quotannis diem instituit.

OBJICIES 1. Eusebius Cæsariensis in Palæstina episcopus, qui Helenæ gesta recenset *lib.* 3. *de vita Constantini*, rem istam non commemorat.

RESPONDEO 1. hanc historiam extare *in Eusebii chronico*.

RESPONDEO 2. juxta Petavium & Thomassinum inventæ crucis historiam referri ab Eusebio libro ipso *de vita Constantini cap.* 29.

RESPONDEO 3. hoc argumentum, si quod sit, esse negativum, quod tot positivis præponderare non debeat. Si enim id fortuito casu oblitus fuerit Eusebius, an ejus memoriæ lapsus contestatæ aliunde veritati potest officere?

OBJICIES 2. Scriptores quidem multi rem istam referunt; sed illi secum invicem non concordant.

DISTINGUO antecedens : non concordant in levibus adjunctis; concedo : in rei summa; nego. Si enim idcirco historia hæc rejicienda foret, nulla sane esset admittenda.

A S

De veræ crucis honore.

ASSERTIO

CRux ab Helena inventa magno semper in honore apud omnes Christianos merito fuit.

PROBATUR iisdem, quibus superior momentis.

1. Enim Ecclesia solemni ac festo die eam honorari voluit.

2. Cyrillus *catechesi* 4. *a* 10. *b*, & 13. *c*, narrat Christianos ex omnibus mundi partibus ad honorandam Christi crucem Jerosolymam confluxisse, & cum erogatis in singulos hujus pretiosi ligni partibus plenus esset orbis terrarum, lignum tamen ipsum insigni miraculo integrum perstitisse.

3. Ambrosius *supra*, ait Helenam " Crucem in capite regum levasse, ut „ crux Christi in regibus adoraretur.

4. Paulinus itidem *supra*, diei in ipsius honorem statutæ meminit.

Certe quo studio, quo populorum concursu dies illa postmodum in Ecclesia celebrata fuerit nemo Christianus ignorat, & ex ecclesiastica historia compertum est.

Quanta autem religione veræ crucis particulas ambirent ac susciperent sanctissimi quique viri, testantur Gregorius Nyssenus *in vita Macrinæ* sororis suæ, Paulinus *supra* &c.

Denique veræ crucis honos adeo invaluerat, & ita stabilis inconcussusque habebatur, ut ne ab Iconomachis quidem sublatus fuerit.

Quin etiam Amalarius Fortunatus *de offic. eccles. cap.* 10. commemorat quidem nonnullos, qui aliis crucibus adversarentur; sed *ibidem* tamen monet hos ipsos in veram crucem religiosos semper mansisse. Ita quippe impietatis esse credebatur veræ crucis suum adimere cultum, ut ne impii quidem vulgares eum evertere auderent.

NEC dicas si crucem colere fas sit, quia sacrum tetigit Christi corpus, colere quoque fas fuisse asinum, quo vectus est, & Judæ proditoris os, cui Christus osculum impressit, & carnificum manus, qui ipsius corpus laniarunt.

Hoc enim consectarium falsum est. Illud quippe est inter inanima, & sensu aut ratione prædita discriminis, quod hæc non honorentur nisi propter insitam sibi dignitatem, & excellentiam: illa autem honorare possimus propter aliquam eorum ad alia veneratione digna habitudinem.

NEC

a Ligno crucis universus tandem orbis terrarum particulatim oppletus est.

b Lignum illud sanctum crucis testatur (Christum esse Deum) quod hodieque apud nos cernitur: & per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum isthinc orbem terrarum fere complevit.

c Arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est.

Nec addas crucem Christo extitisse summo dolori, summæque ignominiæ: eum autem filium impium fore qui patris sui patibulum coleret.

Nam crux eadem summo postea Christo honori fuit summoque nobis emolumento: atque adeo iis nominibus a nobis honorari potest.

Quo honore sit afficienda Christi crux.

Jam vero quo honoris genere prosequenda sit vera Christi crux, ex eo repetendum est, quod de imaginibus postea dicetur. Ejusdem enim rationis cultus est: nisi quod veræ cruci major, quam aliis crucibus, aliis autem crucibus major, quam vulgaribus imaginibus exhibeatur.

SECTIO III.

De crucibus ad veræ crucis imaginem effictis.

Cum in ea, quæ de crucibus & imaginibus instituitur quæstione, latum discrimen constituendum sit inter earum usum, qui pro variis temporibus ac rationibus varius esse potest, & earumdem cum habentur, cultum, seu Ecclesiæ de iis colendis dogma, duplex hic controversia subit; 1. de usu, qui ad disciplinam spectat; 2. de honore, qui ad fidem pertinet.

De usu vix ulla esse potest disputatio.

1. Enim, quantum quidem apparet, tribus primis sæculis cruces apud Christianos non usurpabantur. Præter quam quod enim earum nullum vestigium extat; cum gentiles Christianos irriderent, quod cruces universas venerarentur, & singulos cruciarios, probrum istud non tantum negando diluunt Origenes *libro* 2. *contra Celsum*, Tertullianus *in Apolog.* sed eamdem calumniam depellens Minutius Felix, " Cruces, inquit, nec coli„ mus, nec optamus. " Id vero prudentissime admodum fecerunt majores nostri.

2. Multo magis constat eas in communem usum exinde fuisse receptas in Ecclesia, quod ex antiquis scriptoribus liquet, & ex iis quæ mox dicentur perspicuum erit.

Tota lis igitur eo redit, an ex quo haberi cœperunt ejusmodi cruces, eas honorare licuerit.

Gentiles, ut modo monebamus, olim Christianos deribebant, quod cruces colerent: at illud impedimento non fuit, quominus tam vera crux, ex quo inventa est, quam reliquæ ad ejus imaginem effictæ, ex quo in usu esse cœperunt, magno in honore ac pretio fuerint.

Eas itaque propter Christi amorem, colendas nemo in Ecclesia dubitaverat ad Octavum usque sæculum, ac ne ipsi quidem Iconomachi, qui

qui licet Dei sanctorumque imagines respuerent ac confringerent, solemnes tamen veræ cruci aliisque dependi solitos honores, non tantum illibatos servarunt, sed etiam crucis obtestatione ac per eam juramento consectaneos suos adigebant, ut alias omnes imagines exterminarent: de quo Nicephorus Constantinopolitanus *in Breviario*; Joannes Damascenus *lib.* 2. *de Imag.* Theodorus *in ejus vita*; Synodus VIII.*act.* 6. Anastasius Bibliothecarius *in præfatione synodi* VII. qui id narrant, & deprompto inde ad hominem, ut vocant, argumento Iconoclastas maxime stringunt.

At IX. sæculo duplex in lucem emersit circa hoc caput error.

Primus est eorum, quorum meminit Amalarius, qui veram quidem crucem honorandam esse censebant; non autem reliquas: qui error statim extinctus est.

Secundus est eorum, qui tam hanc, quam cæteras omnes cruces conculcabant, quorum insania & furor repetitis identidem vicibus Ecclesiæ faciem plurimum fœdavit.

Istius amentiæ princeps fuit Claudius, Taurinensis præsul, Felicis Urgelitani *supra* a nobis memorati discipulus, quem ex professo confutarunt Jonas Aurelianensis, Dungalus, &c.

Eodem tempore in Oriente hujus impietatis socii eruperunt Pauliciani hæretici, veterum Manichæorum a cruce abhorrentium propago, sic a Paulo & Joanne fratribus, filiis autem cujusdam Callinicæ potentissimæ fœminæ, conjunctis nominibus appellati, qui IX. sæculo multa, & gravia bella cum imperatoribus Græcis gesserunt, ut perhibent Photius, & Petrus Siculus.

Hos secuti sunt pariter in Oriente seculo XII. Bogomili, Messalianorum Constantini ævo famosorum surculus, de quibus Euthymius *in Panoplia tit.* 23. in Occidente autem Henriciani seu Petrobrusiani ac postmodum Wicleffistæ.

Ex quibus omnibus idem virus Lutherani, & Calviniani hauserunt.

Saraceni quoque eumdem crucis cultum nobis vitio verterunt, & idololatriæ accusarunt, ut narrat idem Euthymius *tit.* 4.

ASSERTIO.

Cruces ad veræ crucis imaginem expressas colere licet.

Probatur variis honoris istius argumentis.

Ac 1. quidem Dei ipsius approbatione. Ipse enim primus crucis effingendæ auctor fuit, & exemplum dedit, cum ipsius in aere depictæ imaginem Constantino Magno obtulit in victoriæ pignus. Hoc narrat Eusebius *lib.* 1. *de vita Constantini cap.* 32. "Cumque ex eo tempore „ multam cruci venerationem adhibens imperator, ut loquitur Sozo- „ menus *lib.* 1. *cap.* 8. Labarum vexillum in crucis figuram efforma- „ tum,

„ tum, exercitui semper præire voluisset, ipsius pietatem tum De-
„ us insignibus victoriis compensavit, tum signiferum militem ab om-
„ nibus telis memorando prodigio non semel defendit; quod referunt
„ historici.

2. Ecclesiæ judicio, quæ crucis inimicos pro suis, simul eruperunt, habuit, & ejusdem vel ab ipso IV. sæculo consuetudine. Cruces enim honorari vulgo tum temporis solitas, & ædium foribus imprimi demonstrat Julianus apostata, cum id Christiani s exprobrat apud Cyrillum *lib. 6.* id autem nedum neget Sanctus Cyrillus, ut laudabile admittit.

Et vero tam frequenti in cultu usurpari tum cœpit crucis effigies, ut
" Reges deposito diademate crucem susciperent, ... in purpureis ve-
„ stibus crux inesset, in diadematibus, in armis, in sacra mensa & ubi-
„ que terrarum, crux sole ipso clarius refulgeret, teste Chrysostomo *tom.*
„ *6. homil. 61.*

3. Patrum testimoniis. Hieronymus enim *ad Psal. 98.* verba illa *Adorate scabellum pedum ejus*, de cruce intelligit.

Asterius Amasenus *oratione in Sanctam Euphemiam*, martyrium ejus describens, " Precanti humi, inquit, supra caput apparet signum
„ quod ex præscripto legis Christum adorant & inscribunt sibi.

Theodoretus *serm. 6. contra Græcos* " Græci, Romani ac barbari, in-
„ quit, crucifixum confitentur Deum, crucisque signum venerantur.

Augustinus *serm. 88. de verbis evangelii num. 8.* " Quia ipse, inquit,
„ honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit
„ crucem in hoc seculo; ut terrarum principes credentes in eum, pro-
„ hiberent aliquem nocentium crucifigi, & quod cum magna insulta-
„ tione Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus etiam re-
„ ges in fronte nunc portant.

Nempe ut non nisi in veneratione deinceps crux esset, imperatores, quod habent historici, vetuerant ne ulli exinde rei in cruce suffigerentur. Cui sanctioni, illud est postmodum etiam additum *lege 1. Codicis*, ne in pavimento eam inscribi liceret, omnium pedibus conculcandam Quod insuper sub anathematis pœna Trullana quoque synodus interdicit *can. 73.*

Objicies. Si cruces omnes vulgares colere fas esset, quia in cruce suffixus est Christus, fas esset etiam colere omnes clavos, quia clavis est confixus; & omnia flagra, quia iis laceratus fuit; omnia sepulchra, quia in sepulcro positus est. Atqui illud foret absurdissimum. Ergo.

Nego sequelam majoris. Cruces enim veneramur, quia ad veræ crucis similitudinem de industria effictæ sunt: unde cruces quas casu v. g. formatas scimus, non colimus. At ea quæ modo enumerabamus, sunt quidem iis similia, quibus honorem dependimus, sed ad eorum imaginem non exprimuntur: imaginis autem rationem in ejusmodi rebus duntaxat veneramur.

A R-

ARTICULUS IV.

De Reliquiis sanctorum.

QUÆRITUR hic solummodo an reliquias sanctorum generatim colere liceat.

1. Enim constat hic agi non de quibuslibet reliquiis dubiis, sed de probatis ac certis, seu potius de reliquiis in universum.

2. Non disputatur speciatim de his aut illis honoribus, quibus eas viri pii variis in locis pro suo quique genio prosequuntur.

3. Illud tantum honoris genus iis rebus deferri potest, quod rebus inanimis conveniat, & quod proinde a divino cultu non solum immensum distet, sed etiam a veneratione longe absit, qua sanctos ipsos afficimus: sanctos enim propter se amamus, & ut Dei amicos invocamus; reliquias non item.

4. Indubitatum pariter est, nullam iis inesse virtutem, qua aut miracula edant, aut nobis opitulentur.

5. Denique observandum est nullam esse Dei aut Ecclesiæ de iis colendis præceptionem.

Reliquiarum autem cultus hostes extiterunt, aut etiamnum sunt

1. Eunomius Arianus;

2. Vigilantius, qui IV. seculo, ut verbis utar Hieronymi, putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum protulit reliquias, eosque qui illas venerarentur *Cinerarios* & *Idololatras* appellabat.

3. Nostrorum temporum hæretici.

ASSERTIO.

Sanctorum reliquias honorare licet.

PROBATUR 1. ex Scripturis, in quibus Deus sanctorum tam mortuorum quam adhuc viventium corpora, vestes, vel etiam corporum ipsam umbram honorasse legitur, eorumque cultores acceptos sibi esse, variis ac crebris miraculis ostendit.

Exodi enim *cap.* 13. *versu* 19. ossa Joseph non modo honorifice secum asportavit Moses, sed etiam iis prophetiam ascribit Spiritus-sanctus, *Eccli.* 49. 18.

Deuteron. 34. 6. Deus ipse Moysis corpus sepelivit.

4. *Regum* 2. 8. voluit Deus ut aquæ Jordanis pallium Eliæ reverentes, in gratiam Elisei dividerentur.

4. *Regum* 13. 21. illustri prodigio cadaver Elizei commendavit, cum ad ejus contactum vitam mortuo restituit. Unde & *Eccli.* 48. 14. mortuum corpus ejus prophetasse dicitur.

Matthæi 9. 8. *Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, simul fimbriam*

vestimenti (Christi) *tetigit, sanata est a plaga*. Adde Matth. 14. 46. *Act.* 5. 15. tantæ efficaciæ putabatur, quidquid Apostolorum erat, un *in plateas ejicerent infirmos, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*. Act. 19. 11. *Super languidos deferebantur a corpore* Pauli *sudaria & semicinctia*, ut *recederent ab iis languores & spiritus nequam egrederentur* : quod & fiebat.

PROBATUR 2. perpetuo Ecclesiæ usu, constantique doctrina ab Apostolorum ætate.

Primo enim seculo cathedra Jacobi Apostoli & Hierosolymorum episcopi propter ejus amorem a Christianis servata est. " Sane, inquit " Eusebius *libro 7. hist. cap.* 19. & Jacobi illius cathedram . . . ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ jam inde a " majoribus magna prosequuntur reverentia : satis perspicue declarantes, qualiter cum antiquiores, tum nostri temporis Christiani, viros " sanctos, ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt & hactenus venerentur.

Secundo seculo eadem obtinebat consuetudo. *In Actis* enim *S. Ignatii Martyris*, quæ ab ipsius discipulis conscripta sunt, postquam notatum est eum fuisse a bestiis devoratum juxta vota sua, quibus optaverat ut nulli fratrum gravis per reliquiarum collectionem esset, sic pergitur : " Sola enim asperiora sanctorum ossium derelicta sunt, quæ in " Antiochiam reportata sunt, & in capsa reposita, sicut thesaurus in" appretiabilis; ab ea, quæ in martyris gratiam Ecclesiæ relicta. " Scilicet S. Ignatius hanc compertam habens fidelium in Martyres observantiam, sic dixerat *in epistola ad Romanos*, " Blandite bestiis, ut mi" hi sepulcrum fiant, & nihil derelinquant eorum quæ corporis mei, " ut non dormiens, gravis alicui inveniar. " Et vero ad honoris cumulum & perennitatem exinde Ignatii natalitia ad sacrum ejus corpus magna religione celebrata sunt. Ad quod ipsi Ignatii discipuli Christianos *in iisdem actis* exhortantur.

Eodem seculo cum S. Polycarpus gloriosam mortem pro Christo oppetiisset, Ecclesia ipsa Smyrnensis, cujus erat Episcopus, sic Christianorum in ejus reliquias studium Gentibus etiam notissimum, sed iis, Judæis, & dæmonibus perinde invisum commendat in *Epistola* quam summa cura nobis majores nostri servaverunt, & quæ extat imprimis apud Eusebium, *lib.* 4. *cap.* 15. " Verum invidus ille atque æmulus & " justorum generi semper infestus, nequissimus dæmon, ... operam " dedit ne corpus illius a nostris auferretur, tametsi multi inter nos " essent, qui id agere summopere cupiebant, & sacro illius cadaveri " communicare. Quidam igitur suggesserunt Nicetæ Herodis patri, fra" tri autem Dalces, ut Proconsulem adiret, moneretque ne cadaver " illius donaret : ne forte, ut ajebant, relicto crucifixo hunc deinceps " Christiani colere inciperent : & isti quidem hæc dicebant, suggerentibus atque instantibus Judæis qui etiam nostros sollicite observave" rant.

„ rant . Cum autem rogo corpus auferre tentarent ..... Porro cum „ centurio pertinaciam Judæorum animadverteret, corpus in medio col- „ locatum, ut moris est ipsis, concremavit : atque ita nos demum os- „ sa illius, gemmis pretiosissimis cariora & quovis auro puriora colli- „ gentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri „ poterit, convenientibus, concedet Deus, natalem ejus martyrii diem „ cum hilaritate & gaudio celebrare. " Sic Ecclesia Smyrnensis loquitur, cujus verba, licet prolixiora, quia sunt egregia, exhibere placuit.

Tertio seculo, cum Cyprianus sub ictu esset, ne quid ejus sanguinis in terram effluerei, quod Christiani pro sua pietate colligere non possent, " Linteamina & manuaria a fratribus ante eum mittebantur. „ Post mortem vero ejus corpus in proximo positum est cum cereis „ & scolacibus cum voto & triumpho magno. " Lege *Acta Proconsularia*.

Quarto seculo moris jam erat, ut veri Martyres a falsis, publico & solemni Ecclesiæ judicio ad cultum secernerentur, & eorum ossibus religiosa oscula figerentur a Christianis, antequam ad Eucharistiam accederent, idque schismati Donatistarum occasioni fuit, quod Lucilla factiosa ac potens femina a Cæciliano Carthaginensi archidiacono correpta esset, quia id honoris martyri, sed necdum vindicato detulisset, ut narrat Optatus *libro* 1.

Atque hæc sunt præ aliis insignia acta ac monumenta, ex quibus luce clarius patet, quo pietatis ac religionis affectu majores nostri vetustissimi sanctorum reliquias prosequerentur.

PROBATUR 3. Ecclesiæ auctoritate, quæ Eunomium ac Vigilantium confixit, de quo sic loquitur Gennadius Massiliensis, id referens inter ecclesiastica dogmata. " Sanctorum corpora, inquit, & præcipue bea- „ torum Martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissime hono- „ randa & basilicas eorum nominibus appellandas, velut loca sacra divi- „ no cultui mancipata, affectu piissimo ac devotione fidelissima adeunda „ credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, „ sed Eunomianus & Vigilantianus creditur.

PROBATUR 4. Patrum testimoniis. Eusebius *lib.* 13. *demonstr. evang. cap.* 11. referens Platonis opinionem de strenuis militibus, qui in acie pro republica fortiter occubuissent, quorum conditoria adoranda esse ajebat, " Hæc, inquit, ad Deo carorum hominum mortem, quos veræ „ religionis milites dixeris, accommodare convenit. Unde & nos ad eo- „ rum sepulchra adire consuevimus, & ad illa preces ac vota nuncupare: „ tum beatas eorum animas honore prosequi &c.

Basilius *in psalm.* 115. pro legis Judaicæ ritu, " Si quis moriebatur, „ inquit, horum morticinia habebantur abominationi : contra, si mors „ cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosissimæ sunt reliquiæ san- „ ctorum ejus. In priori lege dicebatur sacerdotibus & Nazareis, illud, „ *Non contaminabitur super ullo mortuo* : modo vero quisquis ossa marty-

„ ris attigit nonnullam sanctificationis communionem percipit ex ea
„ gratia, quæ illius corpori insidet.

Gregorius Nazianzenus *oratione* 3. exagitans Julianum ob illius in martyres odium. " Tunc, inquit, illos reveritus non es, quibus præ-
„ clari honores ac festa constituta sunt, a quibus dæmones expellun-
„ tur, & morbi curantur, quorum corpora tantumdem possunt ac san-
„ ctæ eorum animæ, sive tangantur, sive honorentur? .... Hæc non
„ colis, sed contemnis.

Ambrosius *epistola* 22. *primæ classis ad sororem*, narrat quomodo inventa sint a se corpora sanctorum Gervasii & Protasii, quo studio ægroti, ea dum transferrentur, tangere ambirent, & quod eo contactu patrata sint miracula, quæ ipse oculis usurpaverat: quo quidem testimonio nullum esse potest ad rem nostram luculentius.

Hieronymus cum *in epistola ad Riparium*, tum peculiari in opere, Vigilantii insaniam & impietatem profligavit. *In epistola* autem sic lo-
„ quitur: " Si non sunt, inquit, honorandæ reliquiæ martyrum, quo-
„ modo legimus, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*? Si
„ ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elizeus mortuus
„ mortuum suscitavit & dedit vitam corpus quod, juxta Vigilantium,
„ jacebat immundum? " In opere autem *contra Vigilantium* " Dolet,
„ inquit, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel
„ pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vi-
„ gilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando
„ Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus im-
„ perator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtu-
„ lit Constantinopolim, apud quos dæmones rugiunt .... Sacrilegus &
„ nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo
„ post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non
„ solum sacrilegi, sed & fatui judicandi sunt, qui rem vilissimam &
„ cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt .... O porten-
„ tum in ultimas terras deportandum!

Augustinus *libro* 9. *Conf. cap.* 7. eadem refert prodigia quæ narraverat Ambrosius, dum corpora sanctorum Gervasii & Protasii transferrentur. Sic & *lib.* 22. *de Civitate Dei*, testatur similia prorsus in Africa visa esse, per reliquias sancti Stephani non ita pridem repertas. *Epistola* autem 222. commendans Quintiliano Gallam & Simpliciolam, sic breviter suam nostramque & totius Ecclesiæ de sanctorum reliquiis
„ sententiam declarat: Portant sane, inquit, reliquias beatissimi &
„ gloriosissimi martyris Stephani, quæ non ignorat sanctitas vestra, si-
„ cut & nos scimus, quam convenienter honorare debeatis.

OBJICIES. Christus arguit extructionem sepulcrorum in honorem prophetarum, idque quasi certissimum communionis cum iis qui illos occiderunt, argumentum. Sic enim habet Matth. 23. 29. *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum & ornatis* mo-

monumenta justorum, & dictis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Lucæ autem 118. *Profecto testificamini quod consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.*

RESPONDEO, hunc locum non adversari sententiæ nostræ. Non enim in extructione sepulcrorum ejusmodi, factum ipsum vituperatur tanquam insania aut idololatriæ crimine implicatum, (quæ duo nobis objiciunt hæretici); sed animus tantum eorum, quasi hypocrisi totus delibutus arguitur, qui specie pietatis prophetarum a majoribus occisorum monumenta ornarent, cum tamen Dominum prophetarum crudeliter ipsi insectarentur. Unde acute & eleganter Christus alio convertens hoc idem factum, comparat eos latronum turmæ, quorum alii viatores interimunt, alii occisos humi occultant & defodiunt: *Profecto testificamini*, inquit, &c. non quod illorum ea mens esset; sed quod spectatis crudelibus eorum consiliis talis esse videretur.

ARTICULUS V.

De cultu imaginum.

HÆc de cultu imaginum dissertatio digna certe est quæ accurate pertractetur totque gravibus, quæ hactenus excussæ sunt, controversiis coronidis instar accedat.

SECTIO I.

De hæresi Iconoclastarum.

SACRARUM imaginum plurimi hactenus hostes extiterunt.

Ut enim prætermittamus Judæos, Samaritanos ac Saracenos, qui ex peculiari suæ legis instituto ab iis erant alieni, Manichæos, & similes iis phantasiastas, qui non modo Dei & Angelorum corporis expertium imagines respuebant, sed etiam Christi, utpote qui juxta eos fuisset merum hominis spectrum, ac gentiles ipsos qui Christum atque illius imaginem pati vulgo non poterant, quos omnes quasi Iconomachorum auctores enumerat Tarasius *in* septima *synodo*, *actione* 4. & 5.

Primus imagines Domini sanctorumque abjecit anno 485. Xenaias quidam, qui & Philoxenus, natione Persa, secta Manichæus, primum servus conditione, deinde vero a Petro Gnapheo Eutychianorum Theopaschitarum duce, Hierapolitanus Episcopus factus, de quo eumdem Tarasium lege *actione* 1. *concilii* VII. Theodorum Lectorem *actione* V. Theodorum Eutychianum *ibidem*, Theophanem *ad annum Zenonis* 16. Anastasium bibliotecarium, Nicephorum *lib.* 16. Cedrenum & ex iis recentiores.

Hunc æmulatus anno 723. Giezid Saracenorum princeps, qui facras imagines ex omnibus templis exturbari fecit, ad id adductus præstigiatoris cujusdam Judæi hortationibus, quadraginta ei imperii annos, si illud præstaret, polliciti, qui tamen Giezid eodem anno extinctus est.

In eamdem impietatem hujus exemplo abiit Theophilus, Natoliæ in Phrygia sub Synnadensi metropolita episcopus. Utrumque habes in Nicæna synodo secunda, *actione* 5. Theophane & Cedreno. Tarasius *actione* 4. ab eo Theophilo, (inter Catholicos) incendium cæpisse testatur.

Universos autem in abolendis imaginibus vicit imperator Leo Isauricus, iisdem fere quibus Giezid, Judæorum artibus delusus. Itaque anno 730. publico edicto imaginibus bellum indixit, tanto furore, ut Inconomachorum princeps merito habeatur. Cui pro catholica fide & Ecclesiæ usu fortiter in oriente obstiterunt, Germanus Constantinopolitanus patriarcha, & Joannes Damascenus: in occidente, Gregorius II. summus pontifex damnata ejus hæresi in synodo Romana anno 726. a Francis & Italis sub Stephano VII. recepta, teste Adriano II. *in epistola ad Carolum Magnum tomo 7. conciliorum pag.* 947. & post eum Gregorius III. qui anno 732. concilium Romæ habuit 93 episcoporum, in quo „ decretum est, " Ut si quis deinceps antiquæ consuetudinis & apo„ stolicæ Ecclesiæ usum contemnens adversus eamdem venerationem „ sanctarum imaginum depositor atque destructor & prophanator & „ blasphemus extiterit, sit extorris a corpore & sanguine Domini no„ stri Jesu Christi. " ut loquitur Anastasius *in ejus vita*.

Leonis imperio & amentiæ simul successit Constantinus Copronymus, qui & anno 754. ingenti ex omnibus ditionis suæ provinciis concilio Constantinopoli habito, imagines, 338. præsulum, qui eo convenerant, decreto abrogari jussit. Cum autem in id incumberet, ut furoris sui contagia ubique spargeret, in Galliam ad Pipinum legatos misit, tum ad fœdus cum ipso ineundum, tum præsertim ut eum in sceleris societatem pertraheret: in quo plurimum spes sua eum fefellit. Pipinus enim contra, Gentiliaci conventum habuit anno 767. in quo Græci oratores Cæsarem suum admonere jussi sunt, ut cum cæteris pie sentiret. Ita habet Æmilius ex antiquioribus historicis: de quo vide Cointium *ad illum annum*. Nec officio suo defuit Stephanus IV. pon„ tifex. " Gallorum enim zelo excitatus, & secutus decessorum vesti„ gia, plurimos episcopos anno 769. Romam accivit & præsertim e „ nostris 12. præsules in Scripturis & canonum doctrina versatissimos, „ qui sanctorum Patrum testimonia de sacris imaginibus .... in eodem „ allato concilio subtilius ... perindagantes, statuerunt magno honoris „ affectu ab omnibus Christianis ipsas sacras venerari imagines, sicut „ .. usque hactenus de earum honore observatum, anathematizantes „ execrabilem illam synodum, quæ in Græciæ partibus nuper facta est, „ pro disperdendis sacris imaginibus. " Verba sunt Anastasii.

Co-

Copronymum excepit Leo ejus filius, paterni in imagines odii hæres: post quem Constantinus imperavit cum Irene matre sua, qui ambo fidei catholicæ studio accensi, totos se dederunt, ut collapsum imaginum cultum restituerent.

Primo igitur Tarasium laicum quidem hominem, sed optimis moribus & non vulgari eruditione ornatum, in sedem Constantinopolitanam evexerunt.

Deinde vero anno 787. synodum generalem VII. ejus maxime suasu congregandam curaverunt, quæ Constantinopoli incœpta, Nicææ absoluta est. In ea sancitum fuit sanctas imagines esse venerandas, & osculis ac salutationibus, aliisque id genus honoribus prosequendas. Qui autem contra sentirent, anathemate perculsi sunt. Synodum probavit Adrianus I. cui ejus legati præfuerant.

Ejusdem synodi acta in latinam linguam barbare, nec satis fideliter versa, cum in Gallias allata essent, nostrorum animos maxime commoverunt, cum ob nomina quædam insolita sibi, & honorificentiora imaginibus ascripta, tum ob certos venerationis ritus Francis non usitatos, & maxime ob insignem quam præ se ferebant, vitio interpretis impietatem. Nempe *actione 3.* Constantinus Cypri Episcopus dixerat, prorsus catholico sensu: " Ego his (decretis) consentio, . . . „ suscipiens & amplectens sanctas ac venerabiles imagines. Adoratio- „ nem vero quæ fit secundum latriam, soli supersubstantiali, & vivifi- „ cæ Trinitati emitto. " Interpres autem contra reddiderat, ut con- „ stat *ex libro 3. Carolino cap. 17.* " Suscipio, & amplector honorabi- „ liter sanctas & venerandas imagines, secundum servitium adoratio- „ nis, quod consubstantiali Trinitati emitto. " Quo dicto & aliis sic exasperati sunt Galli, ut synodum VII. non tantum diu non receperint, sed impugnaverint ultro ac damnaverint.

Id vero potissimum egit Carolus Magnus ardenti pro fide animo & eruditione in paucis præstans.

1. Enim statim, & antequam Adrianus synodum istam confirmasset, adversus eam scripsit famosum illud nec mediocre opus, quod *librorum Carolinorum* nomine vulgo audit, in quatuor libros divisum, cujus selecta capitula ad pontificem misit, ejus judicio cuncta subjiciens. Sic autem respondit Adrianus ad singula, ut benigne quidem explicaret omnia Patrum synodi verba, sed interpretis inscitiam ac lapsum de vera imaginum adoratione nec notaret, nec argueret: quod sane mirum est. Licet autem cuncta quæ in concilio gesta erant, probaret, & omnibus in eo firmatis venerationis imaginum ritibus pro Ecclesiæ suæ consuetudine adhæreret, Caroli tamen non idem omnino sentientis, & diversam usurpantis doctrinam, fidem, quasi sanam ac rectam laudavit. Ejus Epistolam vide *tomo septimo Conciliorum*, *pag. 915.*

2. Hunc eumdem Græcorum synodalem librum Constantinopoli ad

ſe perlatum tranſmiſit Carolus anno 792. in Britanniam ad Alcuinum, contra quem ille epiſtolam ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter dictatam in perſona epiſcoporum ac principum (illius inſulæ) ad regem attulit Gallicanum (anno ſequenti,) ut habet Dunclinenſis, Rogerus, Rovedenus & Matthæus Oeſtmonaſterienſis, Angli ſcriptores.

Neque his contentus pius princeps cum ſuper hæreſi Felicis Urgelitani Francofurti concilium haberet, *canone* illius 2. Græcorum ſynodum confixit una cum omnibus ampliſſimæ ſuæ ditionis epiſcopis, & legatis Romani pontificis non reclamantibus.

Poſt Carolum in Occidente imperavit Ludovicus Pius ejus filius: in Oriente autem poſt Irenem, Nicephorum, Michaelem Curopalatem, & Leonem Armenum, Michael Balbus, qui ſe catholicum ſimulans, legatos ad Ludovicum, ab eo ad pontificem quoque Eugenium II. ituros, deſtinavit cum grandi epiſtola, in qua notatis variis Græcorum e vulgo in imaginum honorem ſupra modum effuſorum ſuperſtitioſis moribus mediam inter hos, & Iconoclaſtas viam tenuiſſe ſe teſtabatur, humilioribus quidem imaginibus, & ideo vulgi ſuperſtitioni magis obnoxiis, a conſpectu plebeculæ amotis, ſervatis autem ad recordationem, quæ in ſublimioribus Eccleſiæ locis poſitæ erant.

Litteras cum legiſſet Ludovicus, legatos quos comiter exceperat, Romam dimiſit, quo eos illico ſecuti ſunt ipſius juſſu Freculphus Lexovienſis epiſcopus & Adegarius, ab Eugenio poſtulaturi ut ſuper imaginum cauſam Gallos præſules congregari permitteret. Annuit pontifex, & cum epiſcopi noſtri Pariſios conveniſſent, pleraſque SS. Patrum ſententias collegerunt, majorum ſuorum veſtigiis ſic inſiſtentes, ut propter amorem ſanctorum, imagines in Eccleſia honorifice eſſe ſanciant, non tamen, ut in Græcia fiebat, colendas.

Hanc collectionem quæ exeunte ſæculo XVI. in lucem prodiit ſynodi Pariſienſis titulo, tradidit Ludovicus Jeremiæ Senonenſi archipræſuli & Jonæ Aurelianenſi Romam ad Eugenium perferendam, iis mandans ſcripto, quod *commonitorium* vocant, ut quanta cautione potis eſſet., & pro ſua ſolertia Romanum pontificem ad Gallorum ſententiam adducere conarentur, atque adeo ex illa ſententiarum collectione ea excerperent quæ huic concilio opportuna judicarentur, ne lecto integro libello Eugenii animus irritaretur. Adjunxit & epiſtolam quam Galli ſcripſerant, Eugenii nomine ad Græcos, ſi ita ſibi videretur, dirigendam.

Quid autem poſtea actum ſit, penitus ignoratur. Unum id conſtat, Eccleſiam nempe Gallicanam in eadem ſententia ac diſciplina diu perſtitiſſe.

Cum enim ſub idem tempus Claudius Taurinenſis Iconoclaſtas æmulatus, imo & ſupergreſſus, omnes ex templis imagines, & cruces exigeret, eaſque confringeret, ejus quidem temeritatem, & inſolentiam

tiam redarguerunt Theodemirus Abbas, Dungalus reclusus, & Jonas Aurelianensis; sed ita ut a pristino imagines colendi modo non desisterent.

Certe VII. synodo ac reliquis deinceps habitis nostri ad XII. usque sæculum adversati sunt, ut liquet ex Eginhardo, Hincmaro, Adone, annalibus Francis, Bertinianis, Fuldensibus, Adhelmo, & Aimonidis continuatore ad annum usque 1150.

Iconomachorum autem hæresim ubique proscriptam ac fractam excitasse feruntur XII. sæculo Bogomili, Waldenses, & Albigenses, & XIV. Hieronymus de Praga, quos sequi non erubuerunt nostri hæretici.

SECTIO II.

De Ecclesiæ super imaginibus fide ac disciplina generatim, variisque theologorum opinionibus.

CONTRA istos omnes Ecclesia decrevit in Concilio Tridentino, imagines Christi, Deiparæ, & aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas; eisque aliquem honorem, & venerationem esse impertienda.

Quo quidem in loco duo sunt diligentissime secernenda, Ecclesiæ nimirum fides, ac disciplina. Quod ad fidem pertinet, Ecclesiæ dogma adversus hæreticos in eo positum est, quod imagines Christi ac sanctorum honore convenienti prosequi fas sit.

Cætera vero aut ab ipsis hæreticis in dubium non revocantur, aut apud ipsos etiam catholicos in incerto adhuc manent.

Certum quippe 1. est tam apud hæreticos quam catholicos, imagines aliquas effingi posse.

2. Nullam in iis esse virtutem aut divinitatem, propter quam sint colendæ.

3. Divinos imaginibus honores non esse deferendos.

4. In lato illo honorum imaginibus competentium genere varios distingui posse gradus pro varia exemplarium dignitate, aut diverso, quo ad illa accedunt, modo.

5. Honorem imaginibus debitum non oportere necessario appellari religiosum.

6. Nullum esse de iis colendis pro unoquoque præceptum.

Qualis autem ille sit speciatim honos imaginibus conveniens, haud definitum est, deque eo apud theologos disputatur.

1. Enim non pauci volunt uno eodemque omnino honore prosequendas esse imagines & exemplar, ita ut idem honoris modus in utrumque simul, diversa licet ratione, cadat, & per imaginem ad exemplar transeat; proinde illi v.g. censent reipsa adorandas esse relative Christi imagines ac crucem.

2. Alii

2. Alii contendunt proprio sibi ac peculiari honoris genere, & inferioris multo gradus, imagines esse afficiendas.

3. Nonnulli externam tantum & honorariam venerationem imaginibus attribuunt.

In eo autem cuncti concordant, quod nempe is honos, qualiscumque sit, absolutus esse non debeat, sed relativus; nec imaginibus propter se, sed propter exemplar deferatur.

Jam vero ad Ecclesiæ disciplinam pertinet

1. Imaginum expressio & usus.

2. Imaginum genus.

3. Honoris modus, & externa signa.

1. Enim fieri potest citra ullum fidei damnum, ut licitus per se imaginum usus, justis de causis, certo tempore non adhibeatur aut etiam interdicatur.

2. Discrimen aliquod imagines inter & statuas non absurde constitui potest, ita ut hæ repudientur, illæ contra admittantur.

3. Nec omnium imaginum eadem est ratio. Etsi enim fingere liceat effigiem Christi, & sanctorum qui corpore præditi fuerunt, dubium cuipiam esse potest, an Dei quoque & SS. Trinitatis imagines effingendæ sint.

4. Necesse non est, ut universi qui imaginibus impertiuntur venerationem, illam iisdem vocabulis exprimant, & in eadem extrinsecus signa erumpant, quippe quæ pro vario animi judicio variisque diversarum regionum moribus dissimilia esse queant.

His positis jam quærendum est. Primo, an imagines exprimere fas sit, & quas: Secundo, qualis fuerit earum apud Judæos & Christianos usus: Tertio, an eas honorare liceat: Quarto, quo honoris genere afficiendæ sint.

SECTIO III.

An imagines exprimere fas sit, & quas.

NULLA est Ecclesiæ in hoc capite cum hæreticis controversia: illi enim imagines generatim, aut speciatim etiam Christi & sanctorum effingi posse nobiscum sentiunt: solas Dei ac sanctissimæ Trinitatis effigies excipiunt, quas nos quidem & vulgo usurpamus & admittimus; admitti autem & confici posse aut oportere, in fidei dogma non suscepimus.

Ne quid tamen intactum relinquamus, agemus 1. de imaginibus generatim; 2. de imaginibus Christi, ac præsertim sub agni specie, quæ peculiarem difficultatem facessunt; 3. de imaginibus Angelorum; 4. de imaginibus Dei.

AS-

ASSERTIO I.

IMAGINES exprimere per se ac ipso naturæ jure nefas non fuerit.

PROBATUR 1. Dei ipsius auctoritate. Si enim figuras exprimere per se non liceret, neque multas effingi ipse jussisset, neque earum effingendarum artem ulli dedisset. Atqui Deus 1. multas imagines ac figuras effingi imperavit, v. g. duo Cherubim ad arcæ latera *Exodi* 25. 18. & serpentem æneum *Numerorum* 21. 8. 2. Eas sculpendi artem Beseleel & Ooliabo largitus est *Exodi* 31. Ergo.

PROBATUR 2. omnium gentium sententia & consuetudine, quæ & imagines in mores suos receperunt, & earum artifices magno in pretio habuerunt.

PROBATUR 3. omnium Christianorum, tam hæreticorum quam catholicorum consensu. Nullus enim est, qui id jam in dubium revocaverit.

ASSERTIO II.

IMAGINEM Christi depingere licet.

Hæc assertio est adversus Iconomachos veteres, qui id in conciliabulo suo nefas esse sanxerunt, ea ratione, quod cum Christus divinitate simul & humanitate constet, divinitatis autem nulla sint lineamenta quæ duci queant; qui Christum sub humana forma expresserit, is ipsius divinitatem ab humanitate separare, aut utramque naturam confundere videatur: de quo *actione 6. concilii* VII. *pag.* 427. *& seq.*

PROBATUR 1. omnium ecclesiarum qui hactenus obtinuerat usu Certum enim est usque ad illud tempus ejusmodi Christi effigies ubique fuisse usurpatas, quas Iconomachi dejecerunt ac combusserunt.

PROBATUR 2. omnium synodorum post sextam, quæ de imaginibus egerunt, auctoritate. Nulla enim est, quæ id aut conceptis verbis non habeat, aut non supponat: Septima vero non illud modo decrevit *actione 7. in definitione fidei*; sed etiam Iconoclastas *actione 6.* validissime confutavit exemplo hominis, cujus corpus pingere licet; quamvis non ex corpore solo, sed etiam ex anima, quæ exprimi non potest, constituatur. Ea enim ratio ac comparatio efficacissima est.

ASSERTIO III.

CHRISTUM sub agni specie depingi vetuit synodus Trullana.

PROBATUR ex verbis ipsius concilii *can.* 82. Sic enim habet *tomo 6. conc. pag.* 1 77. " In nonnullis venerabilium imaginum picturis, " agnus qui digito præcursoris monstratur, depingitur, qui (agnus) " ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem " Chri-

„ Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas igitur figuras am-
„ plectentes, gratiam & veritatem præponimus, eam ut legis imple-
„ mentum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est, ... omnium ocu-
„ lis subjiciatur, Christi Domini nostri humana forma characterem,
„ etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi jubemus. Hunc canonem laudant in imaginum honorandarum gratiam Tarasius *in epist. ad Antiochenos*, *actione* 3. *concilii* VII. & universa ipsa *synodus* VII. *actione* 4. Carolus-Magnus ad objectam sibi hujus canonis auctoritatem respondet *lib.* 2. *cap.* 18. & eam defendit Adrianus I. *in sua ad eum epistola*, *tomo* 7. *concil. pag.* 932.

Ibi autem Patres non tantum præferunt agni figuræ alteram Christi sub humana forma effigiem, quod immerito contendit Bellarminus, arguens Caranzam; sed etiam eam solam deinceps usurpari jubent, quod Caranza recte fuerat opinatus; qui cum addit Reges Magos sub stellæ & Spiritum-sanctum sub columbæ specie exprimere esse quoque interdictum, id e Balsamone depromsit.

Agni autem effigiem prohibent hic præsules Constantinopolitani, non quod illicita per se esset, sed quod minus esset perfecta, & quod ad veterem legem potius pertineret.

ASSERTIO IV.

Christum sub agni specie depingi illicitum non est.

Probatur communi ecclesiarum tam ante synodum Trullanam, quam post istam, consuetudine. Christus enim non solum sub agni forma a Joanne demonstrati, aut occisi, passim depingitur; sed etiam Romæ jam inde a vetustissimis temporibus sub agni effigie expressus conspicitur. Vide Paulinum *epist.* 12. *ad Severum*, & Rosveidum *ad illam epistolam*.

Neque vero obest synodi Trullanæ auctoritas, nec ejus ratio: non auctoritas, quæ nulla unquam apud nos fuit, quoad disciplinæ capita; non ratio ejus gemina. 1. enim nihil est cur imago minus perfecta certis de causis exprimi non possit. 2. Agni effigies non modo spectat legem veterem, sed etiam novam, ut patet. Si autem pertineret duntaxat ad veterem, non ideo exprimi non posset.

ASSERTIO V.

Angelos sub aliqua figura exprimere, humanaque potissimum, nefas non fuerit.

Probatur 1. Salomonis regum sapientissimi, aut potius ipsius Dei, auctoritate. Cherubinorum enim figuris arcam & sanctuarium exornarunt *Exodi* 25. & 3. *Reg.* 6.

Probatur 2 purioris Ecclesiæ, jam a quarto & quinto seculo, usu

usu & approbatione. 1. Enim Angelorum ætate sua pingi solitorum mentionem non sine laude facit Gregorius Nazianzenus *oratione* 23. 2. Xenaias anno 485. imagines Angelorum e templis exturbasse legitur, quæ proinde in usu pervulgato erant: de quo consule scriptores quos *supra* indicavimus. 3. Severus Eutychianus eo nomine potissimum reprehensus fuit a Joanne Gabalensium episcopo, quod vel ipsas Angelorum quibuscum depingi consueverant vestes, in albas necessario commutari vellet. Id habes *actione* 4. *concilii* VII. *pag.* 371.

PROBATUR 3. synodi ipsius VII. judicio & ratione. Cum enim *actione* 4. lectus esset dialogus Joannis Thessalonicensis cum homine gentili, in quo gentilis ille vulgares Deorum suorum, etiam corporis expertium, imagines probare volebat exemplo Angelorum quos, etsi incorporeos, depingi moris erat apud Christianos; & cum respondisset Joannes Thessalonicensis ideo Angelos pingi, quod corpore, tenui „ licet, essent præditi: sic sententiam istam emendavit Tarasius: " O„ stendit Pater, inquit, quod Angelos oporteat pingi, quoniam & cir„ cumscripti sunt, & veluti homines apparuerunt multis.

Profecto cum sub humana specie Angeli se frequenter hominibus conspiciendos præbuerint, nihil obstare video quominus in iisdem historiis exhibendis aut etiam alibi sub eadem forma exprimi queant.

ASSERTIO VI.

DEI imagines pingi non oportere quidam e catholicis olim censuerunt.

PROBATUR auctorum enumeratione, qui ejusmodi effigies non probaverunt.

1. Enim Tertullianus *in Apologetico*, Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *stromatum*, Origenes *libro* 8. *contra Celsum*, Minutius Felix *in Octavio*, Lactantius *libro* 2. *Institutionum*, *cap.* 2. adversus idola pugnantes, non tantum vana simulacra esse affirmant, sed etiam nullam ab hominibus imaginem divinitatis effingi oportere, nisi in animo nostro: qua exceptione sane omnem effigiem Dei sensibilem excludunt.

2. Clemens Alexandrinus *libro* 5. *stromatum*; Origenes *libro* 4. & 6. *contra Celsum*, Tertullianus *de spectaculis cap.* 22. & 23. significant Judæis præscriptam olim legem de imaginibus Dei non fabricandis, ad nos etiam pertinere.

3. Cum catholicos inter & Iconoclastas disputari cœptum est an imagines confici liceret, & imagines Dei catholicis hæretici exprobrarent, plerique e nostris confessi sunt Dei effigiem exprimi non posse, licet depingi posset Christus & sancti. Gregorius II. pontifex *epistola* 1. *ad Leonem Isaurum*, id fieri non debere affirmat, quia Deus videri ac proinde delineari non potest: " Patrem Domini Jesu-Christi, inquit, non „ oculis.... subjicimus ac pingimus, quoniam ... Dei natura proponi

„ non

„ non poteſt ac pingi. “ Germanus patriarcha Conſtantinopolitanus ad Joannem Synnadenſem *act.* 4. *ſynodi* VII. *pag.* 292. aſſerit id in injuriam Dei cultus vergere. Theodorus patriarcha Hieroſolymitanus *actione* 3. *concilii* VII. idem & eadem qua Gregorius II. ratione definit. Epiphanius quoque diaconus, nomine *ſynodi Nicænæ actione* 5. eodem prorſus excipit modo, ac Deum quidem non poſſe exprimi concedit, quod non ſit circumſcriptus; contendit autem Chriſtum & ſanctos pingi licere, quod corporibus præditi ſint. Idem eodem tempore docuit Joannes Damaſcenus *lib.* 4. *orthodoxæ fidei*, *cap.* 17.

4. Nicephorus *libro* 18. *cap.* 53. Armenos arguit, quod imagines Dei haberent. Idem in Albigenſibus reprehendit Lucas Tudenſis *libro* 2. *contra eos cap.* 9. & 20.

5. Id ex profeſſo e recentioribus ſtatuerunt Henricus Gandavenſis *quodlib.* 10. *cap.* 6. Durandus *in* 3. *diſtinct.* 9. Abulenſis *in cap.* 4. *Deuter. quæſt.* 5. Clictovæus *ad Damaſcenum*.

ASSERTIO VII.

ILLICITÆ non ſunt hujus generis imagines, certo ſaltem modo.

Nempe triplici modo ac conſilio poteſt quis Dei effigiem adumbrare: 1. ut naturam ejus exprimat & oculis ſubjiciat: 2. ut eum ſub illa tantum forma exhibeat, in qua hominibus identidem apparere dignatus eſt: 3. ut ſenſibilis imaginis ope ad Dei inſenſibilis notitiam nos evehat. Primum divinitatis exprimendæ modum rejicimus, duplicem poſtremum admittimus.

1. Propter veterum auctoritatem, qui ejuſmodi imagines uſurparunt. 1. Enim in Ponto S. Baſilius columbas in Spiritus-ſancti imaginem ſuper altari ſuſpenſas habuit, teſte Amphilochio in ejus vita. 2. Paulinus in Italia baſilicam S. Felicis exornaverat ſanctæ Trinitatis imaginibus. Sic enim ait *epiſt.* 12. *ad Severum:*

Pleno coruſcat Trinitas myſterio,
Stat Chriſtus agno, vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus - ſanctus fluit.

3. Id quoque uſurpatum erat in eccleſia Antiochena. Clerici enim & Monachi *in ſua adverſus Severum Eutychianum expoſtulatione*, quam exhibet concilium Conſtantinopolitanum ſub Mena, anno 530. *actione* 5. *tomo V. conciliorum*, *pag.* 158. conqueruntur quaſi de crimine notiſſimo, quod “ Columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus-ſancti ſuper „ divina lavacra ſuſpenſas una cum aliis ſibi appropriavit, dicens non „ oportere in ſpecie columbæ Spiritum-ſanctum nominare. “ De quo & conſule Taraſium *actione* 5. *concilii VII.*

2. Ob frequentiſſimum Eccleſiæ uſum, quem damnare temeritatis fuerit,

rit; & quo Pater sub *Antiqui dierum* specie, & Spiritus-sanctus sub columbæ forma passim exprimitur. Eam porro consuetudinem concilium Tridentinum, etsi decreto sancire noluit, approbasse videtur *sessione* 25. cum decernit, si istæ imagines usurpentur, ut diligenter moneatur populus, id non fieri, quasi oculis corporeis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit.

Accedit ratio duplex.

1. Est, quod Deus sub aliqua figura sese hominibus manifestaverit; Pater quidem Isaiæ sub specie principis in solio sedentis *cap. 6. v. 1.* Danieli sub imagine antiqui dierum *cap. 7. v. 9.* Verbum in humana forma frequenter antiquis patriarchis juxta communem veterum sententiam: Sanctus denique Spiritus in effigie columbæ *Matth. c. 3. v. 16.* Vitio ergo verti nobis non debet, si quam ipse Deus imaginem sui menti aut oculis hominum objecit, eamdem nos ejus exemplo exprimamus.

2. Est, quod Spiritus ipse sanctus in Scripturis ad juvandam hominum imbecillitatem eique sese accommodans, varias Dei perfectiones sub variorum humani corporis membrorum nominibus delineet; proinde nihil absurdi esse queat, si idem præstemus.

Neque dicant hæretici Deum ipsum *Exodi* 20. 4. & *Deuter.* 4. 15. vetuisse ne ulla sui imago fieret.

Nam ut mox ostendemus, omnem ista prohibitione, etiam cujuslibet imaginem complexus est Deus. Quapropter hæc difficultas in ipsos quoque hæreticos recidit, cum illi multas imagines admittant. Dicimus ergo ibi non vetari ipsas imagines, sed earum duntaxat cultum, eoque sensu præceptum est juris naturalis: aut si imagines ipsæ interdicantur, id fuisse juris divini positivi quod ad Judæos tantum pertineret.

SECTIO IV.

De imaginum usu.

Ab imaginum expressione ad earum usum procedendum est, ut adversus hæreticos demonstremus eas pro temporum, causarum, & locorum diversitate aut adhiberi, aut submoveri posse, magnamque objectionum silvam adversus catholicum de earum honore dogma, ab ipsis fieri solitarum, in antecessum succidamus.

ASSERTIO I.

Imaginum usus non est necessarius.

Probatur omnium catholicorum sententia, qui imaginum usum ad Ecclesiæ disciplinam referunt. Et vero, ut inquiunt Galli præsules *in conventu Parisiensi*, « Si imago in toto orbe terrarum nulla picta vel

» ficta

" ficta esset, nunquid aliquid fidei, spei, vel charitati sanctæ Dei Ec-
" clesiæ abesset?

ASSERTIO II.

OMNIS imaginum non tantum Dei, sed rerum etiam quarumlibet aliarum usus Judæis peculiari lege fuit a Deo interdictus.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ duo in imaginum prohibitione distinguunt, & simul esse vetita aperte indicant, usum nempe & cultum imaginum, ad omnem idololatriæ occasionem amputandam, in quam erant propensissimi. Utrumque eis esse interdictum voluit Deus: & cultum quidem ut illicitum per se; usum vero ut illius materiam & causam. Imagines porro non tantum Dei, sed etiam hominum erant periculosæ, cum ab iis idololatria originem duxerit, *Sap.* 14. 15.

Exodi 20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* (id est nullam,) *quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.*

Levitici 26. v. 1. *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec vitulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.*

Deuter. 4. 15. *Custodite*, inquit Moses, *sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, seu piscium qui sub terra morantur in aquis.*

In his locis, ut patet, non imago tantum Dei, sed etiam aliorum quarumvis rerum prohibetur, nec vetatur modo imaginum cultus, sed etiam expressio.

PROBATUR 2. gentis ipsius Judaicæ sententia. 1. Enim cum Herodes aquilam supra majorem templi portam collocare attentasset id tota natio graviter tulit, teste Josepho *lib.* 17. *antiq. cap.* 7. 2. Ex eodem *lib.* 18. *c.* 4. cum Pilatus aliquando signa cum effigie Cæsaris in urbem Jerosolymam intulisset, non sine legis contumelia, qua cautum erat, ne ejusmodi imagines paterentur, omnes sese ad mortem obtulerunt, potius quam id sinerent.

PROBATUR 3. testimonio veterum scriptorum non Judæorum modo, sed etiam profanorum. Ecatæus enim apud Josephum *lib.* 1. *in Appionem*, nullum in templo Judæorum simulacrum extitisse notat. Philo in *libro* 10. cui titulus est, *Quis est divinarum rerum hæres?* asserit e republica Judæorum omnes pictores & sculptores summotos fuisse. Libro autem *de Decalogo, & in legatione ad Cajum* omnes imagines propria sibi lege interdictas esse testatur. Idem affirmat Josephus *lib.* 2. *contra Appionem. Libro* autem 8. *Originum*, Salomonem arguit, quod contra hanc legem multas imagines effingendo, peccaverit. Denique Tacitus

lib. 5.

lib. 5. *histor.* " Judæi, inquit, mente sola unumque numen intelligunt: " profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum " effingant.... Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis, " sunt: non regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor.

PROBATUR 4. sanctorum Patrum auctoritate.

Justinus Martyr *in dialogo cum Tryphone* id supponit. Ex eo enim ibi colligit in figuram Christi a Mose erectum esse serpentem æneum, quod alias erigi non debuisset: cum omne imaginum genus Judæis esset interdictum.

Origenes *lib.* 4. *contra Celsum*, *pag.* 185. " Apud quos (Judæos,) " ait, nullum aliud numen erat receptum quam Deus hujus rerum " universitatis præses, ablegatis omnium simulacrorum opificibus. Nam " in civitatem eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, le- " gibus totum hoc genus arcentibus, de qua occasio præberetur ho- " minibus crassis, neve animi eorum a Dei cultu avocarentur ad res " terrenas per hujusmodi illecebras. " Tum laudat Deuteronomii le- " gem.

Tertullianus *de idololat.* asserit Deum ad eradicandam materiam idololatriæ, non tantum idola, sed omnem similitudinem prohibuisse. *Libro* vero 4. *contra Marcionem*, *cap.* 22. Mosen & Eliam cum Christo in monte colloquentes agnitos fuisse a Petro in spiritu non ex imaginum fide: " Neque enim, inquit, imagines eorum & statuas populus " habuisset & similitudines, lege prohibente.

In eadem sententia versati sunt olim Theodorus Studita, quod ejus vita perhibet, & Joannes Damascenus, *oratione* 2. *de imaginibus*.

NEQUE dicas 1. si præter idololatriæ prohibitionem, sit peculiare de imaginum usu non introducendo præceptum in decalogo, non jam decem in eo fore mandata, sed undecim.

NAM uno eodemque præcepto & idololatria, & imaginum usus quasi illius occasio, interdicitur.

NEC dicas 2. hæc hæreticis favere, qui non leve inde adversus imagines momentum deducere se posse arbitrantur.

NAM contra Ecclesiæ catholicæ causam juvant, quæ sentit imaginum usum ad disciplinam referri oportere: proinde pro variis temporibus vel recipi vel ablegari posse. Id autem evincitur ex ea sententia, quam hic stabilimus. Neque hæretici ipsi possunt refragari. Cum enim generatim imagines omnes hic a Deo removeantur & proscribantur, ipsi autem nihilominus plurimas usurpent, fateantur necesse est, aut se contra Dei legem id facere, aut legem istam juris fuisse positivi, quod abrogatum sit. Jam vero si abrogatum est, ruit, quod ex eo petere solent, argumentum.

ASSERTIO III.

Lex illa juris positivi fuit, quod rescindi posset, & in iis duntaxat imaginibus locum habuit, quæ venerationi essent accommodatæ.

Probatur ex Scripturis. 1. Enim *Numerorum* 21. 8. Deus ipse erigi jussit serpentis æneam figuram, ut qui eam inspicerent, a serpentum morsu sanarentur. Porro serpentum ac reptilium imagines una cum aliis interdixerat: quod evidenti indicio est, legem istam ut Deo libebat potuisse abrogari. Ei autem derogavit Deus eo casu, tum pro jure suo, tum remedii ac præsertim Christi ea imagine adumbrandi causa. Utrumque complexus est Tertullianus: primum quidem *de idololatria cap.* 5. Cum enim ibi docuisset interdictam fuisse a Deo omnem imaginem, & illud serpentis ænei exemplum sibi objecisset: " Qui lege vetuit, inquit, similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem indixit. Si eumdem Deum observas, habes legem ejus, *ne feceris similitudinem*: si & præceptum factæ postea similitudinis respicis, & tu imitare Moysen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit. " Alterum vero tum *ibidem*, tum *lib.* 2. *contra Marcionem*, *cap.* 22. " Serpentis ænei effigies, inquit, non ad idololatriæ cultum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui a serpentibus infestabantur; & taceo de figura remedii.

2. *Exodi* 25. 18. Deus ex utraque parte oraculi duo cherubim fieri imperavit: 3. *Reg.* 6. 23. Salomon alia duo cherubim insuper addidit de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis, qui totum oraculum alis cooperirent. Ibidem, *v.* 29. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno, & fecit in eis cherubim & palmas & picturas varias, quasi prominentes de pariete & progredientes*. Cap. 7. v. 25. *Fecit mare* (quod) *stabat super duodecim boves*. Ibidem, v. 36. *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis*. Erant denique in ejus solio, ut scribitur cap. 10. v. 20. *Leunculi duodecim stantes super sex gradus hinc & inde*. In his porro Salomon non peccavit. Templum enim his instructum signis & figuris, majestate ac gloria sua complevit ac illustravit postmodum Deus *cap.* 8. Ergo Deus id Moysi imperavit & suggessit Salomoni, vel præcepto suo derogans, vel quod ista essent ad ornamentum tabernaculi duntaxat, aut templi, non autem apposita ad cultum. Imago enim tunc tantum apta est venerationi, cum stat ipsa per sese ac seorsim, non autem cum alicujus operis solummodo est appendix. Id docet Tertullianus *lib.* 2. *contra Marcionem*, *cap.* 22. " Cherubim & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habent causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur. Non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quam similitudo prohibetur.

3. Quam-

5. Quamvis Deus vetuisset ne insignis lapis erigeretur, attamen Josue *cap.* 4. *v.* 26. postquam siccis vestigiis Jordanem trajecisset, in medio ejus alveo & ad ripam, molem lapideam in perpetuum monumentum posuit. *Capite* autem 24. *v.* 26. morti proximus fœdere inter Deum & populum renovato, tulit lapidem prægrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini, in testimonium. Idem Samuel præstitisse legitur 1. *Reg. c.* 7. *v.* 12.

Nec dicas plurimos e Patribus, v. g. Irenæum *lib.* 3. *c.* 32. Augustinum *lib.* 19. *contra Faustum*, & *lib.* 3. *contra duas epistolas Pelagianorum*, aliosque affirmare omnia decalogi præcepta juris esse naturalis, præter illud quod spectat ad sabbati diem: id autem non fore, si primum ipsum mandatum sit juris positivi.

Nam, ut jam diximus, primum mandatum præsertim est de idololatria fugienda, quod juris est naturalis: imaginum autem omnium prohibitio non est, nisi quædam ipsius appendix.

ASSERTIO IV.

Rarior, non tamen nullus, tribus primis Ecclesiæ seculis, imaginum usus apud Christianos fuit.

Probatur prima pars variis momentis.

Ac 1. quidem auctorum illius ætatis silentio, apud quos nulla fere sunt imaginum tanquam apud Christianos usitatarum vestigia.

2. Vulgata Patrum illorum cum Gentilibus disputandi ratione. Non solum enim imagines divinitatis generatim improbant, sed etiam cum ethnici in simulacris omnem ferme vim pietatis ponentes, nostris objicerent, quod nulla haberent nota simulacra, id Christiani confitebantur, nullamque asserebant exprimendam esse imaginem, nisi in animo.

Hæc autem ajunt Origenes *libro* 8. *contra Celsum pag.* 400. Minucius Felix *in Octavio*, & Arnobius *lib.* 6. *contra gentes*.

3. Ex eo quod in omnibus Christianorum hujus temporis cum Judæis concertationibus ne umbra quidem sit controversiæ de imaginibus, quæ, ut nunc, debuisset esse maxima, si notus ac vulgaris fuisset apud nos imaginum usus. Consule Justinum *in dialogo cum Tryphone*, & Tertullianum *adversus Judæos*.

4. Variis quorumdam e majoribus nostris opinionibus, in quas profecto delapsi non fuissent, si pervulgatam ac laudatam vidissent imaginum habendarum consuetudinem. 1. Enim Tertullianus *de spectaculis*, *cap.* 22. & Origenes *libro* 7. *contra Celsum*, *pag.* 386. legem Mosis quæ omnes imagines supprimit, ad Christianos etiamtum pertinuisse asseverant. 2. Clemens Alexandrinus *in protreptico*, Origenes ibidem *lib.* 4. *contra Celsum*, & Tertullianus *de idololatria*, nec non & *contra Hermogenem*, *cap.* 1. artem pingendi & sculpendi Christianis ut & Judæis olim interdicta putant. Nec hos tantum artifices deterrent ab idolis fabricandis, sed etiam volunt ut aliis omnino artibus se tradant.

5. Ex eo quod Iræneus *lib.* 1. *cap.* 24. eumque fere exscribens Epiphanius *hæresi* 27. id tanquam omnino singulare in Gnosticis notent, quod haberent imagines Christi e Pilati exemplari, ut illi jactabant, desumptas, quas summo studio occultabant, ac Gentilium more venerabantur. Non enim modo hunc cultum arguunt, sed & usum. En Irenæi verba: " Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam „ autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Chri„ sti factam a Pilato, illo in tempore, quo fuit Jesus cum homini„ bus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus philosopho„ rum mundi, ..., & reliquam observationem circa eas similiter ut „ gentes faciunt. " Epiphanius autem sic ait: " Habent imagines per „ colores depictas; quidam autem ex auro & argento, quas sane ima„ gines Jesu esse dicunt; & a Pilato factas esse: habent autem eas „ occulte, insuperque philosophorum quorumdam, Pythagoræ, Plato„ nis, Aristotelis, & aliorum cum quibus imagines Jesu collocant, „ collocatasque adorant, & gentium mysteria perficiunt.

6. Ex eo quod IV. quidem seculo ubique pervulgatæ essent imagines, ut mox videbimus.

7. Ratione. Nempe e Judæis simul ac gentibus Ecclesiam coalescere oportebat, Jam vero Judæi ab imaginibus erant ex legis suæ præscripto admodum alieni. Ne quid igitur apud nos iis esset offensioni prohibendum erat. Gentiles contra, cum toti essent simulacris immersi, & ab iis essent avocandi, ut verum Deum in spiritu ac veritate adorarent, visum est Ecclesiæ, & prudenti sane consilio, imagines ab eorum oculis esse amovendas, quemadmodum Deus pari de causa Judæis eas interdixerat. " Si enim sanctorum imagines, inquit Agobar„ dus, hi qui dæmonum cultum reliquerant, venerari juberentur, pu„ to quod viderentur non tam idola reliquisse, quam simulacra mutasse.

A S S E R T I O V.

Nonnullus tamen, isque probatus fuit eo temporis intervallo apud Christianos imaginum usus.

Probatur variis exemplis.

1. Enim Eusebius *lib. histor. cap.* 18. narrat mulierem illam, quæ a sanguinis profluvio per Christum liberata est, ut refertur in evangeliis, Paneade, unde oriunda erat, æneam statuam in honorem Christi erexisse sub specie viri stantis ac manum porrigentis; cujus ex adverso ex eodem metallo erat alia effigies mulieris, flexis genibus, protensisque manibus instar supplicantis; ad Christi autem statuæ pedes, ignotum plantæ genus nasci solitum, quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis morbis præsentissimum remedium erat. " Mansit porro, inquit Eusebius, ad nostra usque tempora, nosque „ adeo urbem illam ingressi ipsam conspeximus. " Hæc firmat Philostor-

ſtorgius Arianis *lib. 9. cap.* 3. nonnulla insuper adjiciens ; 1. nempe hujus herbæ vim adverſus talem maxime morbum efficax remedium extitiſſe : 2. Litteras repertas eſſe ad hujus ſtatuæ baſim , quæ totius rei geſtæ ſeriem indicarent : 3. ſtatuam illam ab ædibus iſtius mulieris in diaconicon iſtius Eccleſiæ fuiſſe a Chriſtianis translatam, ubi honore competenti afficiebatur : 4. eam , regnante Juliano apoſtata , Gentilium furore a baſi ſua revulſam , ab iiſdem eſſe per urbem circumligatis ad pedes funibus , raptatam , dolentibus admodum Chriſtianis : 5. cum corpus ejus confractum eſſet , & ab eo caput ſejunctum, illud idem a Chriſtianis ſublatum magna cura aſſervatum fuiſſe. Idem habet Nicephorus *lib. 6. cap.* 15. Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 21. ejuſdem miraculi per herbam fieri ſoliti mentionem facit . Addit autem antequam Gentiles ſtatuam hanc per urbem traherent , Julianum apoſtatam curaſſe ut e ſede ſua dejiceretur , & in ipſius locum ſua ſubſtitueretur : ſtatim vero ignem ſumma vi e cœlo delapſum ſtatuæ pectus ac vicinas pectori partes combuſſiſſe : cæterum ſtatuam Chriſti indignis modis a Gentilibus habitam , in eccleſia poſtmodum decenter eſſe collocatam . Ejuſdem ſtatuæ nec ſine laude mulieris , meminit Aſterius Amaſenus apud Photium *codice* 271. in eo falſus , quod dicat eam a Maximino Conſtantini Magni deceſſore ſublatam, nuſquam poſtea comparuiſſe. Eam enim poſtmodum viderunt Euſebius & Philoſtorgius : ad ſua autem uſque tempora ſervatam teſtatur Sozomenus . Miraculo igitur perenni ſtatuam hanc comprobabat Deus.

VERUM, inquit Dallæus *lib. de imaginibus* , *cap.* 2. Euſebius ſignificat ſe fama duntaxat compertam habere hujus hiſtoriæ veritatem . Præterea vero aſſerit hoc mulieris factum e gentilium more profluxiſſe , qui cunctos de ſe bene meritos ſtatuis honorare conſueverant.

RESPONDEO ad 1. Euſebium quidem laudare vulgatam hujus hiſtoriæ famam , ſed eam tamen pro certa habere . Cæterum hujus hiſtoriæ fides hoc Euſebii teſtimonio jam ſatis fulta , ita cæterorum Scriptorum conſenſu , inſcriptione ad IV. uſque ſæculum ſuperſtite , jugique miraculo quod omnes referunt , confirmatur , ut in dubium revocari nequeat.

RESPONDEO ad 2. Euſebium revera teſtari hoc mulieris factum e gentilium conſuetudine originem ducere , quia id moris non erat apud Judæos neque apud Chriſtianos ea ætate ; ſed hoc non improbat Euſebius, cæteri vero omnes laudant, & quod longe luculentius eſt, ipſe approbabat Deus inſigni eo, quod tandiu duravit, prodigio . Quanto ergo magis imagines illas, quæ ab Eccleſia ſponſa ſua fiunt, acceptas eſt habiturus !

2. Idem *ibidem* commemorat effigies pictas apoſtolorum Petri , & Pauli , Chriſtique ipſius , quas ad ſuam uſque ætatem ſervatas viderit: quicum congruit Auguſtinus *lib. 1. de conſenſu evang. cap.* 16. ubi coarguens veterum Gentilium inſcitiam , qui Chriſto libros attribue-

bant de magia ſcriptos ad Petrum & Paulum , quaſi cum Chriſtus viveret , Paulus ejus diſcipulus extitiſſet , inde errorem & hallucinationem exortam eſſe aſſerit, quod pluribus locis ſimul eos cum illo pictos vidiſſent.

3, Tertullianus idem indicat . Ejus enim ævo ita communis mos erat , Chriſtum ſub paſtoris habitu ovem amiſſam ad ovile humeris ſuis reportantis depingere, ut inde catholica eccleſia argumentum erueret adverſus duriorem diſciplinam Montaniſtarum. Sic enim eorum nomine in catholicos invehitur Tertullianus *de pudicitia cap.* 7. " Procedant , inquit , ipſæ picturæ calicum veſtrorum , " & *cap.* 10. " Si „ forte , inquit , patrocinabitur paſtor , quem in calice depingitis , „ proſtitutorem & ipſum Chriſtiani ſacramenti? " Id enim intelligitur de ſacris calicibus , quod Dallæus , licet invitus, concedit. Porro non quilibet paſtor, ut idem Dallæus ſomniat, exprimebatur , ſed Chriſtus ſub ſpecie paſtoris. Sic enim Tertullianus ait *cap.* 7. Ovis proprie Chriſtia„ nus , & paſtor bonus , Chriſtus.

4. Heraclides, epiſcopus Nyſſenus adverſus Meſſalianos IV. ſæculi hæreticos ſcripſit epiſtolas duas teſte Photio, *cod.* 61. in quarum altera diſertum erat teſtimonium de imaginum antiquitate.

A S S E R T I O VI.

QUARTO ſæculo ac deinceps eccleſia in libertatem vindicata , ubique paſſim imagines etiam in templis poſitæ ſunt.

PROBATUR multis Patrum locis & hiſtoriæ monimentis.

1. Enim ex Philoſtorgio liquet ſtatuam illam quæ ab hemorrhoiſſa Chriſto poſita erat, ſummo in pretio tum remporis habitam fuiſſe apud Chriſtianos, & ab iis in eccleſia honorifice eſſe collocatam.

2. Gregorius Nyſſenus *lib. de Filii ac Spiritus ſancti divinitate*, cum in mentionem Iſaaci ab Abrahamo in ſacrificium oblati incidiſſet , " Sæpenumero , inquit , miſerabilis hujus rei imaginem in pictura vi„ di , nec abſque lacrymis ſpectaculum præterii : adeo perſpicue , & „ evidenter ars pingendi oculis rem geſtam ſubjecit . " *In Theodorum* „ vero *martyrem* : " Si quis venerit ad aliquem locum , inquit, ſimi„ lem huic , ubi hodie noſter conventus habetur , oblectatur, ubi.... „ pictor induxit flores artis in imagine depictos fortia facta martyris, „ . . . . cruciatus , efferatas , & immanes tyrannorum formas , impe„ tus violentos , flammeam illam fornacem , beatiſſimam conſumma„ tionem athletæ , certaminum præſidis, humanæ formæ effigiem, om„ nia nobis tanquam in libro quodam . . . . coloribus artificioſe de„ pingens.

3. Ambroſius *epiſt.* 53. ait Gervaſium & Protaſium ſibi per viſum apparuiſſe cum quadam tertia perſona quæ ſimilis eſſe B. Paulo Apoſtolo videbatur , " Cujus me vultum, inquit, pictura docuerat.

4. Hie-

4. Hieronymus *in cap.* 4. *Jonæ* testatur " In ipsis cucurbitis vasculo-
„ rum (quas vulgo Saucomarias vocant) solitas esse Apostolorum imagi-
„ nes adumbrari.

5. Chrysostomus *oratione* 45. *ad populum Antiochenum*, id in laudem Melecii deprædicat, quod effigiem ejus nemo esset qui non ambiret. Adde liturgiam ejus nomine inscriptam, quæ jubet ut sacerdos conversus ad imaginem Christi, caput flectat.

6. Asterius Amasenus, Sancti Chrysostomi æqualis, *oratione in Sanctam Euphemiam* in templo ei dicato habita, pictoris pietatem eloquentissime commendat, qui sanctæ virginis ac martyris historiam " in tabula ad ejus sepulcrum medio in templo posita, " eleganter expresserat.

7. Augustinus, præter illud quod *supra* commemoravimus, *sermone* 94. *de diversis*, dulcissimæ picturæ meminit, in qua S. Stephani martyrium erat depictum: *libro* autem 22. *contra Faustum*, alterius imaginis, quæ Abrahamum sacrificium parantem exhibebat. *Libro* denique 1. *de moribus Ecclesiæ catholicæ*; *num.* 75. significat imaginum venerationis abusus jam irrepsisse, ita ut earum tunc essent multi adoratores: „ Novi (inquit) multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores.

8. Paulinus ac Severus Sulpicius suas basilicas picturis exornaverant, ut legitur apud Paulinum *epist.* 12.

9. Prudentius *hymno* 9. depictam Cassiani martyris in ecclesia effigiem celebrat.

10. Theodoretus *in religiosa historia* Simeonis Stilitæ imaginem ubique ad præsidium haberi consuetam jam ætate sua asserit.

Adde Leontium Cypri episcopum, *in apologia pro Christianis adversus Judæos*, *& pro imaginibus*, quæ refertur *actione* 4. *concilii* VII. *pag.* 235. Evagrium *lib.* 4. *historiæ*. Synodum Trullanam *can.* 82. Theodorum lectorem *historia lib.* 1. narrantem quomodo Eudoxia Augusta Jerosolymis ad Pulcheriam miserit imaginem matris Domini, quam Lucas depinxisse ferebatur; Gregorium-Magnum *in epistola ad Serenum Massiliensem & ad Secundinum*; ut alios sileam istius usus testes.

ASSERTIO VII.

MULTIS tamen nunc visum est ab imaginum usu propter idololatriæ periculum, aliasque rationes *supra* memoratas, etiam tum esse temperandum.

PROBATUR variis exemplis.

1. Enim in Hispania Eliberitani Patres *can.* 36. sic statuerunt: „ Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut „ adoratur, in parietibus depingatur. " Ibi autem non tantum illi præsules imagines Dei ab ecclesiis amovent, aut (ut aliqui interpre-

tantur) ne in parietibus depingantur duntaxat vetant ; sed cum imagines in Ecclesia jam induci cœpissent, placuit ipsis idololatriæ vitandæ & gentilium offensionis cavendæ causa, picturas in Ecclesia esse non debere. Unde Agobardus Lugdunensis *de imaginibus* , " Recte ni-
„ mirum, inquit, ob hujusmodi evacuandam superstitionem ab ortho-
„ doxis Patribus definitum est picturas in ecclesia fieri non debere.

2. In Palæstina Eusebius Cæsariensis *epist. ad Constantiam* ab Iconomachis olim prolata, a Petavio revocata in dubium, sed a Patribus Nicænis admissa *actione 6. concil.* VII. *pag.* 358. cum ab eo Constantia imaginem Christi postulasset, negavit se votis ejus satisfacere posse, cujus hanc rationem attulit, quod cum Christus duplici esset natura, neutrius possit imago exprimi: non divinæ, quæ omnibus ignota est: non etiam humanæ, cum ea mortuis & inanimatis coloribus non possit adumbrari, tota jam in divinitatis gloriam absorpta. Profecto Eusebius, si quosdam codices sequimur, loquens de statua, quam non ita pridem commemoravimus, ait id factum incaute & inconsiderate, contra veterem disciplinam, ut notat Valesius.

3. In Cypro Epiphanius a vicina quadam ecclesia velum amovit, in quo imago Christi vel sancti cujusdam depicta erat. Sic rem ipse narrat ad finem *epistolæ* suæ *ad Joannem Jerosolymitanum*, quam latinam fe-
„ cit Hieronymus. " Quando pergebamus, inquit, ad locum sanctum,
„ qui vocatur *Bethel*, ut ibi collectam tecum amore ecclesiastico face-
„ rem, & venissem ad villam quæ dicitur *Anablatha*, vidissemque ibi
„ præteriens lucernam ardentem, ... didicissemque esse ecclesiam, &
„ intrassem ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem
„ ecclesiæ tinctum atque depictum & habens imaginem Christi vel san-
„ cti cujusdam: (non enim satis memini, cujus imago fuerit). Cum
„ ergo hoc vidissem in ecclesia Christi contra auctoritatem Scriptura-
„ rum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium
„ custodibus hujus loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent & ef-
„ ferrent: illique contra murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat,
„ justum erat ut aliud daret velum atque mutaret. Quod cum audis-
„ sem, me daturum esse pollicitus sum .... Nunc misi, ... & pre-
„ cor ut jubeas .... deinceps .... in ecclesia Christi, istius modi ve-
„ la, quæ contra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet
„ enim honestatem tuam hanc magis habere solicitudinem", ut scrupu-
„ lositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi & populis qui tibi
„ traditi sunt.

Hæc sunt epistolæ verba, quam post Joannem Damascenum nonnulli fictitiam esse, ea saltem parte, putaverunt ; sed levioribus de causis, cum hæc epistola & ab Hieronymo versa sit, & ab eodem integra pene referatur *epistola* 71. *ad Pammachium*, & 101. postremamque hanc ejus partem octavo ac nono seculo Carolus Magnus *lib.* 4. *de imaginibus cap.* 25. & Gallici præsules in conventu Parisiensi *cap.* 7. allegaverint.

rint. Quod omnium præterea codicum consensu firmatur. Integram ergo admittimus, & fatemur imaginum usum ab Epiphanio iis de causis esse tunc improbatum, quæ omnes pendent ab idololatriæ periculo ac veteris disciplinæ studio, quod utrumque nostro tempore locum non habet. Cum autem haberet ea ætate, ait Epiphanius eas esse contra religionem & auctoritatem Scripturarum, quæ revera tali in casu imaginum usum interdixerant.

Istud autem Epiphanii consilium illustratur duobus aliis locis, quæ ex eo referuntur in concilio VII. *actione 6. pag.* 475. In primo enim „ sic habet: " Attendite vobis, & tenete traditiones, quas suscepistis, „ & in hoc memoriam habete, filii dilecti, ne inducatis imagines in „ ecclesias neque in cœmeteria sanctorum, sed neque in domum com„ munem. " In secundo autem qui erat *epistolæ ad Theodosium*, " Mul„ toties locutus sum, inquit, cum comministris meis ut auferrentur ima„ gines; sed non sum receptus ab iis, neque audire vocem meam paulu„ lum passi sunt. " Duo quidem hæc loca, ut supposititia explodunt catholici; legitima autem esse pugnant Iconomachi, & Dallæus, cui si istud concedamus, nihil sane proficiat. Ibi enim non de cultu agit Epiphanius, sed de usu, quem non modo a templis arcet, sed etiam a privatis ædibus, & quidem, ut ait *supra*, QUIA EST CONTRA AUCTORITATEM SCRIPTURARUM. Jam vero hæretici nostri non sic sentiunt. Imagines enim cuncti admittunt in ædes suas, & etiam in templa Lutherani, quod utique sine vituperatione Calviniani tolerant, ut constat ex colloquio Monspelgartensi. Ergo ut Epiphanium cum sententia sua ipsi concilient, fateantur oportet peculiares extitisse tum causas (quæ jam non vigent), cur ita loqueretur Epiphanius. Cæterum ex postremo loco compertum est reliquos antistites in imaginum usu supprimendo acriter Epiphanio restitisse: quod ad sententiæ catholicæ robur maxime facit.

4. In Lycaonia Amphilochius Iconiensis episcopus, cujus hæc sunt verba *actione 6. concilii* VII. *pag.* 483. " Non in tabulis carnales vultus „ sanctorum curæ nobis est figurare, quia his opus non habemus; sed „ conversationem eorum virtutibus imitari.

Imo ne quinto quidem seculo ubique obtinuisse videtur imaginum usus. Qui enim post concilium Chalcedonense ab Ecclesia se sejunxerant Armeni, illas non usurpabant, uti testantur Nicon, Isaacus, & Nicetas, qui de iis scripsere. Adde Theodoti Ancyrani Cyrillo coætanei testimonium in eas acerbius, quod proferunt Iconoclastæ *in* VII. *concilio*, si tamen ejus est: illud enim negant catholici præsules, atque, ut videtur, non immerito.

ASSERTIO VIII.

IMAGINES tunc temporis super altaria non admittebantur.

PROBATUR insigni historia, quam accidisse sub Constante refert Optatus

„ tus

„ tus *lib.* 3. *pag.* 82. " Dicebatur (a Donatiſtis) illo tempore, inquit,
„ venturos eſſe Paulum & Macarium (miſſos a Conſtante in catholica-
„ rum gratiam) qui intereſſent ſacrificio, ut cum altaria ſolemniter apta-
„ rentur, proferrent illi imaginem, quam primo in altari ponerent: ſic
„ ſacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculſi & animi,
„ & uniuſcujuſque lingua in hæc verba commota eſt, ut omnis qui hoc
„ audierat, diceret: Qui inde guſtat, de ſacro guſtat. Et recte dictum
„ erat ſi talem famam ſimilis veritas ſequeretur. At ubi ventum eſt a ſu-
„ pradictis, nihil tale viſum eſt: .... nihil viderunt oculi Chriſtiani,
„ quod horrerent." Quanquam enim non ibi agatur de imaginibus ſanctorum, ſed Cæſaris, nec eas tantum in altari ponendas, ſed etiam eis quaſi idolis ſacrificandum fore opinarentur Donatiſtæ; attamen ex ea animorum perturbatione colligere eſt, imagines tunc temporis ſuper altaribus non fuiſſe uſitatas.

Et vero concilium Turonenſe III. *can.* 3. jubet ut " Corpus Domini
„ (medio) in altari ſub crucis titulo non in imaginario ordine componatur. " Haud obſcure innuens eum non fuiſſe tunc imaginum locum. De quo Mabillonium lege *Liturgiæ Gallicanæ lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10.

ASSERTIO IX.

IMAGINUM ac ſtatuarum non eadem ratio habita eſt apud omnes, ita ut etſi ſtatuæ alicubi uſurpatæ fuerint, uſus tamen ſint & minus antiqui & aliquando minus probati quam imagines planæ.

PROBATUR 1. pars, quod videlicet alicubi ſtatuæ fuerint in uſu, ex iis quæ *ſupra* de ſtatua a Syrophæniſſa muliere in honorem Chriſti erecta diximus. Eam enim quarto ſeculo Chriſtiani honorifice collocarunt in Eccleſia aut in diaconico, quod ut & porticus, vulgaris fuit ſtatuarum ſedes. Statuas profecto in antiquis Græcorum eccleſiis extitiſſe legimus *in epiſtola Michaelis Balbi ad Ludovicum Pium*, in qua moris fuiſſe ait Græcis ut Euchariſtiam e manibus imaginum acciperent. De Latinis vero conſule Mabillonium *in præfatione ad* IV. *ſeculi Benedictini* 2. *partem*; ubi de imaginibus.

Eſt etiam annotatio Græci cujuſdam recentioris eo pertinens, ad marginem epiſtolæ Germani Conſtantinopolitani, *actione* 4. *concilii* VII. *pag.* 815.

PROBATUR 2. pars, quod nimirum uſus vulgaris ſtatuarum ſit minus antiquus minuſque aliquando probatus quam imaginum planarum.

1. Judicio Stephani Boſtrorum epiſcopi, quod refertur *actione* 2. *concil.* VII. Diſcrimen enim ſtatuas inter & imagines conſtituens, " De
„ ſanctis imaginibus, inquit, confitemur quod omne opus in nomine
„ Dei factum, bonum eſt & ſanctum. Aliud porro eſt imago, aliud
„ ſtatua.

2. Germani Conſtantinopolitani judicio, qui *epiſtola ad Thomam epiſcopum*,

copum Claudiopoleos, *actione* 4. *synodi* VII. *pag*. 315. significare videtur hanc non esse Ecclesiarum consuetudinem, sed potius gentilium. Allato enim mulieris Syrophænissæ facto in imaginum confirmationem; „ Neque eo vero, inquit, nos ista dicimus tanquam æneas statuas facere studeamus, sed ut tantummodo indicemus, cum illud ex gentili more factum non repudiaverit Deus, ... sanctionem illam (picturarum in Ecclesia habendarum) quæ apud nos obtinuit, nefas esse vituperare.

Certe Judæi doctores testantur figuras extantes ac prominentes Mosaica lege potissimum esse prohibitas, quod verba hebraica satis sonant: de quo vide Mosen Maimonidem *lib*. 3. *de idololatria*. Hujus autem minoris Christianorum in statuas propensionis fontem aperit S. Augustinus pluribus in locis docens, quanta vis earum esset in inclinandis ad idololatriam animis. Sic *serm*. 2: *in psalm*. 115. " Quodam modo „ extorquet, figura illa membrorum, inquit, ut animus vivens in „ sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus, quod sibi simillimum videt, quam .... solem .... Contra hunc affectum quo „ humana, & carnalis infirmitas facile capi potest, cantat Scriptura „ .... *Simulacra gentium argentum & aurum*, *& opera manuum hominum*; hoc enim venerantur quod ipsi ex auro argentoque fecerunt. „ Sed, & nos pleraque instrumenta, & vasa ex ejusmodi materia vel „ metallo habemus in usus celebrandorum sacramentorum: .... & sunt „ profecto etiam ista instrumenta vel vasa quid aliud, quam opera „ manuum hominum? Verumtamen nunquid os habent, & non loquentur? .... Illa causa est maxima impietatis insanæ, quod plus „ valet in affectibus, miserorum similis vivendi forma, quam quod „ ea manifestum est non esse viventem ut debeat a vivente contemni. „ Plus enim valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quod „ os habent, oculos babent, ... quam ad corrigendam quod non „ loquentur, quod non videbunt. " *Epistola* vero 102. *ad Deo gratias qu*.3. " Ipsa similitudine membrorum atque sensuum quamvis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur. " Unde *lib. de fide & symbolo cap*.7. " Tale simulacrum, inquit, Deo „ nefas est, Christiano in templo collocare.

Synodus vero Nicæna *in definitione actione* 7. susius sanæ picturæ meminit.

ASSERTIO X.

IMAGINES Dei Patris sub specie humana usus sunt in Ecclesia recentioris.

PROBATUR iisdem fere, quibus jam usi sumus, momentis.

1. Enim ejusmodi imagines tribus prioribus sæculis fuisse non videntur in usu, ut vulgari Patrum cum Gentilibus disputandi ratione, quam *supra* exposuimus, colligitur.

2. Sy-

2. Synodus Eliberitana *can.36.* prohibet " Ne quod colitur aut adoratur, " in parietibus depingatur.

3. Eusebius IV. seculo eas non probat. Causam enim afferens *in epistola ad Constantiam*, cur ad eam non mitteret imaginem Christi, ait inter cætera, non posse a se exprimi imaginem Christi tanquam Dei, quia sub ea consideratione species ejus ignota est.

4. Augustinus V. seculo ita sciscit in *libro de fide & symbolo cap.* 7. Nec, inquit, quasi " Humana forma circumscriptum esse Deum Patrem " arbitrandum est, . . . ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exe- " cratur Apostolus eos qui commutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis.

Ea quidem ætate depinxit in basilica sua Paulinus imaginem Trinitatis, sed vario modo. Christus enim stabat agno, Spiritus-sanctus per columbam adumbrabatur, Patris autem non effigiem, sed voce tantum expresserat. Lege Rosveidum *ad epist.* 12.

5. Ætate sequenti, cum Joannes Thessalonicensis adversus gentilem disputaret, eique gentilis objecisset, quod Christiani imagines pingerent, nec solum sanctis, sed etiam Deo suo; sic respondet *actione* 4. *Concil. VII.* " Imagines Dei faciunt, id est Domini nostri Jesu-Chri- " sti, quando visus est super terram; hunc pingentes non ut intelli- " gatur natura Dei. Quæ enim similitudo est, vel qui habitus incor- " porei Patris?

6. Inconomachorum temporibus, hoc est seculo VIII. nondum frequentabantur ejus generis imagines, cum eas contra universa passim Ecclesiæ vindices tunc rejiciant.

Gregorius enim II. *in epist.* 1. *ad Leonem Isaurum*, " Patrem, in- " quit, Domini nostri Jesu Christi non oculis subjicimus ac pingimus, " quia quis sit non novimus . . . Quod si eum intuiti essemus, spe- " ctandum proponere potuissemus ac pingere.

Germanus Constantinopolitanus, cujus epistola laudatur *actione* 4. *synodi VII.* " Neque enim, inquit, invisibilis deitatis imaginem & simi- " litudinem vel schema vel figuram aliquam formamus; . . . sed quia " unigenitus Dei filius participavit carni & sanguini, ejus effigiem ex- " primimus.

Adrianus I. cujus verba leguntur *act.* 2. " Sicut inquit *epistola* 1. a " sanctis Patribus & prædecessoribus nostris probatissimis pontificibus " suscepimus, ... sacram imaginem Domini Dei & salvatoris Jesu- " Christi secundum incarnatam ejus humanitatis formam in aula Dei " constituimus, . . . ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis " majestatem mens nostra rapiatur supernaturali affectu.

Idem habet Joannes Damascenus *oratione* 1. 2. & 3. *de imaginibus*, & Theodorus episcopus Hierosolymitanus *actione* 3. Synodus denique VII. *actione* 7. postquam dixit catholicis per summam calumniam effingi, quod Deum imaginibus conscriberent, sic addit: " Christiani invisi-

„ visibilis & incomprehensibilis naturæ imaginem nunquam fecerunt : „ sed secundum quod Verbum caro factum est & habitavit in nobis, „ ea quæ humanæ ejus dispensationis sunt, pingunt & imaginibus ex„ primunt.

7. Ne IX. quidem seculo usitabantur, ut ex libris Gallorum colligimus & auctore libelli *de usu sacrarum imaginum*, *tomo* 1. *bibliothecæ Patrum greco-latinæ*.

8. Eas rejecerunt XIII. seculo Henricus de Gandavo, ut & Lucas Tudensis *supra*.

9. Nicephorus pariter & Durandus eas improbarunt seculo XIV. qua etiam ætate ut narrat Aventinus *in annalibus Boiorum lib.* 7. Joannes XXII. exuri voluit quosdam qui Trinitatis imagines effinxerant, Patremque, Filium ac Spiritum-sanctum sub specie senis, adolescentis, & columbæ depinxerant, accusatos quod in errorem Anthropomorphitarum impingerent.

Et vero easdem postmodum reprobaverunt Tostatus & alii.

Ex quo sequitur non ita crebro in usu etiam sequenti ævo extitisse.

SECTIO V.

De honore imaginum.

OBSERVABIS 1. hæreticos hujus ævi catholicis imponere crimen idololatriæ, quod imagines, cruces & alia id genus honorent, cum sit materia vilis & omni veneratione indigna.

2. Imaginum & rerum omnium inanimatarum, quæ ad religionem spectant, eamdem prorsus esse quoad honoris genus rationem & causam : iisdem enim argumentis stabiliuntur a catholicis & impugnantur ab hæreticis.

Quapropter omnia istius modi simul complectemur, ita tamen ut postmodum eadem a se invicem secernamus.

ASSERTIO.

IMAGINUM rerumque aliarum id genus honos licitus est nec idololatriæ accusandus.

Multiplex ac varium est momentum quo assertio nostra firmetur.

ARGUMENTA.

I. Ex Scripturis.

PROBATUR 1. Ex Scripturis. Imaginum enim & rerum aliarum ad religionem spectantium eadem est, ut diximus, conditio. Atqui licet Deus

Deus olim in veteri lege omnes interdixisset imagines ob idololatriæ metum, res tamen alias plurimas easque inanimas sibi consecraverat, & quia nulli periculo erant obnoxiæ, eas debito ac convenienti honore affici, aut approbabat aut jubebat.

1. Enim Exodi 3. 5. Deus de medio rubi ait Moysi; *Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est*. Itaque terra sancta vocatur propter Dei præsentiam, & propter ejus reverentiam calcei deponuntur.

2. Deuter. 10. 8. ejusdem reverentiæ causa Moses separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini.

3. Josue 3. 4. dum arca ab iis portaretur, *Cavete*, inquiebat Josue, *ne appropinquetis ad arcam*.

4. Ibidem, 7. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israel*.

5. 1. Regum 6. 19. *Percussit* (*Deus*) *de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini*; eo quod curiosius, nec ea, qua par erat, reverentia ipsam inspexissent.

6. 2. Regum 6. 7. cum transferretur arca, & Oza extendisset manum suam, *percussit eum Dominus super temeritate*.

7. Ibidem narratur quam insigni triumpho in civitatem Sion a Davide inducta sit.

8. Psalmo 98. v. 5. *Exaltate*, inquit David, *Dominum Deum nostrum & adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est*. SCABELLI autem nomine arca intelligitur, ut etiam sentiunt Belgæ & Heidelbergenses, & aperte colligitur ex 1. Paralip. cap. 28. v. 2. Ibi enim sic ait David: *Audite me fratres mei ..... Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum omnia præparavi*. SCABELLUM porro DEI vocatur arca quia Cherubim alis suis eam protegebant. Deus vero dicebatur sedere super Cherubim. Psalmo 79. v. 1. Quocirca Cherubinorum alis supposita arca instar scabelli pedum ejus erat. Unde & 2. *Reg.* 6. 2. de arca sic habetur: *Super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super ea*. Hoc autem semel constituto eximius est hic locus. Arca enim ejusdem naturæ erat cum aliis omnibus inanimis religionis instrumentis. Itaque si eam citra ullam idololatriæ notam adorare licuit, hoc est ante eam procumbere, quod erit crimen, si idem ante alia præstemus?

Jam vero, quod notandum est maxime hic, loco vocabuli, *adorate*, hebraice est *incurvate vos*: qua in voce vim miram faciunt hæretici, dum in imagines declamant: quia nempe Exodi 20. 5. pro his verbis, *non adorabis ea, neque coles*, in hebraico codice legitur: *non incurvabis te iis, neque coles*: qua quidem loquendi ratione ritum illum proscriptum esse clamitant, quo ante crucem v. g. posternimur. At si ideo idololatræ sumus, cur eodem scelere non implicabantur qui ante arcam,

arcam, vile per se signum, id etiam olim factitabant? Si autem reponant adorare arcam, nihil aliud esse quam ad arcæ conspectum Deum ipsum, quem in memoriam revocabat, adorare; an vero nos aliud dicimus aut sentimus?

9. Ibidem v. 9. *Exaltate Dominum Deum nostrum & adorate in monte sancto ejus*; seu ut hebraice est, *Incurvate vos monti sancto ejus*. Si venerabilis mons ipse erat in quo quiescebat arca; quidni & alia ejusdem generis erunt?

Ex his porro omnibus argumentum efficax eruitur. Si enim res inanimæ propter suam cum aliis habitudinem *sanctæ* appellabantur & congruis honoribus afficiebantur, cum omnes sint ejusdem omnino naturæ, inde evidenter sequitur nihil esse absurdi aut incommodi, si eadem de causa id genus rebus venerationem dependimus, easque sanctas vocamus, eo quod scilicet ad alia referuntur, quæ per se sancta sunt & veneratione dignissima.

Argumentum secundum.

E Traditione, & consuetudine Ecclesiæ.

PROBATUR Ecclesiæ usu ac sensu ab eo tempore quo imagines in templis proponi cœperunt.

1. Enim ex Philostorgio *lib.* 7. *cap.* 3. Christiani IV. sæculo statuam Paneadensem in diaconico collocatam competenti cura atque observantia affecerunt.

2. Heraclides episcopus Nicænus, *supra*, cum scriberet de imaginum antiquitate, eas appellabat *venerabiles*.

3. Hieronymus *epistola* 17. *ad Marcellam*, " Venerabantur, inquit, „ quondam Judæi sancta sanctorum, quia ibi erant cherubim, & propi- „ tiatorium, & arca testamenti: nonne venerabilius tibi videtur sepul- „ crum Domini?

4. Augustinus *lib.* 3. *de Trinitate*, *num.* 6. *cap.* 20. loquens de sacris signis, qualia sunt imagines, litteræ, & sacramenta, quorum in numero ponit etiam serpentem æneum, " Hæc, inquit, honorem tan- „ quam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt. " *Libro autem* 22. *de civit. Dei*, *cap.* 8. *num.* 6. tradit terram Jerosolymis allatam ætate sua magna in reverentia apud Christianos habitam fuisse. *Tractatu* denique 47. *in Joannem num.* 6. de monte differens e quo Christus abiit in cœlum, "Ibi sunt, inquit, vestigia ejus; modo ado- „ rantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in cœlum.

5. Chrysostomus *in liturgia sua* præscribit ut sacerdos conversus ad imaginem Crucifixi caput inclinet.

6. Paulinus *Natali* 10. *S. Felicis*, ubi de imaginibus in ejus Ecclesia depictis loquitur, sic ait:

Mi-

Miramurque sacras, veterum monimenta, figuras.

7. Leontius Cypri Episcopus *in apologia pro Christianis adversus Judæos, & pro imaginibus*, cujus excerpta tantum extant *actione* 4. *synodi VII.* totus erat ut imaginum cultum astrueret, quod ex eadem synodo constat.

8. Gregorius Magnus quem præ cæteris nobis opponunt hæretici, majorum vestigiis insistit. *Libro* enim 9. *epist. indict.* 2. *epist.*6. *ad Januarium Caralitanum præsulem*, cum quidam e Judæo Christianus ipsa Paschatis die in synagogam Judæorum temere intulisset imaginem quamdam atque crucem, idque factum Gregorio displicuisset, mandavit episcopo, " ut sublata exinde, cum ea qua dignum est veneratione, ima„ gine atque cruce, debeat, quod violenter ablatum est, reforma„ re. " Et *ibidem epist.* 53. *ad Secundinum inclusum*, mittens ei imaginem Christi, quam ille petierat, " Scio, inquit, quod imaginem „ Servatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recor„ dationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus tu imagi„ nem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divini„ tatem ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per ima„ ginem, aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recor„ damur".

Et certe inveterata omnium Ecclesiarum consuetudine tenebatur orbis terrarum, cum Iconomachi furiari cœperunt.

Argumentum tertium.

Ex Conciliis.

PROBATUR 3. variorum conciliorum decretis.

Primum est Trullanum ante ullas de ea re exortas lites quod *can.* 82. imagines appellat *venerabiles*.

Secundum est Romanum sub Gregorio II. 79. episcoporum, teste Adriano *in epistola ad Carolum imperatorem*, & Anastasio bibliothecario. In ea enim synodo confirmatus est imaginum usus & honos adversus erumpentem Iconomachornm impietatem.

Tertium sub Gregorio III. cujus Anastasius idem meminit, ac Sigebertus ejus auctoritatem maxime commendans, Adrianus denique Pontifex *in eadem ad Carolum Magnum epistola*.

Quartum sub Stephano IV. cui plures e Gallis præsulibus affuerunt, de quo idem Adrianus & Anastasius.

Quintum Generale VII. seu Nicænum II. in quo non solum cunctæ orientalem Ecclesiæ, atque imprimis patriarchicæ, sed etiam Romana, solemni anathemate Iconomachorum insaniam compresserunt, his

his verbis, *actione* 7. *pag.* 555. " Sequentes divinitus inspiratum san-
„ ctorum Patrum nostrorum magisterium & catholicæ traditionem Ec-
„ clesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa
„ inhabitat) : definimus in omni certitudine & diligentia, sicut figu-
„ ram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles & sanctas imagines
„ proponendas, tamque de coloribus ac tessellis, quam quæ ex alia
„ materia, congruenter in sanctis Dei ecclesiis & sacris vasis, & ve-
„ stibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet
„ imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam in-
„ temeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabilium An-
„ gelorum & omnium sanctorum, simul & aliorum virorum. Quanto
„ enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui
„ eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum me-
„ moriam, & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adora-
„ tionem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum
„ fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam :
„ ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ & vivificæ crucis & sanctis evan-
„ geliis & reliquis sacris monimentis incensum & luminum oblatio ad
„ harum honorem conficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquæ
„ piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit;
„ & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic
„ enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum dogma, id est,
„ traditio sanctæ catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines ter-
„ ræ suscepit evangelium.

Sextum Generale VIII. quod tunc imaginum cultum confirma-
vit, sic aiens, *actione* 10. *tomo* 8. *Conciliorum*, *pag.* 370. *can.* 3. " Sa-
„ cram Domini nostri Jesu-Christi effigiem, eadem, qua sancta evan-
„ gelia veneratione, colendam statuimus. Ut enim per syllabas in
„ evangelio scriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines ar-
„ te, coloribusque pictas & expressas docti juxta & indocti ex obje-
„ cta re utilitatem capiunt. Quæcunque enim in syllabis oratio, hæc
„ in coloribus pictura docet & repræsentat : ergo quicunque Christi
„ Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non
„ videat ipsius faciem. Eadem ratione intemeratæ genitricis illius ef-
„ figiem, sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos sacrarum lit-
„ terarum paginæ describunt, & sanctorum omnium veneramur & co-
„ limus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.

Septimum Tridentinum, cujus definitio his concepta est vocibus
„ *sessione* 25. " Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum san-
„ ctorum in templis præsertim habendas ac retinendas; eisque debitum
„ honorem & reverentiam impertiendam. Non quod credatur inesse
„ aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel
„ quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit imaginibus

„ figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis fuis fpem fuam „ collocabant; fed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad pro- „ totypa quæ illæ repræfentant: ita ut per imagines quas ofculamur, „ & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriftum adore- „ mus, & fanctos quorum illæ fimilitudinem gerunt, veneremur: id „ quod conciliorum, præfertim vero fecundæ Nicænæ fynodi decretis „ contra imaginum impugnatores eft fancitum.

His decretis continetur omnis Ecclefiæ de imaginibus fides, atque adeo illa fedulo meditanda & expendenda funt. In iis quippe multa reperiuntur, quæ confundi non debent.

Notandum eft itaque 1. honorem & ufum imaginum ibi generatim ita definiri, ut externa quæ ibi memorantur, venerationis figna, ofculum, thus, lumina, proftratio, ad confuetudinem piam ac difciplinam referantur, quia reipfa nec illa femper ufurpata erant, nec etiam tum ubique ufurpabantur.

2. Cum illi honor & ufus dicuntur traditione inniti, id non effe fic neceffario intelligendum, quafi in Ecclefia ab Apoftolorum ævo propofitæ femper ad cultum fuerint imagines (id enim plurimi theologi negant factum, de quo *fupra* differuimus); fed quod apoftolicæ fit traditionis, imagines fanctorum haberi & coli poffe, & neutrum cum pietate pugnare, quod Iconomachi contendebant.

3. Cum anathemate percelluntur, qui imagines non adorant, eo non imaginum ufus ac cultus induci omnimodam neceffitatem, fed honorem fanciri adverfus impugnantes, & vetari contemptum, qualis erat Iconomachorum.

Argumentum quartum,

Ex Ecclefiæ Gallicanæ, vicinarumque Ecclefiarum fententia.

Probatur 4. Ecclefiæ Gallicanæ vicinarumque Ecclefiarum fententia, quæ in hac controverfia videntur non leve negotium faceffere, & quæ tamen fi rite excutiantur omnia, deprehendentur ipfius catholici dogmatis caput inviolate tenuiffe. Nempe ad fidem pertinet, fi 1. imagines non confringantur: deinde etiam honorifice, præfertim in templis, haberi poffint: denique fi id fiat propter amorem Dei ac fanctorum: tunc enim non tantum eft honos negativus fed etiam pofitivus ac relativus, & infuper motivum eft, ut fcholæ loquuntur, facrum, religiofum, ac fupernaturale. Cætera funt difciplinæ, quæ varia effe poteft pro variis temporibus ac locis.

Atqui hæc imaginibus detulit Ecclefia Gallicana VIII. & IX. feculo. Præterea autem communionem fovit cum iis qui alia plura in earumdem imaginum honorem præftabant.

1. Enim

1. Enim in concilio Gentiliacensi anno *767*. cum Constantinus Iconomachorum princeps legatos misisset ad Pipinum, ut eum in sceleris communionem pertraheret, Græci oratores Cæsarem suum admonere jussi sunt, ut cum cæteris pie sentiret teste Æmilio.

2. Anno *764*. sub Stephano IV. Romæ synodus coacta est, ad quam vocati sunt duodecim e præcipuis Galliæ præsulibus. Hujus autem synodi decretum uuanimi omnium consensu editum sic habet apud Adrianum pontificem *in epistola ad Carolum-Magnum*, *tomo* 7. *conciliorum* „ *pag*. 950. “ Si quis sanctas imagines Domini nostri Jesu-Christi & „ ejus genitricis, atque omnium Sanctorum, secundum sanctorum Pa- „ trum doctrinam venerari noluerit, anathema sit. “ In eadem synodo suscepta est, quæ ante a Gregorio II. in eamdem causam congregata fuerat. Harum synodorum sensus ac verba vide apud Anastasium & Adrianum, *ibidem pag*. *923*. *929*. *941*. *947*. *956*. In eadem itaque cum Ecclesia Romana Galli conveniebant.

3. Anno *790*. Carolus-Magnus scripsit quatuor libros de imaginibus, in quibus etiam in septimam synodum invenitur, non pauca nec leviter impressa fidei suæ ac Gallorum vestigia reliquit.

1. Enim *libro* 2. *capite* 16. *num*. 201. cum sibi objecisset Sylvestri pontificis factum, quo dicebatur Constantino-Magno obtulisse imagines ut eas adoraret, id primo negat, deinde etiam sic respondet: „ Has igitur etsi adorare jussisset, cum tamen non jusserit, ideo for- „ tassis juberet, ut eum qui visibilium cultor erat, per visibilia adin- „ visibilia provocaret. “ Proinde Carolus id per se licitum nec impium esse arbitrabatur.

2. *Libro* 3. *cap*. 16. *num*. 81. differens de honore imaginum, qualis apud Græcos usitatus erat, eum quidem rejicit propter periculum plebeculæ, quæ imaginibus tota affigitur; sed non damnat, ut illicitum; imo & doctis permittit; qui hunc honorem ad sanctos es- „ se referendum noverunt. “ Nam etsi, inquit, a doctis quibusque „ vitari possit hoc, quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui vi- „ delicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis ta- „ men quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his, præter „ id quod vident, venerantur & adorant. “ Ergo id licebit indoctis, si diligenter edoceantur.

3. *Libro* 4. *cap*. 18. indicat se ab hoc honore non abhorrere, ut pote qui usurpari recte possit, eum tamen imaginibus certis de causis, & propter abusus deferre se nolle. Adorare eas, inquit, co- „ lere, iisque servitutem impendere recusamus, quia plerumque non „ res, sed causa rei pro scelere reputatur: dum videlicet multa, qui- „ bus bene potest uti, male usa in flagitium convertuntur, sicque una

„ eademque res bene utentibus non eſt cauſa piaculi, & male utentibus „ eſt cauſa periculi.

4. Denique in excerptis illius operis, quæ miſit ad Adrianum, ſic habet *capitulo ultimo*, *pag.* 960. “ Ultimum capitulum eſt, ut ſciat „ Dominus Apoſtolicus & pater noſter, ut ſecundum quod continetur „ in epiſtola beatiſſimi Gregorii, quam ad Severum epiſcopum Maſſilien- „ ſem direxit, ... permittamus imagines ſanctorum, quicunque eas fa- „ cere voluerint, tam in eccleſia quam extra eccleſiam, propter amorem „ Dei & ſanctorum ejus. Adorare vero eas nequaquam cogimus qui no- „ luerint, frangere vero vel deſtruere eas, etiamſi qui voluerint, non „ permittimus.

Rectiſſime profecto. 1. Enim Carolus mentem Gregorii Magni ſequitur qui ſtat pro veneratione imaginum. 2. Non tantum non patitur eas confringi; ſed vult quoque eaſdem decenter haberi in templis, idque propter amorem Dei ac ſanctorum. 3. Hoc tantum poſtulare videtur, ut adorare eas, qui noluerint, non cogantur. Certe Adrianus pontifex Caroli-Magni fidem ac pietatem in eo collaudavit, *pag.* 263.

4. Eamdem hanc fidem clarius adhuc patefaciunt Gallicani præſules in conventu Pariſienſi. Non enim quemlibet cultum abigunt imaginibus, ſed indiſcretum duntaxat & ſuperſtitioſum: ſic enim loquuntur ſemper. Eos quippe commoverat Græcorum ſuperſtitio, qua imagines proſequebantur, ſuæque religionis eſſe putabant, hos nimium effuſos honores compeſcere, ſed ita tamen, ut a diſcreto & moderato imaginum honore ſe non alienos eſſe oſtenderent: id enim multis præſtant modis. 1. Enim *in epiſtola ad Ludovicum Pium*, “ Imagines, „ inquiunt, ſanctorum ſtulta præſumptione non ſunt confringendæ, „ & ad injuriam ſanctorum abolendæ, ... nec affectione ſuperſti- „ tioſa colendæ & adorandæ, ſed potius hujuſmodi ſuperſtitione re- „ mota, juxta veram religionem, memoriæ & amoris cauſa, ob re- „ cordationem eorum quorum imagines ſunt, habendæ, ſicut a bea- „ tiſſimo Gregorio, ſatis catholice perſpicueque dictum declaratur. „ Ibi ſane extat quidquid ad orthodoxam fidem requiritur. Nam conculcari imagines non ſuſtinent; commendant autem earum uſum decentem, idque propter amorem & memoriam ſanctorum: tandem adhærent ſententiæ Gregorii, non modo *in epiſtola ad Serenum*, ubi duriuſcule loquitur, ſed etiam *in epiſtola ad Januarium & Secundinum*, ubi imaginum convenientem honorem aſtruit. Has enim epiſtolas ad verbum hic laudant, & *cap.* 2. & 15. & *in auctoritate pag.* 135. 2. Iidem epiſcopi *cap.* 15. poſt multa contra imaginum adorationem diſputata, orationem ſuam primo ad ſuperſtitioſos, deinde ad Iconomachos convertentes, *pag.* 123. “ Hæc tibi hactenus, ajunt, imagi- „ num ſi quis es diſcretus cultor, & hæc tibi in ante & contra, ſi

quis

„ quis es intemperans destructor, vide ne hæc audiens, putes temeritati tuæ licentiam dari, ut ubique, non propter illicitum cultum, „ sed propter discretum, & ob hoc propter licitum mentis affectum, „ pictas vel fictas similitudines videris, illas aut de- Ergo non de- „ trectabant discretum imaginum cultum. 3. *Eodem cap.* 15. varias antiquorum sententias laudant, quæ illum quoque stabiliunt. Si quoque *pag.* 126. adducunt Stephanum Bostrensem, qui *in epistola de imaginibus* dixerat: " Nos ad „ memoriam Sanctorum imagines facimus Abrahæ, Moysi, &c. ut „ omnis qui videt eos in imagine memoretur eorum .... Namque „ in imaginibus conscribuntur & honorantur sancti, sicut servi Dei. " " *Pag.* 127. afferunt illud Leontii: " Christianorum populi, cum signa „ crucis, & imaginum osculantur, non ipsis venerationem lignis aut „ lapidibus proferunt, aut auro, aut corruptæ imagini, ... sed per „ illa Deo creatori, qui & eorum, & omnium creator est, gloriam „ & osculum & venerationem offerunt ... Similitudines & imagines „ Christi & sanctorum ejus, & ad memoriam, & honorem, & decorem ecclesiarum (habentes.) Demum *pag.* 130. illud Germani Constantinopolitani, qui fortiter pro imaginum honore pugnavit, dictum ascifcunt. " Sanctos martyres Christi beatificamus, & ad memoriam „ fortitudinis eorum, similitudines imaginum ipsorum describimus, & „ amorem nostrum, quem in ipsis habemus, per hæc manifestamus ... „ iste est modus in imaginum picturis.." 4. *In epistola ad Grecos* nomine Romani pontificis mittenda " Monendi sunt omnes, inquiunt, „ qui illas habere volunt, ne amando vel quolibet modo, orando, „ vel complectendo ultra quam oportet, cultum eis inlicitum ullatenus impendant. Ideo ergo totius hujus rationis est summa, ut qui „ volunt pro pia memoria vel sana doctrina in locis competentibus „ absque ullo inclito cultu pictas vel fictas habeant imagines. " Proinde omnia permittunt in usu ac cultu imaginum propter honorem sanctorum, modo ne quis ultra quam oportet, inlicitum imaginibus cultum impendat.

ʒ. Jonas Aurelianensis, qui non multo post synodum Parisiensem adversus Claudium Taurinensem scripsit *tomo* 4. *Bibliothecæ Patrum*, *pag.* 542. distinguit 1. multiplex adorationis & honoris genus, quorum unum etiam irrationalibus creaturis juxta proprium modum impenditur; 2. propter amorem & memoriam sanctorum imagines esse habendas decernit. " Gallia, inquit, imagines sanctorum ob præmissas „ causas & habet & habere sinit. " 3. Idololatras non esse statuit Græcos & his similes, qui honores Gallorum judicio nimios imaginibus exhibebant: in quo a Jona immensum distant hæretici recentiores. " Nam & „ illi, inquit, qui nimio & indiscreto amore ob honorem sanctorum eo- „ rum imaginibus supplicant, nescio an temere idololatræ sint vocandi.

„ Videntur sane ab hac superstitione, adhibito rationis moderamine re-
„ vocandi (potius) quam idololatræ nuncupandi. " 4. Non modo Gregorii Magni sententia *in epistolis ad Januarium & Secundinum*, adoptat, sed etiam sic exclamat in Claudium indignabundus. " Quod ille de cruce
„ & imaginibus sanctorum dissertissima assertione & cautissima institutio-
„ ne tenendum docuit, hoc tu portentuosis disputationibus labefactandum
„ oblatras.

6. Dungalus, qui Jonæ in profligando Claudio Taurinensi comes, & adjutor fuit, *tomo* 4. *biblioth. Patrum parte* 2. non minus luculenter istam Galliarum de imaginum honore fidem illustrat, ita ut quo magis progredimur, eo major lux affulgeat. 1. Enim *pag.* 155. perinde ac Jonas Aurelianensis reprehendit Claudium quod diceret, " Uno similiter
„ nomine idololatras esse vocandos eos qui idola . . . adorant. . . . cre-
„ dentes . . . deos esse; & Christianos, qui imagines Salvatoris, &
„ electorum ejus pingunt & venerantur pro amore & honore Servatoris,
„ & electorum ejus, quos & ipsos licet longe inferius, diligunt tamen,
„ & honorant. " 2. *ibidem* asserit imagines fieri a Gallis, in honorem, laudem & gloriam Dei. 3. *Pag.* 158. " Neque sanctorum imagines, in-
„ quit, in parietibus pictas, . . . sicut Deum adoramus; neque eis sa-
„ crificia ponimus, . . . sed tantum eos quorum effigies sunt, in Deo veneramur. " 4. Sic concludit *pag.* 197. " His ergo omnibus, inquit,
„ superius comprehensis certissime & evidentissime patet, picturas sanctas
„ dignis & congruis honoribus a catholicis & orthodoxis in Deo, & pro-
„ pter Deum venerari oportere, non ut sacrificando iis divinus honos,
„ & cultus soli Deo omnium creatori debitus, sit a quoquam defe-
„ rendus, sed ut in ejus amore, gloria & laude, honorentur & am-
„ plectantur.

7. Valafridus Strabo *de rebus ecclesiast. tom.* 10. *biblioth. Patrum*, postquam multa disseruit, & contra Iconomachos, & contra superstitiosos imaginum cultores, damnata horum consuetudine, & illorum impietate, testatur Gallos mediam inter utrosque viam insistere, qui imagines in ecclesia inducunt ob amorem, & honorem sanctorum; tum sic concludit:
" Cum itaque talis sit, inquit, Christiani perfectio sensus, non sunt om-
„ nimodis honesti, & moderati imaginum honores abjiciendi.

8. Hincmarus archiepiscopus Remensis non solum aliquem admisit imaginum honorem, sed etiam teste Clodoaldo *lib.* 3. *Historiæ*, *cap.* 29. flagitantibus coepiscopis, fratribus suis librum scripsit, " Qualiter
„ imagines Salvatoris nostri vel sanctorum ipsorum venerandæ sint.

Porro Romani pontifices adeo compertam habuerunt circa id caput Gallorum fidem, ut eam aut conceptis verbis laudaverint, quod fecit Adrianus I. aut ut sanam admiserint, nullum eis propterea negotium facessentes, & eos ut synodo septimæ subscriberent adigentes: quod colligitur ex epistola Nicolai *I. ad Adonem Viennensem*.

Hæc

Hæc omnia simul componere placuit, tum ut sub uno conspectu data, gratiora essent, tum ut simul collecta sese mutuo juvarent, & illustrarent.

Argumentum quintum.

Ex hæreticorum sententia.

PROBATUR 5. hæreticorum ipsorum sententia.

1. Enim Dallæus ipse tum alibi, tum ubi explicat locum Gregorii Magni imperantis, " Ut qua dignum est veneratione imago, & crux in " ecclesiam referrentur; " ait se ab hoc non esse alienum, & agnoscit quemdam honoris gradum qui debitus sit omnibus religionis instrumentis, calicibus v.g. libris sacris, quos cuncti vocant *honorabiles*: nihil autem amplius nos postulamus.

2. Albertinus *de Eucharistia*, in Theodoreto, eludens quod Patres aiunt de adoratione Eucharistiæ, quo indicatur ipsam esse corpus Christi, respondet, adorationem esse multiplicis generis: aliam Deo convenientem; aliam principibus; aliam inter ambas mediam, venerationem scilicet debitam rebus sacris & religiosis, insensibilibus, & inanimatis, quæ nec est honos civilis, nec adoratio Deo debita. Hanc autem deferre se Eucharistiæ profitetur, quæ juxta ipsum est tantum figura Christi. Aliam nos erga imagines non exigimus venerationem.

3. Juxta Calvinianorum opinionem Eucharistia mera figura est, & imago, merusque panis. Atqui illi omnes tamen uno ore confitentur, non tantum fas esse honorem Eucharistiæ persolvere, sed etiam persolvi debere. Ergo imagines possunt honore affici: atque adeo omnis honos, ut vocant, relativus, non est proscribendus. Proinde aliquis est cultus in religione divino inferior: quod nos postulamus.

Argumentum sextum.

Ex eorumdem hæreticorum usu & consuetudine.

PROBATUR 6. eorumdem hæreticorum usu & consuetudine. Nam juxta Calvinianos, ut modo dicebamus, Eucharistia mera corporis Christi figura est. Atqui Calvinus jubet, ut SUSCIPIATUR REVERENTER: catechismus Genevensis ut DIGNE ET REVERENTER: Belgica confessio CUM SUMMA HUMILITATE ET REVERENTIA: quo fere modo loquuntur & Saxonica & Bohemica. Ergo & imagini quædam competere potest reverentia, longe a civili sejuncta, & superioris ordinis: quod nos unum petimus.

Imo Synodus Petricoviensis & generalis Uratislaviensis, cujusque ar-

bitrio permittunt, ut vel stantes vel genibus flexis Eucharistiam accipiant: . . . . . idque in Anglis probat Dallæus *cap.* 10. *apologiæ*. Ergo ante imaginem procumbere fas est: quod ultro admittit Dallæus *ibidem:* sed ita ut imago ipsa non adoretur, sed ante illam Deus. Ecquid vero aliud nos usurpamus?

Argumentum septimum.

E Ratione.

PROBATUR 7. ratione. Fieri scilicet non potest, ut eorum quos amamus ob singulares dotes, aut colimus propter accepta beneficia, aut propter dignitatem veneramur, eorumdem imagines eo ipso non etiam amemus & studiose servemus, & quam possumus honorificentissime habeamus. Nec quidquam erit absurdi, si noster in ipsa exemplaria amor, & observantia in oscula, & alia id genus honoris signa erumpat. Quotusquisque enim est, qui id erga parentum effigies non præstet? Quis coram regis imagine caput non aperiat, ut & moribus civilibus est receptum? Nihil autem aliud ab hæreticis flagitamus erga Sanctorum imagines, nisi quod honos hic debeat esse tanto superioris ordinis, quanto sancti sunt superioris gradus.

Profecto imaginibus imperatorum civiles quosdam a Christianis deferri solitos honores patet *ex oratione* 1. *Gregorii Nazianzeni in Julianum*, & ex multis Chrysostomi aliorumque Patrum testimoniis, quod & ipsi confitentur hæretici. Quidni ergo eadem aut potius præstantiori quadam & supernaturali ratione deferri possit cultus quidam honorarius, & sacer imaginibus Christi & Sanctorum sine ulla superstitionis aut idololatriæ specie?

Et vero si quis Dallæi & similium libros evolvat, deprehendet omnes eorum impetus omnesque declamationes ferri in unam *religiosi cultus* vocem. At eam nos non tanquam de fide exigimus, modo similis sit ei, quem cæteris imaginibus dependi posse honorem existimant, & insuper exhibeatur propter supernaturalem quæ in Christo est & a Christo in sanctos derivata est, excellentiam, quam negare ipsi non possunt.

Objectiones ex Scripturis.

JAM paucis attingenda sunt momenta hæreticorum; sed Calvini præsertim & Dallæi.

OBJICIUNT. *Exodi* 20. *&* *Deuter.* 4. vetatur fieri ullum simulacrum. *Rom.* 1. 25. arguuntur impietatis qui *Mutaverunt gloriam Dei in simi-*

similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium. Ergo.

DISTINGUO antecedens: vetatur fieri simulacrum, ut instar Dei adoretur; concedo: fieri simpliciter: subdistinguo, eo consilio, ut Deum qualis est, repræsentet; concedo: alio etiam consilio, subdistinguo: vetatur lege positiva, quæ jam non viget; concedo: lege quæ etiamnum vigeat; nego. Triplex est de his Mosaicæ legis verbis sententia: Sunt qui velint illic non imagines, sed imaginum adorationem duntaxat interdici, ita ut conjunctim accipi debeant, *non facies* & *non adorabis*, quasi diceretur *non facies ut adores*. Alii contendunt hic sermonem esse solummodo de imaginibus Dei, quæ eo animo fierent, ut naturam ipsius exprimerent, quæ stultitia erat gentilium: quod notat apostolus *Rom.* 1. 15. *supra*. Cæteri denique sentiunt non imaginum duntaxat adorationem prohiberi, aut quamdam Dei speciem, sed etiam omnem imaginum usum: eam vero legem censent fuisse Judæis peculiarem, & ad vitandam idololatriam speciatim præscriptam, proinde ad nos pertinere: ita inter hæreticos ipsos Mesneirus Lutheranus apud Forerum. Si prima aut secunda interpretatio placeat, nihil est contra nos, ut liquet. Tertia vero non potest catholicos ferire, quin ex æquo feriat hæreticos, quia & ipsi habent imagines; aut potius neutros ferit, quia lex illa jamdudum exolevit, de quo *supra*.

INSTABIS 1. Hebræi in sculptilibus suis colebant Deum. Vitulus enim aureus v. g. *Exodi* 32. 4. dicitur esse Deus ille qui *eduxerat Israel de terra Ægypti*: & v. 5. cum præco clamat *cras solemnitas Dei est*: hebraice est nomen *Jehovah*, quod veri Dei proprium est. Ita etiam *Judicum* 17. *v.* 3. Atqui illud tamen execrabatur Deus. Ergo Deus in imagine non vult coli.

RESPONDEO Judæos duplici generis habuisse sculptilia; alia sine certis Deorum nominibus v. g. vitulum aureum *Exodi* 32. & alia ejusmodi, *Judicum* 17. *v.* 3. & 3. *Reg.* 12. alia certis ac propriis quorumdam Deorum nominibus insignita, ut Moloch, Astaroth ac similia. Nulli dubium est quin Judæi in his posterioribus colerent falsa numina, homines videlicet & astra. De prioribus autem duplex est opinio. Plures enim arbitrantur in iis adoratum non esse verum Deum: nonnulli contra opinantur in iis quidem adorari solitum, sed non sine summo scelere; 1. quia isti imagini sacrificabant; 2. quia hanc effigiem putabant reipsa esse Dei, ut pote quem sibi fingerent corporeum. Jam neutrum, ut patet, in nos cadit: neque enim a vero Deo recedimus, dum imagines veneramur; neque Deum sacrilego hoc modo in his aut exprimimus aut colimus.

Forte probabilius est vitulum hunc & alia hujusmodi veri nominis idola ab Api Ægyptiorum, aut vicinarum gentium moribus desumpta: neque

neque in iis verum Deum esse adoratum. Certe in hoc ipso vitulo aureo conficiendo Deum dereliquisse dicitur populus Judaicus *Deut.* 32. v. 18. *Psalmo* 105. v. 21. *Jerem.* 2. v. 5. & 6. atque adeo qui huic nomen *Jehovæ* ascripserunt, vocabulum illud a vero Deo in eum transtulerunt.

INSTABIS 2. Gentiles ipsi non credebant idola sua esse deos, sed deorum imagines. Sic Trismegistus apud Augustinum *lib.* 8. *de civitate Dei*, *cap.* 27. Celsus apud Origenem *lib.* 7. *pag.* 784. Lucianus *pro imaginibus*, & alii apud Athenagoram *in legatione pro Christianis*. Arnobium *lib.* 6. & Lactantium *lib.* 2. *instit. cap.* 2. Atqui nefandi tamen criminis accusantur ob id gentiles tum in Scripturis tum a sanctis Patribus. Ergo meras imagines colere non licet.

NEGO consequentiam. In hoc enim negotio latum est paganos inter & catholicos discrimen. 1. Enim plebs rudis idola sua putabat revera esse deos, seu prodigiali quadam substantiæ deorum in idola conversione, seu quovis alio modo. Inde enim est quod prophetæ in id tantopere incumbant, ut ostendant deos non esse: David *Psalmo* 113. & 134. Isaias *cap.* 46. Jeremias, Baruch, Habacuc. Inde quod & auctores sacri & Patres stolidam gentium impietatem tam frequenter & tam salse irrideant, quod opera manuum suarum pro diis haberent. 2. Eruditi quidem pauci opinabantur idola non esse deos; sed tamen putabant esse deorum sedes ac domicilia, docentes numen ipsum aut saltem vim quamdam numinis statuis illis & imaginibus, ubi consecratæ essent, insidere; hincque fieri ut adorandæ forent: sic Trismegistus *supra*, & alii apud Arnobium *lib.* 6. & Augustinum *in Psalm.* 96. & 135. Vide insuper Tertullianum *de idololatria*; Cyprianum *de idolorum vanitate*; Chrysostomum *in cap.* 8. *epistola* 1. *ad Corinth.* Hieronymum *in cap.* 2. *Habacuc*. Nimirum, ut ait Augustinus *sermone* 2. *in psalm.* 113. " Cum in aliquo figmento non cernunt vitalem motum, credunt numen occultum. " 3. Nonnulli etiam subtiliores, post Christum forte, qui videbantur sibi purgatioris esse religionis, dicebant: " Nec simulacrum nec dæmonium se colere, sed per effigiem corporalem ejus rei signum se intueri, quam colere deberent. " Verba sunt Augustini *sermone* 2. *in psalm.* 113. Verum & hi postremi multiplicis sceleris in eo ipso manifesti erant. Nam & deorum effigiem veram habere se vulgo jactabant, ut pote quos sentirent esse corpore indutos; & falsorum numinum signa formabant: unde etiam *idola* proprie nuncupabantur, quia idolum est effigies numinis falsi nec extantis. Etsi enim omne idolum imago est, omnis tamen imago non est idolum. Denique iis simulacris sacrificabant. At nemo non videt, quanto ab illo tergemino crimine simus alieni. Nam & ii ipsi qui imagines aliquas Dei apud se confingunt, neque eas putant esse Deum, neque in iis inesse virtutem, propter quam sint colendæ, neque coloribus divinitatem posse deli-

delineari, neque iis sacrificari oportere; multo minus falsis numinibus sacrificia offerunt. Quapropter immerito plane cum paganis in hoc componuntur catholici.

INSTABIS 3. Ezechias 4. Regum cap. 18. v. 4. *Dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: si quidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* Atqui serpens ille fuit imago Christi in cruce suffigendi. Ergo neque thus neque ullus omnino cultus potest adhiberi, etiam imaginibus Christi.

NEGO consequentiam. *Incensi* quippe nomine intelliguntur sacrificia, quia extra sacrificia thus olim apud Judæos non usurpabatur. Sic vocabulum illud acceptum videas 4. *Regum* 17. *v.* 11. & 23. *v.* 5. 2. *Paralip.* 25. *v.* 14. & 28. *v.* 25. Ergo Judæi sacrificiis serpentem æneum colebant, quod erat nefas; sive cum in idolum convertissent, quod est longe probabilissimum, propter statuarum ac lucorum mentionem *ibidem* adjunctam, sive ad illius conspectum duntaxat Deo ipsi sacrificia hujusmodi offerrent, quia in excelsis & extra Jerusalem victimas immolare crimen erat, etiam in Dei veri honorem 3. *Reg.* 3. *v.* 2. & 2. *Paralip.* 33. *v.* 17. Jam vero apud Christianos thus non in sacrificio tantum adhibetur, sed etiam reliquiis, sacerdotibus, principibus, & mortuis exhibetur. Ergo utriusque facti non eadem est ratio.

Objectiones ex Patribus.

OBJICIES 2. Tribus prioribus Ecclesiæ seculis gentiles Christianis vitio vertebant quod simulacra non haberent, & in omnibus ea ætate cum Judæis controversiis nulla fit mentio imaginum. Ergo &c.

NEGO consequentiam. Ex hoc enim colligi quidem potest, nullum aut rarum hisce temporibus apud Christianos imaginum usum extitisse; sed colligi non potest nullum esse posse aut usum aut honorem.

OBJICIES 3. Patres illius ævi, saltem nonnulli, legem Mosis quæ omnem imaginem exterminat & Judæorum consuetudinem qui e sua republica artes pingendi ac sculpendi eliminabant, ad Christianos extendi volunt. Ergo multo minus probassent imaginum honorem.

DISTINGUO antecedens: ad Christianos illius ætatis propter idem, quod olim Judæis fuerat, periculum idololatriæ, concedo: quod imagines & artes illas per se illicitas crederent; nego. Alioqui peccarent & ipsi Calviniani, qui imagines ut licitas agnoscunt.

OBJICIES 4. Irenæus & Epiphanius arguunt Gnosticos, 1. quod imagines Jesu haberent, 2. quod eas colerent, sertis eas coronantes.

DISTINGUO antecedens: quod eas haberent præter vulgatum Ecclesiæ usum, easque colerent gentilium ritu; concedo: secus; nego. Respon-

ponsio patet ex illorum verbis quæ consulenda sunt. Fatemur autem insuper, moris tum non fuisse sertis coronare imagines. Ista porro difficultas duas habet partes: secunda de cultu, ad catholicos non pertinet, qui gentilium more imagines non colunt, nec iis sacrificia offerunt, quod Gnostici faciebant: prima autem de usu non hæreticos minus, quam nos perstringit, quippe qui imagines Christi approbent.

Objicies 5. Patres Eliberitani *can. 36.* statuunt picturas in Ecclesia esse non debere. Ergo.

Nego consequentiam. 1. Enim nonnulli theologi arbitrantur non omnium imaginum usum ab ea synodo vetitum fuisse, sed Dei tantum, propterea quod statim *ibidem* adjicitur, " Ne quod colitur aut adora„ tur, in parietibus depingatur. " 2. Alii censent ne eas quidem imagines in universum prohibitas esse, sed solummodo fuisse cautum ne in parietibus depingerentur, quod gentilibus offensioni id esse posset & Christianis periculo. 3. Cæteri, quibus assentimur, ultro admittunt omnem revera proscriptum ibi fuisse imaginum usum, quod his temporibus non conveniret propter idololatriæ metum; non autem quod illicitæ forent per sese. De usu ergo tantum loquitur synodus, quem interdicit ut periculosum & minime congruentem, non ut nefarium. Si enim ut nefarium, in Calvinianos momentum recidit, ut pote qui illum etiam in templis non damnent.

Objicies 6. Eusebius negavit imaginem Christi Constantiæ eam flagitanti, & Epiphanius ait contra Scripturarum auctoritatem esse, quod velum penderet pro ecclesiæ foribus, in qua imago Christi vel sancti depicta foret: imo ne imagines quidem in ædes privatas recipit. Ergo.

Nego consequentiam. Ista enim nihil probant, quia nimis probant, ut & superiora argumenta: nam utrobique de solo imaginum usu sermo habetur, quem usum si impietatis insimulant hæretici nostri, semetipsos impietatis arguant necesse est. Nam imagines in ædes suas inducunt Calviniani, & eas in templa a Lutheranis inductas aut in illis retentas tolerant, nec ipsis crimini vertunt. Quapropter oportet ut nobiscum fateantur aliis Eusebium Epiphaniumque motos esse, nempe disciplinæ veteris amore & superstitionis metu. Illud vero prætermittendum non est, quod ex antiquis monimentis asserunt synodi VII. Patres, nimirum Epiphanii discipulos post ipsius mortem, imaginem ejus in ecclesia collocasse.

Objicies 7. Hieronymus *lib. 3. in Danielem cap. 3.* improbat etiam civilem cultum, qui imaginibus imperatorum exhibebatur. Ergo multo minus aut eadem saltem de causa sacrum imaginibus sanctorum honorem deferri probavisset.

Nego consequentiam. 1. Enim non disputamus de statuis aut imaginibus imperatorum, quarum profecto non eadem est ratio, quæ imaginum

ginum Christi ac sanctorum. 2. Honores statuis ejusmodi persolvi solitī ab aliis Patribus probantur. 3. Si ii rejiciantur ab Hieronymo, id factum est quod Græci in adulationem effusi modum ita excessissent, ut ad idololatriam accederent. Consule locum ipsum, & insuper Philostorgium *libro* 2. *cap.* 18. codicem Theodosianum *lege unica de statuis imperatorum*, Theodoretum *libro* 2. *histor. cap.* 34.

Objicies 8. Optatus Milevitanus perturbatos fuisse narrat Donatistarum animos cum accepissent fore ut Paulus & Macarius a Constante missi imaginem super altari ponerent. Ergo &c.

Nego consequentiam. Ex eo enim duntaxat elici potest imagines nondum in ecclesiis Africanis usitatas fuisse, aut etiam nondum super altari poni consuevisse: quod nos ipsi *supra* notavimus.

Objicies 9. Augustinus ita disputat adversus simulacra gentilium, ut omnia ejus argumenta imagines a nobis usurpatas percellere simul videantur. Simulacra enim rejicit, 1. quia veritatem Dei commutant in mendacium: 2. quia sunt opera manuum hominum, quæ venerari nefas est: 3. quia corpus, aures, & alia membra habent, eoque maxime curvant infelicem animam: 4. quia nisi putarentur esse dii, frustra ante ea simulacra aræ struerentur. Vide *de fide & symbolo cap.* 7. *concione* 2. *in psal.* 113. *epistolam* 101. *ad Deo gratias*, *& epistolam* 119. *& sermonem 6. de verbis Domini*. Atqui hæc omnia in imagines militant. Ergo &c.

Respondeo 1. etsi concederemus has rationes revera in imagines pugnare, eas tamen non fore ab aliis primariis sejungendas, ex quibus patet nos ea etiam in parte a paganis multum distare: 2. hæc fere tantum in statuas cadere, quas nondum admiserat Ecclesia Africana, & quas tunc probaturus non fuisse videtur S. Augustinus propter imminens inde periculum: 3. hæc potissimum pertinere ad imagines Dei, & quidem eo animo factas, ut Deum qualis est exprimant; quo fit ut veritas Dei in mendacium commutetur. Cæterum ista non spectare ad omne picturæ etiam sacræ genus, inde constat quod ejusmodi imagines sacras persæpe ipse laudaverit, quod demonstravimus. Adde quod ista tantum demonstrent hujusmodi statuas & effigies usurpari non debere, cum verendi locus est ne noceant, ut tum accidebat, aut cum adorantur; non vero cum non adorantur, & nihil est quod inde formidare queas.

Objicies 10. Gregorius Magnus cum didicisset Serenum Massiliensem quorumdam e suis, qui imagines adorabant, superstitione commotum, easdem cum summa populi offensione confregisse, statim ad eum scripsit *epistolam* 105. *libro* 9. *indictione* 2. zelum quidem ejus laudans, quod manufactum adorari non permisisset, sed ejus temeritatem arguens, quod imagines fregisset: " Idcirco enim, inquit, pictura in " ecclesia adhibetur, ut ii qui litteras nesciunt, saltem in parietibus " vi-

„ videndo legant, quod legere in codicibus non valent. Tua ergo fra-„ ternitas, & illas servare, & ab earum adoratu populum prohibere „ debuit, quatenus & litterarum nescii haberent unde scientiam histo-„ riæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime pecca-„ ret. " Cum vero ad saniorem mentem non rediisset Serenus, ad eumdem misit Gregorius alteram epistolam quæ est 13. *libri* 2. *indict.* 4. in qua eadem inculcat. " Aliud est, inquit, picturam adorare, a-„ liud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod „ legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus . . . . . „ frangi non debuit quod non adorandum in ecclesiis, sed ad instruen-„ das solummodo mentes nescientium fuit collocatum. In locis vene-„ rabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas ad-„ misit : manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est : *Do-„ minum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* . . . Et si quis ima-„ gines facere voluerit, minime prohibe . . . . Sed hoc sollicite fra-„ ternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctio-„ nis percipiant, & in adoratione solius Trinitatis prosternantur. " Ergo Gregorius volebat imagines proponi ad instruendas solummodo mentes nescientium.

Distinguo consequens : ad instruendas solummodo mentes nescientium, ita ut excludatur tantum illa adoratio, quæ fuerat picturis incompetenter exhibita, ut ipse loquitur, concedo : ita ut excludatur omnis veneratio etiam inferior & imaginibus competens; nego. Mens Sancti Gregorii manifesta est ex ipsius proposito & scribendi ratione. Cæterum eo ipso quod statuit, ut imagines in locis competentibus decenter habeantur in sanctorum memoriam, ut populi ex earum visione ardorem compunctionis percipiant, non omnem sane iis abjudicat venerationem; idque eo minus, quod illam eamdem in duabus aliis epistolis ad Januarium & Secundinum disertissime astruat, ut jam declaravimus. Quod autem his plura de imaginum honoribus non addat, duplex ratio fuit. 1. est, quod ageretur tantum de adoratione : 2. quod rem haberet cum præsule imaginibus infenso, a quo proinde id erat solummodo postulandum quod necesse foret.

Instat Dallæus. At Gregorius negat hic adorationem imaginibus quam iis tribuit Nicæna synodus. At cum synodus eadem *actione 6.* definiat eos esse *semi-pravos*, qui volunt imagines haberi tantum ad commemorationem, non autem ad osculum, Gregorius contra decernit eas recordationi duntaxat inservire. Ergo.

Nego consequentiam. Fucum enim hic facit Dallæus. Nam quod ad 1. spectat, haud ignorabat *adorationis* nomen apud antiquos ambiguum & latissimæ significationis, ita ut reges olim, cæterique homines *adorari* dicerentur. Perspicuum porro est Gregorium-Magnum ac synodum Nicænam de diversa plane adorationis specie verba facere : ac Gre-

ac Gregorium quidem de ea quæ soli Deo debetur, synodum vero de alia multo inferioris ordinis. Jam vero quod pertinet ad 2. Nicæna synodus *semi-pravos* eos appellat, qui imagines contendebant ea ætate & his in locis ad memoriam tantum, non ad osculum esse usurpandas. Et synodus quidem recte, quia osculum, etsi non est necessarium, tamen est licitum, quod illi negabant: at ubi moris est & disciplinæ, non potest legitime reprobari & contemni.

Objicies 11. Constantinopolitana synodus episcoporum 338. sub Constantino Copronymo, quæ se VII. universalem nominavit, abolendas censuit omnes imagines. Ergo.

Respondeo hunc conventum illegitimum quoddam conciliabulum extitisse, & nullius plane auctoritatis. 1. Enim, ut ait Joannes diaconus *actione 6. concilii VII.* " Eam non receperunt, neque concordarunt reliquarum præsules ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt: non habuit adjutorem papam, . . . nec etiam per vicarios ejus, . . . neque per encyclicam epistolam, . . . sed nec consentientes sibi patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ & sanctæ civitatis. " 2. Imperator, e cujus nutu omnia suspensa erant, sine ulla prævia electione & propria auctoritate in ambonem ascendens, in Constantinopolitanum patriarcham, quemdam monachum flagitiis coopertum, nomine Constantinum, renunciavit. 3. Ejusdem synodi acta a Stephano Papa rescissa sunt, teste Adriano *in epistola ad Constantinum & Irenem*, & a tribus simul Orientalibus patriarchis, & postmodum ab universa ecclesia in VII. concilio.

Objectiones ex Ecclesia Gallicana.

Objicies 12. libros Carolinos, in quibus Carolus Magnus Francorum Rex, consentientibus omnibus ditionis suæ episcopis, summa vi septimam synodum impetit. Hanc enim synodum conferens cum synodo illegitima Constantinopolitana *lib. 4. cap. 4. numer.* 498. Patres Nicænos in longe majorem quam Iconomachos impietatem abiisse affirmat: " In istis quidem (Constantinopolitanis), inquit, fuit levitas; in illis vero (Nicænis) atrocitas: in istis imperitia; in illis nequitia: isti Deo se obsequium præstare arbitrantes, eas imagines ab ornamentis basilicarum abstulerunt; illi Deum ad iracundiam provocantes, ejus domum crudeliter diruerunt. " Similia habet *cap. 9. nu.* 528. *& cap. 22. nu.* 608. *&* 609. Libro autem eodem, *cap.* 13. *numer.* 540. componens cum prima synodo Nicæna, secundam hanc: " Longe, inquit, ab illa hæc distat, præsertim cum illa Ecclesiam catholicam ab errore reducat, ista e contrario in errorem inducat: illa a periculosissimo Arii naufragio eam depellat; ista eam in adorandarum imaginum naufragium coactam impellat:

„ . . . il-

„ . . . . . illa in tribus coæqualibus perſonis unam divinæ majeſtatis „ ſubſtantiam adorandam ſaluberrime ſentiat ; iſta imagines ſecundum „ ſervitium ſanctiſſimæ Trinitatis adorandas impudenter dicat . “ Unde ſic arguitur : Qui tanta vi in Nicænis Patribus imaginum cultum reprehendit , is certe a venerandis imaginibus longiſſime abſuit . Atqui Carolus Magnus in Nicænis Patribus imaginum cultum reprehendit . Ergo .

RESPONDEO 1. hos eſſe famoſos libros , qui ſimul atque anno 1549. prodierunt in lucem , opera Tilii Epiſcopi Meldenſis , catholicos in varias opiniones diſtraxerunt propter plures ſententias a vulgari ſentiendi , & loquendi ratione non mediocriter abhorrentes .

Fuerunt enim quidam audaciores , qui eos recens confictos fuiſſe a Lutheranis putaverint , & Carolo Magno ſuppoſitos . Verum iſta hallucinatio, & manuſcriptorum codicum antiquitate qui variis in locis extabant, & plurium veterum qui iſtius operis meminerant , teſtimonio ſtatim revicta eſt .

Alii ſtatuerunt hos libros ætate quidem Caroli Magni exaratos eſſe , ſed ab hæretico quodam imperito, a quo eos acceptos Carolus ad Pontificem Adrianum primum miſerit ab eo confutandos . Et quidem hæretico , inquiebant , quod res ipſa clamat ; imperito autem , quippe qui & ſynodum ſeptimam vocet Conſtantinopolitanam ; & Conſtantinopolim in Bithynia collocet.

Verum & iſtos falli , Carolumque Magnum hujus operis genuinum eſſe auctorem jam extra controverſiam eſt . 1. Enim illud ei tribuunt manuſcripti codices antiquiſſimi . 2. Scriptor ille *in præfatione* , *numer.* 4. ait ſe regni gubernacula Domino tribuente ſuſcepiſſe . 3. *Libro* 1. *cap.* 6. *numer.* 54. Pipinum regem *genitorem ſuum* vocat. 4. Ejus operis excerpta miſit Romam Carolus ipſe per Engilbertum , & eis reſpondit Adrianus *in epiſtola ad Carolum* , quæ etiamnum extat *tomo* 7. *Conciliorum* . 5. Synodus Pariſienſis ſub Ludovico Pio *in ſua ad eum epiſtola* , affirmat Carolum Magnum ipſius patrem , cum juſſiſſet ſynodum Nicænam coram ſe legi , eum multis in locis reprehendiſſe , & quædam capitula quæ reprehenſioni patebant , notaſſe , eaque per Engilbertum Abbatem eidem Adriano direxiſſe , cui ille reſpondere quæ voluit , non quæ debuit , conatus eſt . 6. Hincmarus Remenſis *libro contra Hincmarum Laudunenſem* , *cap.* 20. de ſynodo ſeptima loquens : “ De cujus deſtructione , inquit , non modicum volumen , „ quod in palatio adoleſcentulus legi , ab eodem imperatore Carolo „ Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum . “ Tum ex eo quædam exſcribit , quæ etiamnum in opere de quo agitur , comparent. 7. Bernardus Luxemburgenſis *in catalogo hæreſeon* tradit Carolum Magnum contra certos hæreticos opus ſcripſiſſe in quatuor libros diviſum , idque ſerva-

ſervari Romæ in Vaticana bibliotheca, idemque ex eadem biblioteca laudavit Auguſtinus Steucus *de donatione Conſtantini*, *lib.* 2. *num.* 60. Eoſdem Libros viderat Ekius nobilis Lutheri adverſarius, & nomine Caroli allegaverat *in locis communibus*. Quapropter leve peccatum geographicum in cauſa eſſe non poteſt, cur ii Carolo abjudicentur. Quod autem ſeptimam ſynodum vocet Conſtantinopolitanam, inde accidit quod Conſtantinopoli incœpta fuerit.

Respondeo 2. diſtinguendo minorem: Carolus in Nicænis Patribus imaginum cultum reprehendit divino parem, eumque tam abſolutum quam relativum; concedo: divino inferiorem; ſubdiſtinguo: ratione materiæ; concedo: ratione formæ ac ſimilitudinis; iterum ſubdiſtinguo: cultum divino inferiorem, ſed abſolutum; concedo: etiam relativum; ſubdiſtinguo: nec gradu, nec ritu imaginibus competentem; concedo: omnem ſimpliciter; iterum ſubdiſtinguo: nomine tenus; concedo: reipſa; nego.

Scilicet infenſi jam Græcis erant Galli ob quaſdam ab iis acceptas non leves contumelias, quas hiſtoriæ docent. Deinde vero compertam habebant eorum levitatem & ad nimios honores tribuendos propenſionem. Præterea longe alius apud nos erat, quam apud Græcos, imaginum habendarum modus; longe alii ritus. Denique ut olim obſervavimus, in Gallias illata fuerat quædam ſynodi VII. verſio non ſatis fida, quæ divinos honores videbatur imaginibus aſcribere. Itaque cum noſtri Græcorum mentem errore facti non ſatis intellexiſſent, & quæ ab iis ſimpliciter erant dicta, preſſius urgerent, in duriorem ſenſum ac partem ea detorquentes, & tandem ad variam, quæ pro variis locis ac temporibus eſſe poterat diſciplinam, non adverterent; haud mirum profecto eſt, quod his omnibus cauſis concurrentibus, illi vehementius in Græcos invecti fuerint, eoſque tam acriter reprehenderint. Arguebant enim

1. Cultum divino parem tam abſolutum quam relativum, quem putabant a Græcis imaginibus tribui.

2. Quemdam cultum ratione materiæ; quaſi nempe Græci cenſuiſſent ipſam imaginum materiam eſſe colendam.

3. Eum etiam ratione formæ & ſimilitudinis cultum ſive abſolutum ſive relativum repudiabant, qui æqualis foret honori ſanctis ipſis debito, aut cum ipſo idem. Arbitrabantur enim Græcos definiiſſe imagines & ſanctos ipſos pari omnino cultu affici oportere.

4. Cultum qui gradu ſublimior juſto foret: quaſi nimirum Græci imagines eodem cum euchariſticis ſymbolis, cruce, ſacris reliquiis, ſacris libris & vaſibus aut eccleſiis gradu honorarent, contra quam par eſſet.

5. Cultum certis in rebus poſitum, thymiamate videlicet, luminaribus, oſculis & aliis id genus, quæ noſtri in Græcis non probabant ac nimia eſſe, & imaginibus non competere ſtatuebant.

6. Denique vituperabant ipsa *cultus*, *adorationis*, & *servitii* nomina, aliaque his similia, quæ Græci frequenter adhibuerant, peregrina autem Gallis erant, nec eorum judicio, usurpanda.

Hæc enim Carolus viginti & amplius reprehensionis capitibus prosequitur.

Primo igitur Græcos accusat, quod cultum divino parem sive absolutum sive relativum imaginibus exhiberent, quo pertinent quatuor priora criminationis capita.

Primum enim ac precipuum declamationis caput adversus Græcos est, quod eamdem imaginibus quam sanctæ Trinitati adorationem esse exhibendam decrevissent. Id quidem verum non erat; sed ut verum a Gallis existimaretur, fecerat barbara illa & infida interpretatio, cujus mentionem non semel fecimus. *Libro* enim 3. *cap.* 17. *num.* 332. hic est titulus. " Quod infauste ac præcipitanter sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri episcopus dixit: Suscipio & amplector honorabiliter sanctas ac venerandas imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificæ Trinitati emitto. " *Capitis* autem 18. *num.* 388. hic est titulus; " Quod Euthymius Sardensis episcopus a præfati Constantini errore non multum dissentit in eo quod ait: Ex toto corde suscipio venerandas imagines cum condecenti honore & amplectibili adoratione. " Unde hoc pro certo habens *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 32. " Non mediocris est error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is qui dixit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*.

Secundum, quod in imaginibus spem suam collocarent. *Libro* enim 1. *cap.* 18. *num.* 117. " Jam vero, inquit, qui se imaginum inspectione salvandos credunt, sicut serpentis inspectione Israeliticus populus a serpentium morsibus sanabatur, si qua forte eis quædam corporis inclementia accesserit, recurrant ad imagines, easque aspiciant, quatenus dum illarum aspectione minime sanati fuerint, revertantur ad Dominum, & per sanctorum intercessiones ab eo sanitatem se accepturos credant, qui totius sanitatis & vitæ est auctor. " *Libro* autem 3. *cap.* 16. *num.* 381. eos arguit quod illi pene omnem credulitatis suæ spem in imaginibus collocent.

Tertium, quod iidem sanctimoniam ab imaginibus expectarent. *Libro* enim 3. *cap.* 6. *num.* 321. notat " Quod Basilius Ancyræ episcopus imaginum . . . . osculationem & adorationem inseruerit, fidem se habere dicens participare ipsis sanctificationem.

Quartum, quod relativum saltem latriæ genus imaginibus ipsis tribuerent. *Libri* enim 3. *cap.* 16. *num.* 376. titulus est, " Contra eos qui dicunt, quod imaginibus honor in primam formam transit. " Ne quis autem hic fallatur, subinde sic arguit: " Numquid, inquit, sancti adorari se permiserunt. " Agobardus similiter *cap.* 19. " Dicit " for-

„ forsan aliquis non se putare imagini quam adorat aliquid esse divi-
„ num, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam
„ veneratione donare. Cui facile respondetur, quia si imago, quam
„ adorat, Deus non est, nequaquam veneranda est, quasi pro honore
„ sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores: " Idem pariter Jonas. Adducta enim Græcorum excusatione subdit: " Una
„ autem reprehendimus & detestamur, inquit, quia cum eorum scien-
„ tiam non subterfugiat nihil esse divini, majori digni sunt inve-
„ ctione, eo quod debitum divinitati honorem impenderint infirmo &
„ egeno simulacro.

Secundo Carolus Græcos carpit quasi synodus voluisset imagines ratione materiæ coli.

Quintum enim hoc est reprehensionis caput, tanquam ex ipsorum dogmate consequens, quod ut absurdum eis objicit *lib. 4. cap. 21.* quod nimirum, cum pingitur virgo Maria, aselli gestamine vecta, ipsius animantis cum ea imago adoretur. " Nullo enim pacto, inquit, in ado-
„ rando utriusque imaginis, virginis scilicet sive animantis, quædam fie-
„ ri potest diremptio, præsertim cum unius sint materiæ. " quod quidem esset verum, si materia ipsa imaginis coleretur, utpote quæ hæc omnia simul complectatur. Inde enim hoc ridiculum consectarium eruit, quod Veneris imago, quæ ante abominanda erat, sacra fieri possit, si modo inscriptio mutetur, *ibidem* & *cap. 16. num. 573.*

Tertio Carolus Græcis vitio vertit, quod etsi imaginibus cultum exhibere duntaxat vellent divino inferiorem, iis tamen cultum eumdem, quem sanctis ipsis dependerent, sanctimoniam quandam iis tribuentes, preces ad eas dirigentes, & ad eumdem omnino evehentes honorem.

Sextum enim criminationis caput est, quod Græci cultum quemdam absolutum imaginibus esse impertiendum opinarentur ob sanctimoniam ipsis insitam: " Sciscitandum ab eis est, inquit *libro 1. cap. 2. num. 34.*
„ qui tanto errore laborant, ut eas pro arbitrio suo . . . . sanctas & ve-
„ ras & non potius secundum venerabilium Patrum traditionem sancto-
„ rum imagines dicunt &c. Agobardus itidem, " Non solum sacrilegi
„ sunt, inquit, ex eo quod divinum cultum operibus manuum suarum
„ exhibent; sed & insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt,
„ tribuendo.

Septimum vero, quod Nicæni præsules imaginibus esse supplicandum definiissent, perinde ac sanctis, & preces nostras ab iis audiri posse. *Libro* enim *1. cap. 24. num. 241.* " Sed nec illud, inquit, quod scri-
„ ptum est: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, de quo-
„ dam manufacto vultu intelligendum est; præsertim cum manufacti
„ vultus ideo non deprecandi sint, quia nec exaudire queunt: quod si
„ deprecari non debent, multo minus adorari.

 Octa-

Octavum autem caput est, quod Græci putarent propter suam cum exemplaribus habitudinem, pertingere posse, ut honores eis æquales mererentur. *Libro* quippe 4. *cap.* 16. *num.* 571. sic Carolus ait: " Epi-
„ phanius diaconus dixit imaginem per nomen significationis ad pri-
„ mæ formæ honorem, id est ad sancti, in cujus nomine prætitula-
„ tur, venerationem, posse deduci: quod fieri posse nullius rationis
„ indiciis evidentibus potest approbari. Si nominis tantummodo in-
„ scriptio eas ad eorumdem Sanctorum, quorum nomine superscribun-
„ tur, honorem deducit; ergo quælibet res, cui sancti cujusdam no-
„ men superscribitur, ad ejusdem sancti honorem conscendit.

Quarto Carolus Græcos ipsos in ipso honoris, etiam relativi, gradu peccare censet, quod imagines cum ipsis sacræ Eucharistiæ symbolis, cruce, reliquiis, sacris libris, & vasibus atque ecclesiis componerent.

Nonum enim accusationis caput est, quod imagines cum corpore & sanguine Domini comparassent. *Libro* quippe 2. *cap.* 27. is titulus est,
" Quod magnæ sit temeritatis ingentisque absurditatis sæpe memoratas
„ imagines corpori & sanguini dominico æquiparare velle.

Decimum, quod divinis libris eas æquassent. *Libro* enim 2. *cap.* 3. *num.* 251. ita eos loquentes inducit: " Sicut divinæ Scripturæ libros;
„ ita imagines ob memoriam venerationis habemus. " Quibus deinde
„ sic reponit *ibidem*: " Divinæ Scripturæ libris rite æquiparari non
„ possunt.

Undecimum quod cruci. *Libro* scilicet 2. *cap.* 28. *num.* 243. titulus iste est: " Quanta ratione mysterium dulcissimæ crucis ab imaginibus distet:
„ quas quidem illi eidem æquiparare contendunt. " *Ibidem*, *num.* 248.
" Non sunt imagines cruci æquiparandæ. " Idem habet synodus Parisiensis *cap.* 12. *&c.*

Duodecimum quod sacris vasibus. *Libri* enim 2. *cap.* 29. *num.* 249. is pariter titulus est: " Quod præsuppositive, & indocte eas Tarasius cum sequa-
„ cibus suis sacratis vasis æquiparare non formidet. " Ita quoque synodus Parisiensis *cap.* 10.

Decimumtertium quod sanctorum reliquiis. *Libri* quippe 3. *cap.* 24. *num.* 246. titulus hic est: " Quod non sunt coæquandæ imagines reliquiis
„ sanctorum martyrum & confessorum, ut illi in erronea sua synodo face-
„ re nituntur.

Decimumquartum quod locis sanctis, ecclesiis & aliis ejusmodi ædibus comparent. *Libri* nimirum 3. *cap.* 27. *num.* 447. hic titulus est: " Quod
„ Deus inlocalis sit. Illi minus docte dixerunt: Veneramur & adoramus sicut locum Dei. " *Libro* autem 4. *cap.* 13. *num.* 537. " Venerabiliores sunt
„ inquit, Basilicæ imagine, & reverentiora sunt loca cultibus mancipata
„ divinis quibuslibet picturis.

Quinto varios a Græcis adhiberi solitos in imaginum cultu ritus dam-

damnat; luminaria nimirum, thymiamata, oscula, salutationes, &c.

Decimumquintum enim reprehensionis caput est, quod luminaria, thymiamata, primitias, vel quædam munuscula imaginibus apud Græcos offerrentur. *Libri* enim 4. *cap.* 3. *num.* 490. hic titulus legitur, " De eo quod dicunt non scandalizandum quemquam, eo quod ante " imagines sanctorum luminaria fiant, & odoris thymiamata. " *Libro* autem 2. *cap.* 11. *num.* 198. " Tantus imaginum cultus inolescit, ut quisquis " eas non adoraverit, neque luminaribus seu quibusdam primitiis honora- " verit, anathemate dignus erit.

Decimumsextum quod osculum imaginibus tribuendum esse censuerit Basilius Ancyræ Episcopus *lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 321. idque adeo exigerent Græci, ut pronunciare veriti non essent: " Si quis non osculatur has, tanquam in nomine Domini, & sanctorum ejus factas, " anathema sit.

Decimumseptimum quod eas salutandas affirmarent, *libro* 2. *cap.* 21.

Decimumoctavum quod iis capita submitterent, & colla inflecterent ante eas, *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 172.

Sexto tandem non ferebat Carolus varia illa, quæ a Græcis in hoc negotio adhibebantur vocabula.

Decimumnonum quippe criminationis caput est in vocabulum *cultus*, *religionis*, *& adorationis*, quasi soli Deo competens. *Libro* enim 2. *cap.* 1. *num.* 218. " Solus, inquit, Deus colendus est, solus adorandus, solus glorificandus; adorari tamen homines titulo charitatis aut societatis posse concedit. Galli fere omnes in hoc sequuntur Carolum, nisi quod synodus Parisiensis cultum discretum imaginum non semel admittat.

Vigesimum est in vocem *servitii*. Ita libri Carolini passim, & Patres Francofordienses *can.* 2.

Vigesimumprimum in nomen *venerationis*, quod nihilominus tribuit sanctis *ibidem & lib.* 2. *cap.* 30 *num.* 270. *& lib.* 4. *cap.* 27. *nu.* 641. Venerationem tamen Galli imaginibus ante tribuerant, & postmodum tribuendum esse censuere. Vide probationes.

Vigesimumsecundum in *honoris* vocem. *Libro* enim 3. *cap.* 16. illam reiicit, quam tamen largitur reliquiis *ibidem*, *num.* 378. Honorem postea imaginibus largiri non dubitarunt Dungalus & Valafridus.

Nempe iis nominibus putabant illigatos esse quosdam venerationis externos ritus ab imaginum honorifico pioque usu distinctos. Id porro apud nostros tum temporis unum obtinebat, & ut obtineret optabunt Galli, ut nimirum imagines propter sanctorum memoriam, & amorem decenter in ecclesiis collocarentur, in quo ipso honorem, cultum, venerationemque non mediocrem, quorum tamen nomina refugiebant, eis reipsa impertiebantur.

Jam vero si hæc omnia capita cum Nicæna ipsa synodo conferas, patebit 1. Gallos in octo prioribus Græcorum sententiam non intellexisse, eàque ipsis immerito affinxisse. 2. Pressius quam par sit in sex sequentibus verba Græcorum ursisse. Cum enim Græci in definitione, & alibi decernunt, honorem imaginibus, sicut cruci verbi gratia, esse deferendum; unum honoris genus rebus omnibus inanimis conveniens exprimere voluerunt, non diversos intra idem genus honoris gradus excludere. 3. In quatuor proxime subnexis disciplinam tantum agi ac contineri, cujus in ritibus pro variis locis ac temporibus, varia quoque ratio esse potest. 4. Nomina nondum fuisse apud omnes communi consensu consecrata. Unde superest ut colligatur Gallos quoad ipsum fidei dogma tunc temporis a Græcis non dissensisse.

Ne quis vero miretur quod synodum generalem adeo audacter impetant Galli; observandum est ab iis pro universali habitam tunc non fuisse: quod patet ex 4. Libri *cap.* 13. & 28. quia videlicet in eam tota fere Occidentalis Ecclesia nondum consenserat, nec a sancta sede hactenus aut probata erat, aut probata putabatur. De quo lege Adrianum *epistola ad Carolum*, in qua asserit se nondum Græcis respondisse, & Hincmarum Remensem contra Hincmarum Laudunensem *cap.* 2. ubi affirmat sanctæ sedis auctoritatem ei nondum accessisse.

Objicies 13. Synodus Francofordiensis *can.* 2. sic ait: "Allata „ est in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de ado- „ randis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habe- „ batur, ut qui imaginibus sanctorum, ita ut deificæ Trinitati *ser-* „ *vitium* aut *adorationem* non impenderent, anathema judicarentur. Qui „ supra SS. Patres omnimodis adorationem & servitium renuentes contem- „ pserunt, atque consentientes damnarunt.

Respondeo 1. quosdam extitisse qui senserint synodum hic confixam non esse Nicænam II. pro imaginibus, sed conciliabulum Constantinopolitanum Iconomachorum contra imagines.

Verum hic error gravis est & manifestus. Ea enim synodus percellitur, quæ egerat de imaginibus adorandis. Certe anonymus vitæ Caroli auctor, annales Fuldenses, Adelmus, Hincmarus, Ado Viennensis, chronicon Moissiacense, annales Bertiniani, Metenses, Franci, Eginhardus certos ei synodo characteres attribuunt, qui in solam septimam cadunt, dum aiunt eam esse ab Irene & Constantino convocatam, sub Carolo Magno habitam, denique ab ipsa adorationem imaginum esse sancitam, quæ tria conciliabulo Constantinopolitano non conveniunt.

Respondeo 2. Cointium *in ecclesiasticis Francorum annalibus* opinari post Nicænam synodum absolutam nonnullos Græcos aliam Con-
stan-

stantinopoli coegisse, in qua mediam, & a catholicis tritam viam deserentes atque in aliud ab Iconomachis extremum delapsi, decreverint imagines revera esse adorandas: quam synodum contendit a Francofordiensibus perstringi.

Verum hæc synodus fictitia est, nec ejus fit uspiam mentio. Præterea qui libros Gallorum cum Græcis monumentis contendere voluerit, nullo negotio deteget synodi VII. ipsius acta & dicta a nostris revera esse suggillata.

Respondeo 3. longe consultius esse, si dicamus Patres Francofordienses delusos Concilii VII. infida versione putasse Græcos adorationem ac servitium imaginibus perinde ac Trinitati impendere voluisse, & hanc adorationem & servitium a Gallis, ut ipsimet loquuntur, duntaxat fuisse reprobata.

Instabis. At verisimile non est Patres istos Nicænis præsulibus hanc impietatem tribuisse. An non legati Romani pontificis, qui Francofurti aderant, statim reclamassent, quod per summam injuriam hujusmodi errorem synodo generali affingerent Galli?

Respondeo conjecturis, & declamationibus locum non esse, ubi factum est manifestum. Legati porro aut non erant ita eruditi, ut vitium interpretis detegerent, quod ipse non fecerat Adrianus; aut non ita fortes, ut quod sentirent, dicere auderent: aut denique eos audire Galli noluerunt.

Objicies 14. Synodus Parisiensis anno 826. post Alcuini & Caroli Magni opera in septimam synodum emissa, post Adriani apologiam pro septima synodo, post multas disputationes etiam Romæ habitas, & longissimi temporis controversiam, quæ omnia magna in luce dissidiorum capita ponere debuerant, synodus, inquam, Parisiensis a Caroli Magni & Concilii Francofordiensis sententia non tantum non recessit, sed etiam in Romanum colendarum imaginum morem, perinde ac in Græcorum superstitionem invehitur per singula fere collectionis suæ capita. Ergo.

Respondeo synodum Parisiensem longe moderatiorem iis extitisse, qui ante scripserant: quod eo magis mirum est, quod ad Gallorum irritandos animos nuper accessissent idoneæ Michaelis Balbi litteræ, quæ superstitiosos Græculorum ritus in imaginibus venerandis depingebant. Græcanicam quidem ac Italicam imaginum colendarum rationem improbarunt; sed dum, quem *indiscretum & superstitiosum* vocant, cultum unice impetunt, discretum imaginum cultum se admittere profitentur.

Instabis. Iidem Patres aiunt optimum fore si imagines in Ecclesiis sint ob nullum alium religionis cultum, sed tantummodo pro amoris sanctorum memoria seu ornamento locorum.

Respondeo per *cultum religionis* intelligi cultum latriæ soli Deo debitum,

tum, qui solus proprie est objectum religionis: attamen ob participationem quamdam cultus sanctorum dicitur vulgo *religiosus*.

OBJICIES 15. Agobardus Lugdunensis non solum omnem religionis honorem negat imaginibus, sed etiam eo progreditur, ut videatur optare ne ulla imago fiat, atque etiam ut exemplo Ezechiæ omnes confringantur.

RESPONDEO Agobardum hinc Michaelis Balbi querelis de Græcorum insana erga imagines superstitione, illinc effusis nimium apud omnes fere gentes earum honoribus inflammatum, non modo hunc latriæ cultum, quem vocat *religionis honorem*, eis denegasse, sed etiam censuisse forte e religionis Christianæ bono esse, ut aboleantur: quod fieri longe satius putabat in eo casu, quam hujus generis superstitionem ita invalescere, ut evelli amplius non posset. At male credulus in votis excessit modum. Porro non omne abjudicat honoris genus imaginibus, quandoquidem *ibidem* decernit ob amorem & recordationem sanctorum eas posse usurpari.

OBJICIES 16. Jonas Aurelianensis in confutatione Claudii Taurinensis damnat imaginum cultum qui a Nicænis Patribus definitus erat, & a Romanis usurpabatur: & insuper ait, " Nos figmenta non colimus, imagines tamen habemus, & habentibus non præjudicamus. Ergo. &c.

RESPONDEO Jonam Aurelianensem in eadem fuisse cum cæteris Gallis, sententia, ita ut Græcorum synodum non recte intellectam damnaverit, & simul effusam nimium, ut putabat, Romanorum in venerandis imaginibus consuetudinem; sed tamen honorificum imaginum usum ac debitam iis venerationem non repudiasse.

OBJICIES 17. Dungalus eadem fere ait *in responsione sua ad Claudium Taurinensem*. Ergo.

RESPONDEO Dungalum & Jonam, cum scriberent adversus Claudium Taurinensem, qui imagines ac cruces, eo quod adorantur, e templis exterminabat, ea tamen duo ex professo statuere: 1. est, imagines & cruces non esse revera adorandas: 2. non esse tamen confringendas. At aliquando nonnulla infert Dungalus, quæ nobis admodum favent: de quibus *supra*.

OBJICIES ultimo. Valafridus *cap.* 8. *de rebus ecclesiasticis*, damnat & Romanos & Græcos mores, quibus spiritalis cultus ad corporalia traducebatur.

RESPONDEO Valafridi eamdem esse causam quæ aliorum. Infensus erat litteris Michaelis Balbi, & Italicos mores non probabat: insuper stabat pro antiqua Gallorum disciplina: proinde nolebat quod spiritalis cultus, qualis est sanctis ac Deo exhibendus, tot rituum externorum multitudine involveretur. Cæterum quid de imaginum honore senserit, non ita pridem exponebamus.

SE-

SECTIO VI.

e genere cultus & honoris imaginibus convenientis.

Etsi hic de imaginibus tantum quæstionem proponimus, earum tamen nomine crucem & alia ejusmodi complectitur, quorum idem est genus venerationis, licet non sit idem honoris gradus.

Honor porro alius est absolutus, alius relativus.

Absolutus, qui propter absolutam excellentiam in ipso objecto existentem ei defertur, qualis est Dei & sanctorum.

Relativus, qui rei exhibetur propter aliquam tantum cum alia re per se excellente habitudinem.

Absolutus vel latriæ est ac supremus, vel inferior, creaturis competens propter derivatam a Deo quamdam in ipsas dignitatem.

Cultus creaturis competens, vel est civilis, qui propter præstantiam vulgarem, vel sacer, qui propter supernaturales dotes ac superioris generis excellentiam impenditur.

Cultus autem ex internis & externis actionibus constat.

Internæ actiones duæ sunt: una mentis, quæ excellentiam rei venerandæ percipit; altera voluntatis, quæ affectu in eam rapitur, & quanta potest in luce ac gloria collocat.

Externæ sunt variæ, nec ullo signo aut ulla specie circumscriptæ, si sacrificium, aras, & templa excipias, quæ soli Deo competunt.

Hinc cultus vulgo distinguitur in internum, & externum.

Cultus interior necessario variat pro diversa objecti dignitate: externus autem qui ex hominum arbitrio, ac temporum locorumque consuetudine pendet, sæpe unus idemque est, ubi internus diversus est: ut si quis ad *Jesu* & *Mariæ* nomen caput aperiat, una eademque actio illa cultus latriæ erga Christum erit, simul & duliæ erga Mariam expressio. Contra autem diversus esse potest cultus externus, ubi unus est internus. Sic unius ejusdemque regis multiplex salutandi pro diversis regionibus ratio esse potest, quamvis eadem dignitas sit.

Cultus externus geminus est: alter negativus, alter positivus.

Negativus in contumeliæ & dehonestamenti abstinentia consistit.

Positivus in quædam signa extrinsecus erumpit.

Jam vero relativus cultus triplici modo intelligi potest.

1. Ita ut solum exemplar sit, illud quod colitur; imago autem sit tantum id quo exemplum colatur. Ita quondam nonulli theologi: quocirca juxta illorum opinionem Christus quidem ante crucem aut imaginem colitur; sed non colitur ipsa crux & imago. Non enim sunt illæ ob-

sit objectum *quod* cultus; sed solummodo objectum *quo*, & illius duntaxat occasio.

2. Ita ut sit idem omnino cultus, idem omnino honor imaginis & exemplaris, nisi quod exemplaris cultus est absolutus, imaginis autem relativus. Ita plurimi veteres ac recentiores. Juxta hos vera latriæ adoratio cruci v.g. & imagini Christi defertur; relativa tamen, adeo ut per crucem & imaginem transeat ad Christum.

3. Ita ut non sit idem honor idemque cultus imaginis & exemplaris, sed diversus: hoc est ita ut imago quidem propter exemplar, crux propter Christum honoretur, sed alio honoris genere peculiari & inferiori, qui honos in eo positus sit, ut imago propter exemplar honorifice habeatur, & cruci propter Christum oscula dentur, genua flectantur, caput aperiatur &c. Ita Bellarminus, Estius, Sylvius & alii plures. Juxta illos honor quidem est relativus, sed generis longe demissioris, nec ab imagine permeat in prototypon, sed contra e prototypo descendit ad imaginem, in eaque hæret: adeo ut imago sit objectum *quod* hujus honoris; prototypon vero non sit ejusdem honoris objectum, sed ratio tantum superior & causa extrinseca. Eo itaque in casu imago Christi honoratur quidem propter Christum, sed infra ipsum, nec eadem adoratione afficitur, etiam relative, qua Christus absolute. Sic in republica legatus regis propter regem majori quidem in pretio habetur, sed non tamen in tanto, quanto rex ipse, si adesset; sic amici charissimi litteras amamus & osculamur propter illum, neque tamen illas in eodem quo amicum, benevolentiæ ac reverentiæ genere ac gradu collocamus.

ASSERTIO I.

Nullus absolutus cultus imaginibus tribuendus est, sed relativus duntaxat.

Probatur 1. decretis synodi Nicænæ II. ac Tridentinæ, quæ omnem imaginum honorem referri jubent ad prototypa.

Probatur 2. auctoritate Patrum. Nicephorus enim Constantinopolitanus *de imaginibus*, sic ait: "Quia imago est eorum quæ sunt in habitudine, idcirco honorato prototypo, simul honoratur imago ipsius. Adrianus I. *epistola* 1. *ad Imperatorem*, "Non tabulis, inquit, ipsis ac coloribus honorem deferimus, sed iis quorum nominibus appellantur imagines.

Probatur ratione. Quia imago nihil in se continet veneratione dignum, in quo animus acquiescere possit.

AS-

ASSERTIO II.

Honor relativus imaginum non eo accipiendus est modo, quasi illæ sint objectum *quo* duntaxat, non objectum *quod*.

Probatur. Sancti enim Patres & concilia definiunt non modo ante imagines honorandos esse Christum & Sanctos, sed etiam ipsas esse honorandas, ut liquet ex eorum verbis *supra* relatis. Atqui hoc modo ipsæ non honorarentur. Ergo &c.

ASSERTIO III.

Non idem est honor imaginum relativus, qui prototyporum absolutus, nec dici debet imago Christi, aut crux v. g. etiam propter Christum, eodem latriæ cultu adoranda, quo ipse Christus; sed cultus est multo inferior, & toto genere suo ab altero distinctus.

Probatur 1. ex Patribus & conciliis.

1. Enim Ambrosius *in funere Theodosii*, ubi de Helena quæ Christi crucem invenerat, " Regem, inquit, adoravit, non lignum utique; " quia is gentilis est error & vanitas impiorum, sed adoravit eum qui " pependit in ligno, scriptus in titulo.

2. Gregorius Magnus *supra*, *ad Serenum*: " Tua fraternitas, inquit, " .... & illas imagines servare, & ab earum adoratione populum prohi- " bere debuit .... Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ " historiam quid sit adorandum addiscere.

3. In synodo VII. *actione* 1. Theodosius revertens ab hæresi, " Imagines recipio, inquit, & adoro non tanquam Deos: absit: sed affe- " ctum & amorem animæ meæ, quem habebam prius in eos (Christum " & Sanctos) etiamnum ostendens. " *Actione* 2. Tarasius respondens epistolæ Adriani: " Has imagines, inquit, affectuoso desiderio adora- " mus, ... manifeste in unum Deum verum latriæ cultum & fidem no- " stram referentes. " Idem *in epistola ad Imperatorem*, postquam distinxit varias adorationis species, docuitque nomen *adorationis* esse plane æquivocum, inferius quoddam adorationis genus imaginibus & aliis ejusmodi tribuendum esse affirmat. " Latriæ enim cultum, inquit, soli Deo " referimus. " *Actione* 3. Constantinus Cyprensis episcopus, " Eis con- " sentio, inquit, & consors efficior, suscipiens & amplectens honora- " biliter sanctas ac venerabiles imagines, atque adorationem, quæ per " latriam efficitur, soli supersubstantiali ac vivificæ Trinitati impendo. " *Actione* 6. cum Iconomachi exprobarent, quod eamdem Deo & imaginibus adorationem catholici deferrent, sic ore Epiphanii exclamat

" syno-

„ synodus : " O stoliditatem ! Christiani quippe adorationem quæ in spiritu & veritate est, neque imaginibus, neque figuræ divinæ crucis impertiti sunt .... Adorationem, quæ per fidem est, ipsi soli Deo, qui super omnes in Trinitate laudatur, offerunt. " Denique *in definitione fidei*, *act.* 7 synodus statuit : " Honorariam adorationem imaginibus tribuendam esse, non tamen veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impertiendam. " *Honorariæ* porro *adorationis* nomine, quod in septima synodo & aliis auctoribus pervulgatum est, externa quælibet honoris expressio in osculis, salutationibus & aliis id genus posita intelligitur.

4. Adrianus I. *in apologia synodi VII. ad Carolum*, " Definierunt „ Nicæni Patres, inquit, his osculum & honorabilem salutationem reddere; nequaquam secundum fidem nostram veram culturam, quæ decet naturam divinam solam.

NEC dicas hos omnes Patres in id duntaxat intendere, ut crux & imago Christi propter se tantum non adorentur, non vero nullus iis propter Christum relativus latriæ cultus impendatur.

NAM spectant illi crucem & imagines, quatenus sunt honorandæ, atque adeo cum sua peculiari ad prototypa habitudine, sine qua nullatenus essent colendæ. Atqui dum spectant crucem & imagines, quatenus sunt honorandæ, negant tamen eas esse cultu latriæ afficiendas, & honorariam adorationem illarum a latriæ cultu immensum fecernunt. Ergo ne relativo quidem latriæ cultu adorandæ sunt. Vide præsertim definitionem synodi VII. ubi dicimur per imaginem erigi ad memoriam primitivorum; unde infert synodus honorarium quidem cultum eis deberi, sed qui sit tamen a latria distinctus.

PROBATUR 2. variis rationibus.

1. Enim crux & imago Christi juxta concilii VII. decreta, & sanctissimorum Patrum sententiam sunt honorandæ, quomodo vasa sancta & basilicæ : unum enim esse definiunt horum omnium honoris genus, licet non unus sit gradus. Atqui nemo dixerit calices v. g. & basilicas esse adorandas, aut cultu latriæ afficiendas. Ergo &c.

2. Si crux & imago Christi cultu latriæ posset affici propter suam cum Christo habitudinem, propter eamdem possent ei sacrificia offerri. Atqui id nemo senserit, illudque in Gnosticis damnaverunt olim Irenæus & Epiphanius. Ergo &c.

3. Propter quod unumquodque est tale, & illud magis. Atqui crux & imago Christi propter Christum coluntur. Ergo Christus majori honore dignus est. Jam vero cultu latriæ nullus superior est.

4. Nihil potest esse consultius, quam si eodem quo Ecclesia modo, imaginum cultum exprimamus. Atqui Ecclesia ubi hunc explicuit, cultum latriæ semper denegavit. Ergo &c.

5. Is sentiendi & loquendi modus est vitandus, qui & catholicis peri-

periculum erroris, & hæreticis blaſphemiæ occaſionem præbere poteſt. Atqui ſi dicatur crux eodem quo Chriſtus latriæ cultu adorari, periculum eſt, ne plebs rudis catholica in adoratione illius tanquam divinitatis conſiſtat : hæretici vero longe liberiorem habebunt anſam idololatriæ nos accuſandi. Ergo &c.

ASSERTIO IV.

Cultus imaginibus exhibendus non eſt mere externus.

Probatur. Cultus enim eſt teſtificatio quædam animi rem aliam amantis & honorantis, quia videlicet omnis honos includit aliquem affectum interiorem. Ergo.

Certe citra aliquem affectum an cruces & imagines unquam ſalutaremus & deoſcularemur? An etiam honorifice haberemus? Ergo.

ASSERTIO V.

Cultus imaginum negativus non ſufficit.

Probatur. Aliud enim eſt honorare imagines, aliud contumeliis non afficere. Atqui Patres & concilia decernunt honorandas eſſe imagines. Ergo.

ASSERTIO ULTIMA.

Cultus imaginum poſitivus, nec ſemper, neque ubique idem fuit.

Probatur variis hiſtoriæ monimentis.

1. Enim ſeculo IV. Chriſtiani quidem ſtatuæ a Syrophæniſſa muliere in honorem Chriſti poſitæ competentem curam & obſervantiam detulerunt, ut ait Philoſtorgius *libro 7. cap.* 3. Sed dum ſpeciatim honorem iſtum explicat, conceptis verbis aſſerit illum eo fuiſſe circumſcriptum, quod in Eccleſia decenter eam collocaverint : neque per id temporis ullum eſt in Patribus alterius honoris imaginibus exhibiti argumentum.

2. Chryſoſtomi ævo in Oriente mos inoleſcere cœpit, ut ante imagines Chriſti caput flecteretur, quod ex liturgia ejus nomine inſcripta colligitur, (ſi tamen hoc ei non eſt recentiore manu inſitum.) Poſtmodum autem acceſſit, ut eis oſcula etiam figerentur; quod ex Leontio conſtat : ſenſimque ſine ſenſu alia plura inducta ſunt, ut ex aliis monimentis eruitur.

At in univerſo Occidente ad Gregorium uſque Magnum nullum eſt hujuſmodi rituum veſtigium.

3. Quo

3. Quo tempore habitum eſt concilium Nicænum, idemque generale VII. Græci quidem ac Romani antiquæ diſciplinæ adjecerant thymiamata, lumina, & alia id genus, quæ in ſynodi actis, Adriani epiſtolis, Gallorum noſtrorum libris & Anaſtaſii præfatione exprimuntur. At in reliqua Occidentali Eccleſia id unum forte obtinebat, ut ob Sanctorum memoriam, amorem & honorem, in Eccleſiis haberentur. Neque tamen unquam hæreſeos aut erroris Galli noſtri accuſati ſunt: quin etiam eorum fidem, ut rectam & ſanam, admiſerunt, aut etiam prædicarunt ſummi pontifices.

Atque hæc de Incarnationis myſterio ad Chriſti honorem dicta ſufficiant.



Tractatus de Verbi Divini Incarnatione

F I N I S.

